


ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS



QUORUM EDENDORUM CURAM GERIT
AD. ŠPALDÁK.




ANNUS VII. NR. 4.

LA REVUE »ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS«
PARAÎT QUATRE FOIS PAR AN.
〈À PRAGUE II-505〉



PRAGAE BOHEMORUM 1911.

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS. TYPIS „ČESKOSLOVANSKÁ AKC. TISKÁRNA“ PRAGAE-I 186.



Edi permisit RR. aep. Ordinariatus Pragensis.

Index.

Pars I.

- M. Jugie*, De Conceptione Immaculata B. Mariae Virginis
apud Russos, saeculo XVII p. 3—15
p. 180—185
- A. Salaville*, De „quinivertice ecclesiastico corpore“ apud
S. Theodorum Studitam p. 177—180
- Dr. *Leonini*, Quomodo Leonis XIII. studia veteris dis-
cordiae tollendae in Russia aestimata sint, exemplo
illustratur p. 15—22
- A. Špaldák* et *L. Fedoroff*, Relatio de III. Conventu Vele-
hradensi p. 97—130
- A. Palmieri*, De Graecis scriptoribus orthodoxis qui con-
cordiae inter ecclesiam occidentalem et orientalem
restituendae studuerunt p. 185—196

Conspectus litterarum ad Ācademiae studia pertinentium:

(Dr. *Leonini*) A. PALMIERI, Il progresso dommatico nel concetto cattolico, pag. 23—25. (Dr. *P. Sinthern*) A. PALMIERI, Theologia dogmatica orthodoxa ad lumen catholicae doctrinae examinata et discussa. T. I. p. 5—39. (Dr. *R. Špaček*) AL. BUKOWSKI, S. I., Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie, p. 130—133. (*A. Špaldák*) Revue de l'Institut Catholique de Paris 1908—9. p. 133. The Journal of Theological Studies 1908—11, p. 134—135. Stimmen aus Maria Laach 1909—11, Historische Zeitschrift 1909—11, Revue des Sciences Philosophiques et Theologiques 1909, Revue Bénédictine 1909—11, p. 135 ad 136. Libri recentiores, p. 136. (*A. Špaldák*) DR. ANTON OTT, Die Auslegung der neutestamentlichen Texte über die Ehescheidung, p. 197—9. THOMAS LEMPL, Das Herz Jesu. p. 199—206. MICHEL D'HERBIGNY, Un Newman Russe: Vladimir Soloviev, p. 206. FERNAND MOURRET, Historie Générale de l'Eglise, p. 206. (Dr. *J. Hadzsega*) Revista Teologica 1910—11, p. 206—208.

Varia:

Interrogationes et Responsa: Quomodo ecclesiae catholicae veritas optime probetur (*Rostworowski*), p. 39—42; De iuridismo.

qui theologiae occidentali (scholasticae) obicitur (*A. Špaldák*), pag. 208—212; De peccati virtutisque natura et vi quid sentiant orientales, p. 212—215. — Libellus III. conventus Velehradensis, pag. 42—43; Tretij bogoslovskij s'ězd, p. 43—44.

Pars II.

Dr. *J. Vajs*. Glagolitica ab a. 1900—1910 p. 45—47

Conspectus singulorum operum recentium:

BOHEMICA: (*A. Rejzek*) F. KLOBOUK, Kdy byly stanoveny články víry, p. 47—49; (*A. Špaldák*) Český slovník bohovědný, pag. 49—64; FRANT. POHŮNEK, Antika a křesťanství, p. 137—138; JULIUS KOŠNÁŘ, O svatém Václavu a vývoji úcty svatováclavské, p. 138; (*J. Vraštil*) Libri novi, p. 217—223; (*Jar. Ovečka*) DR. FR. KRYŠTŮFEK, Rozluka církve a státu ve Francii, p. 223.

SLOVACICA: (*A. Špaldák*) Slovenske Pohľady, p. 138—139.

POLONICA: (*A. Špaldák*) J. BORODZICZ, Pod wozem i na wozie, pag. 64—65; (*A. Špaldák*) DR. J. KACZMARCZYK, Bóstwo Chrystusa Istotą Ewangelii, p. 65; (*A. Špaldák*) Libri anno 1910 editi, pag. 139—141; (*J. Vraštil*) DR. M. ŻMIGRODSKI, Przegląd historyi sztuki w Polsce, p. 141—142; (*E. Matzel*) MARYA Z PRAGI, Chrześcianie ewangelicznii, p. 142; Kwartalnik historyczny 1910, p. 142 ad 144; (*A. Špaldák*) Miesięcznik Kościelny 1910, p. 144—145; (*J. Vraštil*) Eos 1909—10, pag. 145; Kwartalnik Litewski 1910, p. 145—146; Krytyka 1908—10, Prąd 1910, Biblioteka Warszawska 1910, Przegląd historyczny 1908, Roczniki Towarzystwa przyjacioł nauk poznańskiego 1907—8, pag. 146—147; Przegląd Powszechny 1910, p. 147—154.

RUTHENICA: (*Dr. Ludkiewicz, Dr. Leonini*) DR. VAS. MASCJUH, Cerkovnoe supružje pravo, p. 154—155; (*A. Špaldák*) Zapysky naukovoho tovarystva imeny Ševčěnka 1909—11, pag. 155—156; Zapysky Ukrain. Nauk. Tov. v Kyivi, p. 156.

RUSSICA: (*B. Ráček*) N. POKROVSKIJ, Pamjatniki cerkovnoj stariny v Kostromě, p. 65—66; (*A. Palmieri*) Věra i Razum 1909—10, pag. 66—71; (*M. M.*) M. REJSNER, Duhovnaja policija v Rossii, p. 72; (*Dr. Leonini*) P. TROICKIJ, Cerkov' i Gosudarstvo v Rossii, p. 72—74; (*O. Žitlek*) Trudy kievskoj duhovnoj Akademii 1908, p. 75—80; 240—243; (*M. Haľuščyńskij*) B. MYŠCYN, Ustrojstvo hristianskoj cerkvi v pervye dva věka, pag. 80—86; (*Dr. Leonini*) PROF. VL. KERENSKIJ, Čto razděljaló i razděljaet vostočno-pravoslavnuju i zapadnuju starokatoličeskiju cerkvi? p. 157—158; Čtenija v imperatorskom obščestvě istorii i Drevnostej Rossijskijh pri moskovskom universitetě 1908—10, p. 158—159; Izvěstija imperatorskoj akademii nauk 1908—11, pag. 159—160; Russkaja Starina 1908, p. 160; Cerkov' 1909, p. 160—161; Mis. Obozrěnie 1909, p. 161;

PETR LEBEDEV, Nauka o bogosluženii pravoslavnoj cerkvi, p. 161 ad 163; P. MANSUROV, Konstantinopol'skaja Cerkov', p. 163; V. E. MAKAROV, Očerk istorii starobrdjadčestva, p. 164; (*A. Špaldák*) Libri anno 1910 editi, p. 223—234; (*Dr. Thomas Hulec*) N. GLUBOKOVSKIJ, Blagověstie sv. Apostola Pavla po ego proišhoždeniju i suščestvu, pag. 234—240; (*M. Haľuščynskij*) Bogoslovskij Věstnik 1909, pag. 243—248.

BULGARICA: (*A. Špaldák*) M. DRINOV, Sľčinenija, p. 86—87; (*Adolf Špaldák*) Sbornik za narodni umotvorenija nauka i knižnina 1906 ad 1909, p. 164—165.

SERBICA: (*Dr. J. Šimrak*) Věstnik Srpske Crkve 1909, p. 165—167; Bogoslovski Glasnik 1909—10, p. 167—176.

CROATICA: (*F. Snopek*) S. RITIG, Povijest i pravo slovenštine u crkvenom bogoslužju sa osobitim obzirom na Hrvatsku, I. p. 87—94; (*J. Lovriček*) Vrhbosna 1909, p. 94—95; (*K. Dočkal*) F. PLEVNJAK, Rad svećenstva na školsko-prosvjetnom polju, p. 95—96; (*Dr. K. Dočkal*) JANKO BARLĚ, Povijest turopolskih župa, pag. 248—249; (*Dr. J. Šimrak*) DANE REBA, Izbornik za crkveno-pravne odnose različitih katoličkih obreda s obzirom na istočnu crkvu u Hrvatskoj, p. 249—251; (*Dr. K. Dočkal*) Bogoslovska Smotra 1910—11, p. 251—255.

Externa de Slavis p. 176

Nuntii procurationis p. 176





Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

PRAEFATIO.

Horum commentariorum etiamsi alius sit titulus aliusque ordo rerum, idem tamen est institutum, quod illorum, qui „Slavorum litterae theologicae“ inscribentur idemque qui illorum adornandorum edendorumque saltem quattuor proximos annos curam gerebat, horum quoque gerit. Quapropter eandem benevolentiam et a lectoribus et a scriptoribus petimus, quam antea praestabant.

Ordo mutatus est, quia prior multis minus placebat, nomen, ne de nomine certaretur. Cum enim exeunte anno 1910 Dr. Podlaha Slavorum litteras theologicas non collegii ad ea edenda Velehradii constituti sed suas et Dris Tumpach esse ratus abhinc aut nihil aut conspectum litterarum solum se edere posse sibi persuasisset nomenque illud sibi vindicasset, neque sperari potuisset eos, qui hucusque iis edendis operam dedissent, eum esse adiutores et Academia Velehradensis actis suis indigeret, neque propositum ea edendi mutare posset, nuntius de consilio edendi ab Academia pro Slavorum litteris theologis „Acta Academiae Velehradensis“ omnibus iis missus est, quos huius operis socii antea Slavorum litteris theologis conciliaverant. Quo facto inter Academiam Velehradensem et Doctores Podlaha et Tumpach convenit, ut pro certa summa pecuniae illi omnia exemplaria Slavorum litterarum theologiarum praeberentur neve ab his commentarii similes ederentur.

Prius autem primus fasciculus edi non potuit, quia et typographus, qui rem susceperat, cum incommoda metueret, re incohata a proposito discesserat et, cum bis ab ipso, qui priorum commentariorum edendorum curam gesserat, novorum gesturus erat, tertium ab Excellentissimo Academiae Praeside petitum esset, ut censura ordinariatus ei committeretur qui antea eo munere saltem quattuor proximos annos functus esset, demum mense Iunio saltem magna ex parte hoc est concessum.

Cum haec Acta priores Slavorum litteras theologicas excipiant etiam numero VII. huius anni volumen insigniendum esse visum est, praesertim cum Indice nominum et rerum quinto quoque anno edendo et. VI. annum Slavorum litterarum theologiarum comprehendi oporteat. Quod bonum faustum felix fortunatumque sit!

A. Špaldák.

De Conceptione Immaculata B. Mariae Virginis apud Russos, saeculo XVII.

Una e praecipuis dissensionibus dogmaticis, quae hodie catholicos inter et Orientales orthodoxos vigent, est doctrina de Conceptione immaculata Beatae Mariae virginis. Catholici quidem, iam a sollemni definitione a Pio nono, anno 1854 prolata pro dogmate ab omnibus firmiter tenendo habent Beatam Mariam Virginem a primo instanti suae conceptionis ab omni originalis culpa labe, propter futura merita Christi Salvatoris praeservatam, immunem fuisse; orthodoxi autem, et illi qui ad gentem slavicam et qui ad hellenicam pertinent, in reiciendo illo dogmate sunt unanimes. Eorum sententia, Beata Dei Genetrix vere contraxit peccatum originale, a quo, si plerosque eorum theologos audias, non fuit purgata nisi die Annuntiationis, cum Verbum caro factum est. Et hunc quidem qui nunc est consensus catholicae unanimitati directe oppositum maxime mirum invenio, ex eo quod historia compertum est apud veteres Byzantinos, usque ad XV saeculum inclusive, Conceptionem immaculatam B. Mariae non solum nunquam esse oppugnatam, verum etiam, implicite ab omnibus, explicite et diserte a non paucis, propositam fuisse et creditam. Num a saeculo XV inter orthodoxos concilium aliquod oecumenicum, quod esset octavum, congregatum est, quod rem infallibiliter decreverit? Minime. Undenam igitur haec unanimitas tam recens, antiquae concordiae contraria?

Aliam causam huius rei non invenio nisi quamdam necessitatem, qua, iam ab exorto schismate, orthodoxia impellitur ad negandum quidquid in catholicitate speciem habet dogmatici progressus, maxime si progressus ille ad illustrandum infallibile successoris Petri magisterium aliquid confert. Definitio autem conceptionis Immaculatae est omnino huiusmodi. Haec vera et profunda ratio cur nostris diebus orthodoxi in repellendo dogmate nostro facti sint unanimes. Non nego tamen protestanticae theologiae contagionem, quae iam a saeculo XVI apud quosdam Graecos se prodidit, hac in re aliquas partes habuisse.

Ac Russos quod attinet, certum est illos per totum XVII^{um} saeculum pristinam Ecclesiae byzantinae doctrinam de sanctitate originali Beatae Mariae retinuisse, et demum medio illo saeculo,

Graeculos aliquot, et apud solos Moscovitas, prima eius quae nunc communis evasit negationis vestigia intulisse; quod iam lectori benevolo, documentis allatis, indicare volo. Commentationem autem hanc in tres partes dividam, secundum vulgatam illam trinam Russiae geographicam partitionem in Velicorussiam seu Moscoviam, Malorussiam et Bëlorussiam. Iam a Malorussia incipiam.¹⁾

I. De Conceptione immaculata apud Malorussos.

Initio saeculi XVII, Orthodoxi in Malorussia degentes, Polonis tum subditi, Latinis et Uniatis infensissimi erant. Unio enim Brescii anno 1595 pacta illorum iram concitaverat; accedebant vexationes, quas a magnatibus polonis patiebantur. Unde nullo modo ad mutuandam a Latinis doctrinam, quae heterodoxiam, quamvis exigue, redoleret, propensi erant. Neque dici potest illorum theologos et polemistas dogmata orientalis orthodoxiae non bene novisse; si quidem omnes alios orthodoxos, non solum Moscovitas sed etiam Graecos, scientia superabant, ut videre est ex operibus ab ipsis conscriptis. Et hoc quisque facile intellet, si secum reputaverit illis cum doctissimis Latinis, maxime Jesuitis, rem fuisse. Atqui (quod in hac re maximi est momenti) tantum abest ut illi theologi et polemistae doctrinam de Conceptione Immaculata, prout a Jesuitis in Poloniae academiis proponebatur, oppugnaverint, ut ipsi hanc eandem sententiam in publicis lectionibus in gymnasio Kioviensi habitis, in contionibus sacris, in colloquiis, in libris tuiti sint. Idque non transeunter sed diserte, non paucos annos sed per saeculum integrum, non ut doctrinam liberam, sed ut omnino tenendam et ad fidem pertinentem, illam discipulis et fidelibus tradiderunt, faventibus et approbantibus fidei doctoribus, episcopos dico et metropolitanos.

E quibus illustrior sine dubio fuit Petrus Mogilas (1596 1647); collegii Kioviensis fundator, et ab anno 1633 eiusdem civitatis metropolita, qui tam contra Latinos et Uniatas quam contra Lutheranos, suorum fuit dux acerrimus. Suum quidem in-

¹⁾ De doctrina Russorum circa Immaculatam Conceptionem praeclarum opusculum edidit R. P. Gagarin, S. J.: *L'Eglise russe et l'Immaculée Conception*, Paris, 1876, in quo probat et e testimoniis doctorum Kioviensium, qui saeculo XVII^o fuerunt, et e fide Palaeodoxorum seu raskolnikorum, atque etiam e liturgia, Ecclesiam russicam aliquando privilegium mariale admisisse. In appendice textus genuinos exhibet. Hoc opusculum fuit mihi valde utile et non pauca ex illo excerpti. Iam anno 1858, doctus Iesuita aliqua testimonia Academiae Kioviensis publici iuris fecerat sub titulo *Любопытныя свидѣтельства о непорочномъ зачатіи Богородицы*, quae examini subiecit aliquis auctor anonymus in *Христіанское чтеніе*, 1859, t. II. p. 383—399. Postquam opusculum gallice conscriptum in lucem prodit I. N. Subbotin argumentorum a Gagarin allatorum vim infringere tentavit in *Душеполезное Чтеніе*, 1879, t. I, pp. 44 - 74, 303—324. (Римскій догмать о непорочномъ зачатіи Дѣвы Маріи; Письмо къ Іезуиту Гагарину.)

genium, in scholis polonicis et extraneis convenienter excultum, suum cum principe Moscoviae amicum commercium atque cum patriarcha Mosquensi Philareto Nikitič et oecumenicis patriarchis, qui exarcham pro monasteriis stavropegiacis Malorussiae illum designarunt, optima necessitudo, magnam ipsi auctoritatem conciliabant. Ex omnibus scriptis, quae ei attribuuntur, unum fuit mihi praesto, illius catechismus, qui postquam correctus et a patriarchis orientalibus, anno 1643 approbatus est, Confessio orthodoxa Orientalis Ecclesiae evasit. In hoc opusculo, inter Ecclesiae orthodoxae symbolicos libros principe, nulla quidem expressa Immaculatae Conceptionis affirmatio inveniri potest, quaedam autem verba, hanc doctrinam implicite continentia, deprehenduntur.

Ut exemplum afferam, postquam, in quaestione vicesima quarta primae partis, originale peccatum ad omnes Adami posteros pertinere dictum est, in quaestione sequenti declaratur Deum, quamquam lapsum praevideisset, hominem creasse, quia Filium suum Unigenitum in mundum missurus erat, ex purissima Virgine (ἀπὸ καθαρωτάτην παρθέρον) incarnandum.¹⁾ Nonne hoc appositum „καθαρωτάτη“ declarationem universalitatis labis originalis immediate subsequens, Matrem Jesu ab ea fuisse servatam indicat? Verba huic similia, ut ἀμόλυντος (immaculata), πάντα-γνος (omnino sancta), etc., saepe in opere leguntur. Hanc salutationis angelicae explanationem adnotare iuvat: „Virgo plena gratia (κεχαρισωμένη) appellatur, quia gratiam divinam participat magis quam omnis alia creatura, et ideo Ecclesia super Cherubim et Seraphim illam exaltat.“²⁾

Non nego quidem has et similes locutiones satis facile ab Immaculatae conceptionis adversariis in sensum ipsorum detorqueri posse, et re vera Meletius Syrigus, qui in catechismo Kioviensi, a patriarcha oecumenico iussus, correctiones fecit, nihil in illis reprehensione dignum invenit, quamvis privilegii marialis acer negator extiterit.³⁾ Sed pro certo habeo ipsum Petrum Mogilam his epithetis, Catholicorum instar, sensum absolutum subiecisse, Etenim, eo vivente neque reclamante, doctrina de conceptione Immaculata in collegio Kioviensi publice tradebatur, maxime a Josepho Kononovič Gorbatskij, qui ab anno 1642 ad annum 1645

¹⁾ *Michalcescu*, Die Bekenntnisse der griechisch orientalischen Kirche, Leipzig, 1904, p. 40—41; Cf. p. 45, 46, 47 etc.

²⁾ Ὀνομάζει τὴν παρθέρον κεχαρισωμένην. πῶς αὕτη εἶναι μέτοχος τῆς θείας χάριτος, περισσότερο κἄν ἕνα ἄλλο κτίσμα διὰ τὴν εἶναι μήτηρ Θεοῦ· καὶ διὰ τοῦτο ἡ Ἐκκλησία τὴν ὑψώνει ὑπὲρ τὰ Χερουβὶμ καὶ Σεραφίμ. Ibid., p. 48.

³⁾ De Meletio Syrigo, uno e praecipuis theologis graecis saeculi XVII fuse scripsit P. Pargoire, in „Echos d'Orient“ 1908 et 1909. Theologus ille, in opere „Ἀντίρρησις κατὰ καλβινικῶν κεφαλαίων“, Bucarestii, 1690, p. 31—32, docet Beatam Virginem a peccato originali esse purgatam, cum, Angelo nuntiante, Spiritus sanctus descenderet in illam: ὡς ἂν ἐκαθαρίσθηκεν ἀπὸ τῆν προπατορικῆν ἁμαρτίαν προτύτερα μὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὁποῦ ἐδέχθηκε μέσα της.

rector fuit, et postea, Belorussiae archiepiscopus creatus, con-
fraternitatem piam iuventutis utriusque sexus, sub titulo Imma-
culatae Conceptionis sua auctoritate probavit; de qua infra non-
nulla dicturus sum. Nota ipsum Kononovič unum e tribus de-
legatis Petri Mogilae fuisse ad synodum, seu potius collationem
Jassensem (1642), in qua confessio orthodoxa orientalis Ecclesiae
examinata et correctata est a theologis graecis, quos oecumenicus
patriarcha miserat.

* * *

Alius rector gymnasii Kioviensis, ab anno 1645 ad 1648¹⁾ Laza-
rus Baranovič († 1694) dogma catholicum de conceptione Deigene-
trici enucleate exprimit in opere cui titulus: *Tubae praedica-
torum pro festis diebus totius anni*. En quae scripta
legimus in sermone quem habuit de conceptione Beatae Mariae:

„Omnes nos sic precamur; „Ecce in iniquitatibus con-
ceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea“
(Psal L, 7). Tu vero sola es, o Maria, quam haec precatio non
deceat, quippe quae in iniquitate concepta non sis et in peccatis
non nata. Quae paritura eras illum, qui mundum ab omnibus pec-
catis liberaturus erat et omnes iniquitates deleturus, conveniens
omnino erat ut sine peccato concipereris . . .“²⁾

„Num Deus, qui omnia potest, facere non poterat ut Mater
sua sine originalis labis contagione conciperetur? Et si potuit,
fecit, qui omnia in sapientia disponit. Non decebat Matrem Do-
mini, etiam ad breve tempus, peccati esse servam, cum inter
omnes creaturas primas teneat. Dei generici sponsus dicit: „Tota
pulchra es, et macula non est in te (Cant. Cantic.
IV, 7). Nihil ergo peioris in illa invenit. In tua sancta concep-
tione caput serpentis contrivisti; et ille in Conceptione tua Imma-
culata te vulnerare non potuit³⁾! . . .

„Qui in peccato originali nati sunt, filii daemonis vocantur.
Quomodo ergo Deus Matrem suam ab ista servitute non prae-
servaverit? Quomodo, sine damno proprii honoris ab illa nasci
potuisset, quam suam servam daemon vocandi ius habuisset?
Diluvium omnia mersit et arca Noe sola naufragium fugit. Eodem
modo peccatum originale omnes homines voravit, ita ut cum
Psalmistam genus humanum clamet: „Salvum me fac, Deus,
quonia in traverunt aquae usque ad animam meam“
(Psal. LVIII, 2). Sola veri Noe vivens arca mersa non est et
illaesa permansit.“⁴⁾

¹⁾ Quantum conicere possum, e fontibus russicis, quos mihi adire
licuit, qui non bene concordant.

²⁾ Труды на дни парочные праздниковъ, Кіовіае, 1674 et 1684, p.
100 v^o. Cf. *Gagarin*, op cit. pp. 13 et 66.

³⁾ Труды, p. 101.

⁴⁾ Ibid., p. 102—104.

Ecce quae fidelibus orthodoxis Lazarus ille Baranovič prae-
dicabat, quem Demetrius Tuptalo, Rostovensis episcopus, inter
sanctos a Russis relatus, columnam Ecclesiae vocabat; qui ab
anno 1657 černigovensem rexit Ecclesiam; qui magnae synodo
Mosquensi anno 1667 interfuit, et a patriarcha Joakimo invitatus,
historiam concilii florentini concinnavit. Quomodo fieri potuit, ut
illustris ille orthodoxus a tramite verae orthodoxiae, quam nunc
iactant, deflecteret? Res sane explicatu difficilis.

In templo autem orthodoxiae columna illa non mansit soli-
taria. Dum Baranovič rectoris officium agit, discipulus erat Ioan-
nicus Galjatovskij cui multum favebat, († 1688). Hic studiorum
curriculo expleto, bis in collegio magisterio functus, primum
quidem ab anno 1650 ad 1651, deinde vero ab anno 1655 ad 1657,
tandem rectoris ministerio (1658 ad 1659) decoratus est. Ut scribit
M. T. Titov,¹⁾ fuit Ioannicus scriptor egregius et polemista acer-
rimus contra Latinos et Uniatas, quos in quattuor e suis operibus
impetivit. Fuit etiam orator eximius et non unum volumen homi-
leticum edidit. Notum praesertim est illud quod inscribitur „Cla-
vis cognitionis“, in quo inter alias legitur oratio quaedam
de nativitate Beatae Mariae Virginis. Explanans illud marialis
canti: „Fecit mihi magna qui potens est“ (Luc. I, 49)
orator haec habet:

„Tertium mirabile erga purissimam Virginem a Deo patra-
tum, fuit ut a peccato originali eximeretur; etenim purissima
Virgo et concepta et nata sine peccato originali est. Sicut enim
terra, ex qua vetus Adam formatus est, pura erat et non male-
dictioni obnoxia (Gen. II, 7), ita etiam purissima Virgo, quae est
terra ex qua novus Adam Christus prodiit, immaculata erat, ma-
ledictione originalis peccati non contaminata.

„Arca Noe figura fuit immaculatae Deigenetricis conceptionis.
Diluvium enim, omnia, et homines, et pecora, et volucres, et
reptilia, etiam et montes demersit; arca autem Noe sola profun-
dum effugit. Eodem modo, peccatum originale omnes homines
maculavit, et sola intacta permansit purissima Virgo.

„Alium typum Deigenetricis purae conceptionis in vellere
Gedeonis videre est. Cum enim omnis terra sicca esset, vellus
Gedeonis rore madidum erat (Iudic. VI, 37). Ita peccatum ori-
ginale omnes homines attingit. secundum illud Psalmi: „Ecce
in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis con-
cepit me mater mea“ (Psal. L, 8); purissima autem Virgo non
peccatum originale sed gratiam Dei hereditavit. Et ideo angelus
Gabriel illi dixit: „Gaude, et gaudio tibi dato fruiere; Dominus
enim tecum. Te plenam gratia saluto; Dominus tecum“ Haec
angelica verba puram purissimae Virginis conceptionem nobis
denuntiant. Sicut enim vas, quando olei plenum, aquam aut ali-

¹⁾ Православная богословская энциклопедія, т. VI, col. 749
ad 750.

quid aliud liquidi recipere non potest, quia spatium deficit; ita in purissima Virgine locus non est non solum peccati originalis, sed etiam cuiuslibet alterius peccati, quia gratia Dei plena est.¹⁾

Galjatovskij, vir Mariae devotissimus, opus speciale in eius honorem composuit sic inscriptum: „Novum caelum novis stellis concreatum“ seu: „Benedicta Virgo Maria, Dei Mater, cum suis mirabilibus“.²⁾ Suspicio in hoc opere quaedam ad Conceptionem immaculatam pertinentia inveniri, quamvis pro certo illud dicere mihi non liceat, quippe qui volumen non viderim. Quae tamen proxime relata sunt de sententia oratoris satis nos commovent.

Non minus enucleate alius Kioviensis discipulus, Antonius Radivilovskij nomine, qui Pečerskiensis Laurae vicarius fuit, de dogmate nostro disserit in „Viridario Mariae, Matris Dei“. Kioviae anno 1676 edito. Audiantur excerpta quaedam homiliarum „in Conceptionem Immaculatam Mariae semper Virginis, Dei genetricis et Dominae nostrae benedictae“:

„Verum quidem est nos omnes, qui ab Adamo carnali generatione originem ducimus, vinculis originalis peccati a primo instanti conceptionis implicari; infernus artifex, diabolus, omnes nos invadit, et omnes post Psalmistam possumus dicere; „Ecce in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea“ (Psal. L, 7). — — Samuel quidem et Jeremias et praecursor Joannes ad magna a Deo deputati sunt. Primus fuit iudex in Israel, alter propheta, tertius baptizavit et paenitentiam praedicavit; nullus autem ex illis originalis peccati labem effugit; psalmista enim praeterea dicit: „Erraverunt ab utero“ (Psal. LVII, 4). Hoc privilegium a Deo recepit sola purissima Virgo Maria, secundum promissum antiquum „Ipsa conteret caput tuum“ (Gen. III, 15). Vincula diabolica originalis peccati ipsa nescivit, quae etsi ab Adamo naturali generatione nata, adamici peccati labem in se non recepit...“³⁾

„Sanctus Gregorius hoc bene noverat, qui in secunda homilia de Conceptione, puritatem Mariae Cherubim et Seraphim et aliorum caelestium agminum puritatem superasse declarat. E quo concludo: „Si in conceptione sua, Maria quicquam originalis contagionis sensisset. Angelos, omnis maculae peccati expertes, puritate non utique superasset.“⁴⁾

Sane contionator catholicus nostri temporis non expressius loquitur de Immaculata conceptione quam Antonius Radivilovskij, Si autem rediviŕus ille, inter huius temporis orthodoxos rediret,

¹⁾ Ключъ разумѣнія, Кіовіі, 1659, p. 171—173. Cf. *Gagarin*, p. 71-73.

²⁾ Православная энциклопедія loco cit.

³⁾ Огородокъ Маріи Богородицы, Кіовіае, 1676, p. 718; *Gagarin*, p. 75—76.

⁴⁾ *Ibid*, p. 728.

nonne ut haereticus expelleretur, si sententiam mutare nollet? Unde hoc? Numquid septem oecumenica concilia de hac re quicquam definire quod Antonius noster non bene perspexerit?

* * *

Huius coetus illustrium polemistarum et oratorum Russiae meridionalis Maecenas fuit Innocentius Gisel († 1683). Ex parentibus lutheranis oriundus, mature orthodoxus et monachus factus est. Sub Petro Mogila, in collegio Kioviensi docuit, deinde rector fuit (1648 - 1656). Laurae Pečerskiensis, anno 1656, archimandrita creatus, hoc munus usque ad mortem obiit. Ecclesiae suae fidem strenue propugnavit maxime contra Patres societatis Jesu. Adversus P. Boehmii opus „De vera fide“ concinnavit et cum Patre Cikovič per tres dies, ut ferunt, de religione disputavit, Ceteris scriptoribus Malorussiae in componendis, corrigendis, edendisque eorum libris adiutor fuit assiduus, velut cum orationes sacras Baranovičii expolivit, Tu bas que praedicatorum, in lucem edendas curavit. Idem dicendum de „Viridario Mariae“ Antonii Radivilovskij¹⁾. Unde manifesto apparet eum Immaculatam Virginis Conceptionem admisisse, cum in duobus operibus quae indicavimus, ab illo recognitis haec doctrina aperte exponatur.

Petro Mogilae, Kononovič, Baranovič, Galjatovskij, Radivilovskij et Gisel tria alia celeberrina nomina adiungere debemus; Varlaamum Jasinskij, Demetrium Tuptalo, Stephanum Javorskij. Qui omnes originalem sanctitatem Beatae Virginis propugnarunt.

Varlaamus Jasinskij primum quidem in collegio Kioviensi studuit; deinde celebris Academiae Cracoviensis auditor et laureatus exstitit, quamquam orthodoxus erat²⁾. In patriam reversus, collegium Kioviense rexit ab anno 1669 ad 1673, postea Laurae Pečerskiensis archimandrita creatus est; tandem, ab anno 1690 ad 1707 metropolitanus Russiae meridionalis fuit. Cum officio archimandritae in Laura fungeretur, Demetrium Tuptalo hortatus est ut Četii Minei, Vitas sanctorum ordine Menologii dispositas scriberet. Cuius magni operis prima pars, tres menses Septembrem, Octobrem, Novembrem complectens, Kioviae, anno 1689, edita est. Ad festum autem Praesentationis Beatae Mariae in templo, die 21^a Novembris, haec legebantur:

„Maria in Sancta sanctorum, quamvis tenera puella, introducta est, eo quod in conceptione sua sanctificata fuerat³⁾).

Haec verba et alia quaedam latinismum redolentia patriarchae Mosquensi Ioachimo (1674—1690) displicuerunt, quia ille

¹⁾ Православ. энцикл., t. V.; col. 944—950.

²⁾ Ibid., t. III, col. 147.

³⁾ Cf. C. Tondini, La Russia e l'unione delle Chiese, Romae 1895, p. 55.

patriarcha iam a fratribus Lichudis, ut postea videbimus, adversus doctrinam de Conceptione Immaculata praeoccupatus fuerat. Ex quo factum est ut archimandritam Jasinskij, qui typographiae Pečerkiensi praeerat, moneret Ioachimus de delendis in sanctorum Vitis Demetrii quibusdam locis, inter quos erat locus supra allegatus de Beatae Mariae Conceptione¹⁾. Ac Jasinskij mandato huic quidem superioris his humillimis verbis obtemperavit.

„Indignitas nostra, ad pedes Sanctitatis vestrae provoluta, pro omnibus his erroribus, qui ignorantiam nostram fefellerunt, veniam patriarchalem humillime precatur, et omnino iussum vestrum archipastorale exsequetur. Duo ista folia iterum typis mandabuntur et loco priorum his voluminibus inserentur“²⁾

Verba autem ista, ut bene notat C. Golubev³⁾ sincerum mentis obsequium non exprimebant, sed oboedientiam dumtaxat exteriorem et canonicam. Etenim Varlaamus nullo modo a sententia a Demetrio circa conceptionem Immaculatam prolata recessit. Donec metropolitanam Kioviensem rexit Ecclesiam (anno 1690 ad 1707), magistri Academiae Immaculatam Conceptionem docere perrexerunt. Inter conclusiones philosophicas et theologicas, quas, anno 1695, collegium metropolitae dedicavit, haec inveniebatur: „Beatissima haec sponsa, et ante partum, et in partu et post partum est Virgo sine labe originali concepta“⁴⁾.

Conclusiones illae erant in foliis conscriptae (affiches) quas foribus monasterii Bratskiensi (Fraterni) affigebant et in quibus dies publicorum examinum thesesque defendendae indicabantur. Kioviae enim ludi scholastici, quos apud Iesuitas Polonos cognoverant, in usu erant. Folia illa saepe historicis et symbolicis picturis ornata erant cum nuncupatione alicui illustri viro, rectori, metropolitae facta etc. Anno igitur 1695, Varlaamo Jasinskij praesidente, in gymnasio Kioviensi thesis de Immaculata Conceptione Beatae Mariae publice discussa est.⁵⁾

Ex iis quae supra diximus, iam testimonium Demetrii Rostoviensis pro nostro dogmate habemus. Hic, quem Ecclesia russica inter sanctos rettulit et cuius secundum centennarium nuperrime celebravit (1709 – 1909) Kioviae studuerat, Ioannicio Galjatovskij rectore. Anno 1675, Lazarus Baranovič illum ad ordinem presbyteratus promovit. Postea, regnante Petro Magno, metropolita Rostoviensis creatus est. Fama sanctitatis eius et veneratio qua orthodoxi illum colunt, momentum eius de Immaculata Conce-

1) C. Golub'ev: Объяснительные параграфы по истории западно-русской церкви, in periodico Труды кievской дух. Академии, Nov. 1904, p. 467, not. 2.

2) Ibid.

3) Ibid.

4) Ibid., p. 468.

5) Hanc definitionem conclusionum mutuo ab A. P. Rybolovskij: Varlaam Vanatovič, Труды, Sept 1908, p. 82–83.

ptione testimonii adauget. Nullum enim adest indicium illum pristinam sententiam in Ceti Minei expressam reiecisse. Immo valde probabile est hanc sententiam in collegio ab ipso in dioecesi Rostoviensi, quod Kioviensis instar condidit, illo favente, traditam esse.¹⁾

Stephanus Javorskij, qui apud Varlaamum Jasinskij plurimum valebat, et Demetrii Rostoviensis familiaris, celeberrimus fuit theologus, in scholastica latina optime versatus. Ex Russia meridionali oriundus, collegii Kioviensis discipulus, postea in Poloniam, ubi catholicam fidem ad tempus amplexus est, studiorum causa profectus, primum quidem Rjazanensi metropoli praefectus est; deinde vero Petrus Magnus exarcham patriarchalis sedis, morte Adriani vacantis, illum constituit donec synodus dirigens officium iniret (1721.) Unam ex operibus ab ipso conscriptis perlegi „Petram fidei“ adversus Novatores, Calvinistas et Lutheranos Christianam fidem propugnantem. De Conceptione Immaculata Beatae Mariae expresse ibi quidem nihil dicit sed tam magnifice absolutam impeccabilitatem illius quam semper vocat purissimam et immaculatam Deigenetricem extollit, ut implicite dogma nostrum affirmare credendus sit: „Soli similis, ait, purissima et immaculata Deigenetrix ab omni et levissimo peccato est omnino libera“²⁾ Revera aliunde scimus theologum nostrum diserte conceptionem Immaculatam professum esse. Etenim patriarcha hierosolymitanus. Dositheus, in quadam epistula ad oecumenicum patriarcham missa, tria quae papistae commenti sint illi exprobrat: sententias de Christi verborum vi ad consecrandam Eucharistia, de Conceptione Immaculata Beatae Mariae et de transmutatione particularum (*μερίδων*) in corpus Christi³⁾.

Si omnia opera a collegii Kioviensis discipulis saeculo XVII^o concinnata in promptu haberemus, multo plura testimonia privilegio mariali faventia afferre possemus. C. Golub'ev, in commentatione iam allegata, nos docet summaria scholastica, in Academia adhibita initio saeculi XVIIIⁱ, dogma catholicum retinere⁴⁾, ut nuperrime P. Aurelio Palmieri hoc esse verum optime probavit⁵⁾. Quae autem protulimus sufficienter demonstrant dogma catholicum de Conceptione immaculata Beatae Mariae Virginis publice

¹⁾ De Demetrio Rostovensi vide caput in *Encyclopaedia orthodoxa theologica* editum, t. IV, p. 1038—1054; *I. A. Štjapkin*, Димитрій Ростовскій и его время. Spb. 1891; *Velegradskij Věstnik* II. Pragae 1910, p. 55—56.

²⁾ Камень в бры, edit. Mosq. 1843, t. II. p. 309.

³⁾ Τὸ ἓνα εἶναι ὅτι τάχα παναρία καὶ κυρία θεοτόκος ἐγεννήθη χωρὶς τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας, τὸ ὅποσον ἀντίκειται τῇ δοξῇ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. *Delicantis. Πατριαρχικῶν ἐγγράφων τόμος τρίτος*. Constantinopoli, 1905, p. 211—215. Dositheus oecumenico patriarchae scribit ut interventu suo apud Petrum Magnum electionem Stephani ad sedem patriarchalem impediatur.

⁴⁾ Труды, loc. cit, p. 468

⁵⁾ Bessarione, Januar-Mart. 1909. p. 1—5 et et Acta secundi conventus Velehradensis, p. 39.

et per saeculum integrum a magistris collegi Kioviensis et Malorussiae praesulibus esse propositum et propugnatum, quamvis omnes isti et Latinis infensi et rigidi orthodoxi essent. Nunc ad Bělorussos transeamus.

II. De Conceptione immaculata apud Bělorussos.

Sicut Malorussia ita et Belorussia, saeculo XVII^o, Poloniae regni pars erat et discordiae inter catholicos et orthodoxos etiam vehementiores et acriores ibi ardebant quam in regione Kioviensi. Recordetur lector episcopatus sancti Josaphat et eius martyrii Vitebskii, anno 1623. facti. Certe hic rerum status nullo modo ad doctrinam alterius partis sequendam iuvabat. Atqui Immaculatam Conceptionem adeo non, ut Orthodoxiae contrariam, tum in suspicionem vocabant, ut orthodoxi ipsi cum catholicis de studio et cultu huius mysterii certarent; tantum abest, ut illis hanc sententiam crimini verterint. Ad probandum Belorussos saeculo XVII Conceptionem Immaculatam amplexos esse, satis esset animadvertere episcopos illius regionis omnes gymnasii Kioviensis discipulos fuisse. At certius testimonium in hac re afferre possumus, quod C. Golub'ev nuper evulgavit. Qui nos certiores facit, fuisse in urbe Polocensi, saeculo XVII^o medio, aliquam confraternitatem orthodoxam iuventutis sub titulo Conceptionis Immaculatae.¹⁾

Leges confraternitatis, anno 1650, die secundo Februarii, decretae sunt. et anno proximo, die decimo Junii a Josepho Kononovič Gorbatskij, qui metropolita Belorussiae proxime creatus erat, approbatae. In epistula approbationis, quae inter manuscripta monasterii sancti Michaelis Kioviae adhuc servatur,²⁾ praesul dicit hegumenum monasterii Epiphaniae in urbe Polocensi, magnificentissimum Meletium Kgheidroty, postulationem aliquam sibi obtulisse ut instituendae confraternitati bene diceret. Cum talis societas fidelibus non parum profutura sit, episcopus bene dicit et approbat eam libenter, confirmatque decreta omnia sibi oblata. Pastores animarum, ut omnes sodales Ecclesiae orientalis orthodoxae fidem profiteantur, invigilare debent; dogmata illius discant et fideliter servant usque ad mortem; episcopo et iis, qui ei succedent a metropolita Kioviensi legitime ordinati, omni tempore subiecti sint.

Illud quidem mirum non est, quod Kononovič, defensor ille strenuus orthodoxiae et Uniatarum hostis infensissimus, tam sollicitè efflagitat a sodalibus puritatem fidei; sed mirum sane esset, si orthodoxus huiusmodi a pura orthodoxia in re gravissima deflexisset, admissio dogmate de Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis, et confirmata sua episcopali auctoritate confraternitate sub titulo illius mysterii constituta! Nonne noverat ille

¹⁾ C. Golub'ev, Труды, loc. cit., p. 464—467.

²⁾ Manuscript. No. 1749.

septem conciliorum oecumenicorum definitiones Patrumque de hac re sententias?

Confraternitatis leges septemdecim capita continent. Secundum Golub'ev, capitulum titulos subiungimus:

- I. De nomine dando confraternitati.
- II. De votis Deo iuratis accurate servandis.
- III. De obligatione tenendi promissa.
- IV. De modestia in conventibus sodalium observanda.
- V. De diebus officiis divinis et doxologiis (Te Deum) destinatis.
- VI. De obligatione renovandi spiritus.
- VII. De officiis moderatorum et scribae.
- VIII. De rebus confraternitatis.
- IX. De electione moderatorum et scribae.
- X. Nulla res ad confraternitatem pertinens cuiquam sine syngrapha commodanda est
- XI. Confratres moderatores, re prius toti confraternitati non proposita, nihil suscipere debent, neque confraternitati quicquam detrimenti suo agendi modo afferre.
- XII. De iuvandis orphanis, viduis, in carcere detentis, fratre, qui longe a Deo vivit.
- XIII. De sodali, qui modo habitu confraternitatis indigno se gesserit, sine mora denuntiando.
- XIV. De annua eleemosyna danda ex thesauro confraternitatis moderatoribus commisso.
- XV. De fratre aegro adiuvando.
- XVI. De fratribus mortuis sepeliendis et precibus sublevandis.
- XVII. De officiis sodalium monachorum condicionem aut matrimonium ineuntium.

His legibus formula quaedam consecrationis ab omnibus sodalibus utriusque sexus enuntianda praeficitur, quae est: „O sanctissima Virgo Maria, Mater Dei et Virgo immaculata! Ego, peccatrix miserrima (puella est, quae loquitur) N . . ., sanctissimo tuo conspectu indignissima, tibi serviendi desiderio impulsa et freta magna misericordia tua, coram benedicto Filio tuo et universa curia caelesti, me tibi nunc dedo, ut ancillam et servam in Confraternitate Immaculatae Conceptionis tuae, gaudiosae Annuntiationis et Assumptionis gloriosae. Te, ut Matrem dilectam, dominam ac patronam meam eligo, quam fideliter colam nec unquam deseram; maxime vero promitto, omnibus diebus vitae meae, Immaculatam Conceptionem tuam me fideliter honoraturam, a dogmatibus fidei catholicae et orthodoxae non discessuram, sed usque ad mortem in Ecclesia orientali oecumenica, apostolica et in hac sodalitate perseveraturam. Te igitur suppliciter precor, o Sanctissima Virgo, per Unigeniti Filii tui Iesu Christi Domini nostri passionem et sanguinem,

quem pro totius mundi salute et pro me misera et indigna fudit, te obsecro, ut peramanter et misericorditer in numerum ancillarum et servarum tuarum in aeternum me recipias. Adesto mihi benigne in omnibus rebus et necessitatibus meis et maxime in hora meae mortis, quia Mater misericordiae tu es, ad auxilium nostrum semper parata. Amen.

Haec consecrationis formula, inquit Golub'ev ¹⁾ indicat quantum profecerit doctrina catholica de Conceptione immaculata Deigenetricis in Russia occidentali, Polonis, ut apparet magistris. Simili modo omnes fere theologi orthodoxi nostri temporis fidem Malorussorum et Belorussorum explicare tentant. Latinis auctoribus magistrisque omnes rem tribuunt, non animadvertentes hanc explicationem non esse nisi vanum effugium. Etenim theologi Kiovienses, ut vidimus, et in doctrinis Patrum et oecumenicorum conciliorum optime erant versati, et Latinis Uniatisque infensissimi, nec ad ullam illorum doctrinam orthodoxiae rigorosae minus consentaneam amplectendam ullo modo proni erant.

Scriptor anonymus, qui anno 1859, contra Gagarin in *Христианское Чтеніе* scripsit, ²⁾ de credita a Malorussis Conceptione Immaculata tres reddit rationes. Primum quidem, quod orthodoxos impulit ad profitendum nostrum dogma fuit necessitas refellendi calumnias, quas Jesuitae contra Orientales dispergebant, Protestantismi illos insimulantes. Semper et ubique, Jesuitae totius causa mali in Orthodoxia! Et pulcherrima revera ratio est ista: Kiovienses, ne Protestantes fieri viderentur, catholici facti sunt, quo facto Orthodoxi manere non potuerunt. Et tamen Catholicos toto animo detestabantur et ab illis multa innovata esse in dogmaticis obieiebant. Quomodo haec omnia inter se conciliari possunt? Dicat nobis scriptor anonymus.

Secunda ratio iterum Jesuitas in medium profert: Multi orthodoxi, inquit, apud Jesuitas theologiae studebant et venenum papisticum ex eorum lectionibus quasi agui novelli sugebant. Ex hoc fonte doctrinam de Conceptione immaculata hauserunt.

Tertia ratio est omnium maxime mira. Vladislaus enim sextus, Poloniae rex, papa auctore, ordinem quemdam sub titulo Conceptionis Immaculatae cum propriis insignibus in suo regno instituere voluit. Poloni autem atque Lithuani, causis politicis ducti hunc ordinem allatrare coeperunt eoque ludibrii devenerunt, ut canem habitu ordinis induerent. Hoc quasi quoddam sacrilegium magis ac magis Orthodoxos impulit ad augendam pietatem erga Deigenetricem, Immaculatamque Conceptionem maiore studio amplectendam. ³⁾

¹⁾ Труды, loc. cit. p. 467.

²⁾ Христианское Чтеніе, 1899, т. II, p. 393—399.

³⁾ Easdem rationes contrahit A. Lebedev, О непорочномъ зачатіи, С. Петерб., 1903, p. 103, nota 1.

Ergo Orthodoxi, modo ut Protestantismi crimen vitarent, modo ut Catholicos ipsos pietate erga Deigenetricem superarent, Immaculatam Conceptionem crediderunt. Ergo manifestum est illis persuasum fuisse doctrinam hanc non ex fonte latino ductam esse, sed ut proprie orthodoxam amplectendam esse.

(Pars altera serius edetur.)

M. Jugie, Aug. ab Assumpt.

Quomodo Leonis XIII. studia veteris discordiae tollendae in Russia aestimata sint exemplo illustratur.

(De libro *Alexandri Běljaev*: »О соединении церквей« Разборъ энциклики папы Льва XIII отъ 20. Юня 1894 года. Сергiевъ Посадъ 1897 г. „De unione ecclesiarum“ Examen litterarum encyclicarum papae Leonis XIII an. 1894, die 20 Iunii. Sergiev Posad an. 1897, pp. XII 223.)

Notum est epistolam encyclicam Leonis XIII. „Praeclara gratulationis“ olim in ore omnium fuisse. Simul ac lucem aspexit in graecam et russicam linguam versa fuit multisque commentariis a theologis orthodoxis illustrata. Ad hoc commentariorum genus pertinet hoc quoque opus, quod hic a nobis considerabitur ab Alexandro Běljaev professore Academiae ecclesiasticae moscoviensis exaratum.

Primo non erat nisi oratio quaedam ab eo per occasionem sollemnitatis annuae in Academia Ecclesiastica moscoviensi die 1. Octobris anno 1895 habita, dein emendata et aucta brevique introductione adornata anno 1897 edita est.

Introductio seu, ut ipse scriptor habet, disquisitio historica loco introductionis posita, inquit utrum unio bresciensis anno 1596 cum ecclesia romana inita bonos attulerit fructus necne. Huic quaestioni auctor respondet negative. Unio illa nemini profuit, immo innumerabiles attulit calamitates, mare sanguinis et lacrimarum. Ipsa periit et, pro Russia, — in sempiternum. Leo XIII. nunc denuo ad unionem ecclesiarum appellat; videamus num possibile sit promissionibus ipsius credere et ab unione cum ecclesia romana bonos exspectare effectus (pp. I—XII). Turris Babylonicae exemplo edocemur non omnem unionem generi humano utilem esse, sed illam tantum, quae a Deo exordium sumit. Porro unio quam papa desiderat a Deo non est, quippe quae a superbia et insatiabili dominandi libidine excitata (pp. 1—12). Sequitur brevis epistolae encyclicae descriptio. Spiritus, quo conscripta est non tendit nisi eo ut dominium papae super orbem terrarum extendatur (pp. 13—27).

Encyclica ipsa magna cum eloquentia et arte conscripta potius speciem documenti diplomatici prae se fert, quam pastoris christiani epistulam. Fanatismo atque astutia scatet; est: „vox Sirenis canentis“ „голосъ поющей сирены“ p. 30) (pp. 27—30)

Frustra latini orthodoxos defectu zeli apostolici criminantur suumque fervorem in fide latina propaganda tanquam veritatis ecclesiae suae signum ostendunt. Fervor ille unionis ecclesiarum promovendae, quem latini adeo iactant, non est zelus secundum Deum neque veritatem fidei latinae ostendit, quia unice tendit, ut potestati papali omnes subiugentur. Etiam mahummedani talem zelum ostendunt, sequiturne ex hoc religionem eorum esse veram? Propagatio fidei certe laudabilis est dummodo ipsa fides vera sit, si vero falsa tunc nihil aliud nisi zelus sectariorum est. Quod exinde iam patet, quod latini ad fidem suam propagandam etiam modis inhonestis uti non erubescunt (pp. 30—41). Porro falsum est ecclesiam orthodoxam de conversione infidelium nullam adhibere curam. Sufficit in mentem conversionem paganorum et tartarorum regnum russiacum incolentium revocare. Si quantitate missiones orthodoxorum latinis missionibus cedant hoc non a defectu zeli apostolici, sed circumstantiis politicis modo admodum infelici orthodoxos opprimentibus repetendum est. Latini ubique suas missiones iactant et vociferantur, orthodoxi vero modeste tacent. Latini eo tantum tendunt, ut plurimos convertant et ad hoc rebus turpibus uti haud neglegunt (pp. 41—50). Neque orthodoxis obici potest voluntatem nempe Christi esse, ut omnes unum sint. Non recusant orthodoxi amorem fraternum erga latinos, quia homines sunt sicuti et illi, sed non possunt unionem religiosam cum ipsis inire. Revera latini separationis ecclesiarum rei sunt, ergo ipsis onus incumbit eam restituere. Latini odium erga orthodoxos fovent, maledictis illos onerant, nullum amorem fraternum ostendunt. Recoluntur facta historica: Constantinopolis excidium; patriarchae illi latini titulares, quos papa pro sedibus orientalibus destinat; unio violenta bresciensis; seditiones polonorum an. 1831 et an. 1863. ubi sacerdotes latini potiores partes sumpserunt etc... Contra nunquam orthodoxos violentiam ad latinorum conversionem adhibuisse constat, ergo nullo modo orthodoxi defectus amoris fraterni accusari queunt. Ipse papa amorem fraternum tantum non intellegit esse satis ad unionem ecclesiarum et ideo unionem completam in sua epistula encyclica depraedicat, eius tamen preces absolute aspernari debemus, praecipit enim Christi fides ne cum haereticis communicemus (pp. 50—63). Porro latini sunt schismatici atque haeretici, nam sola ecclesia orthodoxa traditiones ecclesiae antiquae tuetur, quod et ipsi latini agnoscunt. Papae in culpa sunt quod ecclesias nunc separatas videmus. De hac re speciali mentione dignum est opus sacerdotis latini Guettée, qui ad ecclesiam orthodoxam se convertit, „La papauté schismatique ou Rome dans ses rapports avec l’Eglise Orientale“ Paris an. 1863¹⁾ (pp. 63—70). Populus latinus innocens est; radix errorum

¹⁾ Russice opus istud an. 1895 in lucem prodiit sub titulo »Панство, какъ причина раздѣленія церквей. или Римъ въ своихъ сношеніяхъ съ Восточною церковію« о. Владимира Гетте.

in papa eiusque curia et iesuitis sita est.²⁾ Isti omnes populo dominantur ipsique doctrinas quas volunt proponunt. Populus omnia passive et vix ac ne vix consciens accipit (pp. 70—73). Dein brevi haereseon ecclesiae latinae elencho praemisso scriptor ad illas singillatim confutandas accingitur. Primus gressus versus haereses est Filioque (pp. 73—76), quod sequuntur: communio laicorum sub una specie tantum (p. 76), epiclesis (pp. 76—77), purgatorium, opera supererogatoria, indulgentiae (pp. 77—78). auctoritas vulgatae in conc. Trid. proclamata (p. 78), modus S. Scripturam et officium divinum exclusive lingua latina tradendi (pp. 78—79). Accedunt dogmata ab ecclesia latina noviter conficta. Tale est dogma de Beatissimae Virginis immaculato conceptu, in quo stabiliendo ecclesia latina more rationalistarum processit (pp. 79—80). Ut huiusmodi novorum dogmatum fabricatio aliquo modo excusetur excogitata est sententia de dogmatum progressu (pp. 81—82). Dein sequitur dogma de papae infallibilitate (pp. 82—84), quod in Petri apostoli primatu fundatur (pp. 85—91). Sicut Petri ap. primatus demonstrari nequit ita neque Romani pontificis primatus eiusque supra omnes ecclesias potestas, quippe qui cum independentia ecclesiarum particularium et cum principio regiminis „conciliaris“ i. e. per conciliorum convocationem, minime congruit (pp. 91—106). Certe paparum momentum ad res ecclesiasticas nequit negari, sed hoc singulorum virtutibus debetur sicut Leonis Magni et Gregorii Magni (pp. 106—107). Ecclesiae orientales potestatem papae nunquam agnoverunt, immo ipsae ecclesiae occidentis procedente tempore tantum papae subiectae sunt (p. 107). Causa, cur papae tantam sibi potestatem arrogarent, fuerunt privilegia illa honoris, quae secundum ecclesiasticos canones Romae tanquam principali Imperii Romani civitati concessa erant (pp. 108—111). Haud parum profuerunt etiam opera illa, in quibus falsa privilegia in paparum favorem studiose conficiebantur, ut decretalia Pseudo-Isidori p. 111). Potestatem papae a latinis adiudicatam vel ex eo falsam esse evincitur, quod episcopi et concilia tentaminibus paparum ecclesias particulares sibi subiugandi resistebant, ut in causa Apiarii et S. Cypriani (pp. 111—116). Tandem dominandi cupido et spiritus mundanus eo usque processit, ut papae etiam potestatem temporalem sibi vindicare non erubescerent (pp. 116—118). Scriptor radicem mali et defectus ecclesiae latinae censet esse doctrinam de potestate Romani Pontificis eiusque infallibilitate (p. 118). Enumerantur aliae latinae ecclesiae aberrationes et de-

²⁾ Hic iterum scriptor aliud opus eiusdem Guetté commendat: „La papauté hérétique; exposé des heresies, erreurs et innovations de l'église romaine depuis sa separation de l'église catholique au IX siècle.“ Versio russica istius operis in periodico »Вѣра и Разумъ« invenitur sub titulo: »Еретичество папства, или изложеніе прогрѣшностей, заблуждений и нововведеній Римской церкви съ времени отдѣленія ея отъ Вселенской церкви въ IX вѣкѣ.«

fectus (ut cultus S. Cordis Iesu, baptismus per ablutionem etc. . .), quae ipsa arbitrarie sine ecclesiae orientalis consensu introduxit. Ecclesiae latinae „theologia et usus principiis mundanis, intolerantia fanatica, iuridismo ieiuno atque rationalismo imbutae sunt et despotismo papistico graviter premuntur“ (p. 120); „novum illud de infallibilitate papae dogma arbitrio paparum prorsus illimitatam regionem pandit, quam antea non habuerunt“ (p. 120) *новый догматъ о папской непогрѣшимости открываетъ произволу папы совершенно безграничный просторъ, какого они не имѣли прежде*“. Dein breviter errores omnes ecclesiae latinae cum veritatibus ecclesiae orientalis comparando exponuntur. Occidentales admodum superbia inflati, suarum tantum rerum studio incensi, principatum intellectus iactantes, orientales despiciunt nihilque de ipsis sciunt (pp. 120—124). Si orthodoxorum theologia non est tam exulta quam latina hoc rerum temporumque iniquitati est tribuendum (pp. 124—125). Ceterum quid ecclesia orthodoxa ad latinos convertendos facere potest? Suntne scribenda opera polemica? Sed iam millies theologi orthodoxi de hac re scripserunt, sed latini nimis superbi sunt, ut libros nostros legant Fortasse missionarii in Europam occidentalem mittendi sunt? Iterum res esset plane inutilis. In Austria missionarii orthodoxi in carcerem iniciuntur, in Italia et Hispania a iesuitis vexabuntur . . . (pp. 125 usque 127). Unicum illud aptum esse videtur, ut commentarii orthodoxi Parisiis typis edantur, ubi latini modo theoretico et historico de dogmatibus ecclesiae orthodoxae instruuntur. Simile opus aliquando iam a sacerdote Josepho Vasil'ev (protoierej Iosif Vasil'evič Vasilev) susceptum erat qui „L'Union chretienne“ edere coepit (pp. 127—130).

Ut animas hominum simplicium facilius irretiat papa persuadere conatur pauca esse in quibus utraque ecclesia dissentiat, quae omnes fere dissensiones ad potestatem Romani Pont. revocantur. Haec est antiqua fraus atque astutia latinorum! Quomodo orthodoxi papam pro capite supremo habere possunt et ita cum ecclesia latina foedus inire, si dogmata contraria profitentur? Non impedit unionem in ritibus differentia, quod et veteroritualistae ecclesiae orthodoxae adnexi ostendunt, sed nequit haberi unio si etiam dogmata diversa ab orthodoxis et latinis tenentur dummodo papae potestatem agnoscant! (pp. 130—141). Revera autem tot tantaeque dissensiones inter duas ecclesias vigent, ut unionem saltem nunc, prorsus negandum sit fieri posse! Romanorum Pontificum pertinacia qua haeresibus suis adhaerent omnem spem unionis tollit. Ceterum potestate papae agnita ecclesia orthodoxa independentiam amittet et seipsam servam mendacii faciet (pp. 141—147).

Conditio necessaria, ut ecclesiarum unio tandem aliquando locum habeat, est ecclesiae latinae interitus. Licet potestas papae maxima adhuc esse videatur, tamen divina Providentia, quae magna regna paganorum solo aequavit, et hanc potestatem ad

nihilum redigere potest, et erit „ruina illius magna“ (Mth. 7, 27 p. 149). Cupidine dominandi papae Nemrodibus sunt similes, Romanorum caesarum exemplo potestatem temporalem cum spirituali consociant, immo Caligulam et Neronem imitantur, quia diis similes se reddunt et a populo adorationem postulant. Quando oculi eorum aperientur, quando a rationibus illis diabolicis liberabuntur? Certe difficilis est talis mutatio, tamen Deo omnia facilia sunt. Iam vidimus potestatem papalem inde a media aetate gradatim decrescere et novissimis his temporibus vis papatus notabiliter diminuta est. Cum Orientis cultura et materialis et spiritualis ad culmen suum erit perducta, tunc latina ecclesia, memor illius: „ex Oriente lux“, frontem suam curvabit et fidei orthodoxae suscipiendae erit capax. Antiquitus Sibyllae praedixere potestatem et imperium aliquando a Roma denuo ad Orientem transiturum. Nonne sicut imperium Romanorum corruit, potestas papae aliquando interire potest? Antequam hoc evadat ne cogitari quidem potest de ecclesiarum unione (pp. 147—159). Supponamus contra latinam ecclesiam semper in dies auctum iri. Quid tunc faciendum? Ne in eo quidem casu de ecclesiarum unione agi potest. Si ecclesia orthodoxa admodum diminuetur, hoc signum erit eam esse illum parvum gregem (Luc. 12, 32), qui in novissimo die in solitudinem se abscondet (Apoc. 12, 14) ibique adventum Christi expectabit (p. 159).

Dein scriptor transit ad considerandas utilitates illas, quas Leo XIII. promittit in casu unionis ecclesiarum Orienti ac toti generi humano obtingere posse, conaturque ostendere omnino contrarium. Primum nullam dignitatem neque decorem unio ecclesiarum ecclesiae orientali afferre potest. Ipsa ecclesia latina omnium calamitatum populorum occidentalium causa est, quomodo igitur sperari potest Orienti eam bona esse collaturam? (pp. 159—164). Certe status in quo sacerdotes ecclesiae russicae versantur admodum calamitatibus obruitur (pp. 165—168), non vero quia illi sacerdotes orthodoxi sunt, sed quia societatis russicae ignorantia eiusque in culturam occidentalem nimia propensio illam a propria ecclesia divellit (pp. 168—171). Ceterum his temporibus nempe ab imperatore Paulo I. usque ad Nicolaum II. condiciones et materiales et morales ecclesiae orthodoxae magna incrementa cepisse constat. Fiducia et existimatio populi erga clerum semper crescit, cum is non obstantibus condicionibus minus opportunis munere suo optime fungitur (p. 179), fideles exemplo potius, quam praedicatione instruit (p. 180). Prospiciat igitur melius papa suae ecclesiae necessitatibus suumque clerum corrigere studeat (pp. 171—184). Neque ad pacem universalem componendam unio cum ecclesia latina proderit. Videmus populos Latinos semper inter se bella iniqua gerere novisque rebus studere cum, contra, Russia orthodoxa in bellis, quae gerit, nihil aliud agat nisi vel ut populos oppressos defendat, vel ut paganos et infideles debellet. Ceterum nihil nostris temporibus papae auctoritas

ad lites componendas vel inter populos latinos valet; ergo quid expectandum est bono communi profuturam ecclesiarum unionem? Immo discidia augentur, quia, si historia magistra consulitur, interventus paparum non pacem sed perturbationem in rebus civilibus genuisse percipimus (pp. 184—190) Neque quaestio socialis in melius mutabitur, papae enim et clerus latinus studio suo fanatico societatem contra se irritant (index librorum prohibitorum), populum a principibus non defendunt, sed ad illam semper se inclinant partem, quae potior est (pp. 190—194). Alia multa bona, quae papa promittit plane ficticia sunt. Rationibus materialibus imbutus paradisum quemdam terrestrem instituere sibi videtur, non animadvertens sane in sinu ipsius ecclesiae latinae monstra illa ut socialismum, anarchismum etc. nata esse. Si ipse mundus catholicus talibus discidiis laceratur, quomodo aegrotus Orientem sanare cupit? (pp. 194—197). Certe, ut papa indicat, magnum momentum ecclesiarum unio afferre potest ad paganos et infideles convertendos, sed tum tantum, si religio orthodoxa, non vero latina propagetur; alioqui res omnino irrita erit. Unde melius esset, si missionarii latini orthodoxos missionarios imitarentur et non insidias illis pararent (pp. 197—199).

Frustra papa spem suam in Christo ponit. Certe Dominus Noster unionem desiderat, sed sane quidem optat, ut veritas triumphet. Si papa revera in Christo spem collocat, imitetur oportet apostolorum exempla Ipsumque Salvatorem, qui nihili res temporales aestimabant. Papa contra non est sollicitus nisi de bonis terrenis et loco Christi Bismarkium potius Carolum Marx imitari satagit (pp. 200—201). Ergo unio cum ecclesia romana si fieret non esset nisi unio externa et mere materialis. Ecclesia orthodoxa defectus tantum papatus acquireret, qui sunt: haeresis, formalismus iuridicus, fanaticismus in fide, despotismus, servitus moralis, simulatio in rebus moralibus, inimicitiae inter potestatem temporalem et spiritualem, nimia oppressio intellectus in rebus scientiae et artis. Amitteret autem ecclesia orthodoxa: veram fidem et ritum, quia non obstantibus promissionibus papae catholici a conatibus „latinizandi“ ecclesiam orientalem non desistunt (pp. 201—204).

Denique scriptor in illos orthodoxos invehitur, qui unionem cum ecclesia latina desiderant ostenditque tale desiderium nullo vero fundamento niti immo esse perniciosum et vanum et omnino absurdum. Si quidam Russorum infelices ad ecclesiam latinam se convertunt hoc documento est in quavis familia nonnunquam existere monstra (pp. 204—211). Procul errat papa cum nunc relationes inter occidentem et orientem esse mitiores putat, ex quo sperandum ei videtur fore ut etiam inter latinos et orthodoxos pax facilius convenire possit. Sed illud non est verum nisi de relationibus mere diplomaticis, quod vero religionem attinet orthodoxi non minus quam antea latinae ecclesiae adversantur. Immo etiam in relationibus mere civilibus quam cautissime procedendum

est, quia papa, utpote Ecclesiae orthodoxae inimicus, nunquam desiderium orthodoxorum ad fidem latinam convertendorum deponet (pp. 211—215). Igitur si fieret unio ecclesiarum, orthodoxi non solum nihil boni acciperent, verum etiam innumera mala paterentur (pp. 215—220).

In epilogo scriptor breviter vicissitudines ecclesiae latinae considerat eiusque separationem ab ecclesia orthodoxa deplorat (pp. 220—223).

Consulto a fusiore expositione illius partis operis abstinuimus, ubi scriptor speciali modo de dogmatibus ecclesiae catholicae agit, quae a pag 73 usque ad p. 124 habet; sunt enim solitae argumentationes orthodoxorum, quae in aliis systematibus theologiae dogmaticae ut Macarii, Silvestri melius expositae inveniuntur etc. . . .) Perscribere illa nobis placuit quae potius ad argumenta philosophico-historica pertinent, in quibus coiciendis scriptor omnem lapidem movet, ut ab unione cum ecclesia catholica orthodoxos deterreat.

Licet libri nullum momentum sit, si doctrina spectatur, tamen catholicis utilissimus est, quod in ipso tanquam in speculo quidquid praeiudicati theologi orthodoxi non ita contra ecclesiae catholicae doctrinam dogmaticam et moralem, sed potius contra occidentis culturam afferunt exponitur omnia mala populorum occidentalium ab ecclesia catholica repetenda sunt, maxime vero ex papatu, quod est malorum caput et radix. En thesis quam sibi probandam scriptor proposuit. Hic semper duo videtur permiscere: doctrinam ecclesiae catholicae cum eius falsa interpretatione et explicatione ab haereticis omnium saeculorum conficta, seu in illum errorem logicum: „post hoc — ergo propter hoc“, semper labitur. Pari iure ecclesia orientalis accusari potest quod ex eius sinu arianismus, macedonianismus, nestorianismus, monophysitismus, aliaeque innumerae sectae, quorum vestigia usque huc in ecclesiis syrorum, chaldaeorum, coptorum, armenorum perdurant, prodierunt. Eodem modo in ecclesia russica sine ullo Occidentis contagio veteroritualistarum secta orta est. Placebitne auctori ut haec omnia doctrinae ecclesiae orthodoxae tribuantur? . . . Saepenumero de odio latinorum adversus orthodoxos loquentem, scriptorem mira constantia fugere videtur tristissimos illos eventus ad illas ipsas „circumstantias“ mere historicas ac nationales pertinere ad quas ipse semper provocat, ut ecclesiae russicae defectus excuset. Num mitius orthodoxi de latinis in decursu unionis bresciensis egerunt? Nonne adnexio unitarum anno 1875 vi peracta est, cuius rei etiam nunc testes vivunt? Oblitus est item excidium illud latinorum a graecis Constantinopoli factum, immo ne id quidem consideravit Constantinopolis destructae a latinis causam ipsos graecos exstitisse, id quod luculenter F. Hurter in historia Innocentii III. demonstravit.

Aliquando latinae ecclesiae odium scriptorem quaedam mira proferre cogit. Exempli gratia pauca adducimus. P. 217—218 ipse orienti orthodoxo abessinios monophysitas associat, ut ex eorum generositate in superiore bello cum italibus demonstrata, argumentum

excellantiae virtutum moralium orthodoxorum conficiat. Ut probet Summos pontifices omnibus modis ad potestatem suam confirmandam uti, Leonem XIII. clero suo mandavisse dicit, ut socialistis se conformare studeret (p. 155) More solito infallibilitatem paparum cum impeccabilitate permiscet, errori certe infelix verbum illud „nepogrěšimost“ ansam praebet, quo theologi russi, nescio cur, ad infallibilitatem papae oppugnandam utuntur (p. 84.). Difficulter etiam id intellegitur, cur scriptor insinuare conetur Summos Pontifices ab orientalibus cum ecclesia romana coniungi cupientibus nihil postulare, nisi ut potestatem eius agnoscant; non solum ritus verum etiam dogmata ab ecclesia latina aliena ipsis relinquunt: „дозволяя восточнымъ христіанамъ оставаться при своихъ обрядахъ и не принимать не только обрядовыхъ, но даже и догматическихъ особенностей“ (p. 134). Item pag. 138. „Разнообразие можно еще допустить, въ единой истинной Церкви, но отнюдь не разновѣріе.“ Ubi B. vel unum aliquod documentum huiusmodi invenit??... Summi Pontifices profecto ritum orientalem aequè ac latinum pro sancto et admodum venerando habent, nihilominus tamen ab orientalibus prorsus nullum dogma negari permittunt. Inter argumenta, quibus scriptor primatum Petri refellere conatur unum revera admirationi est: si Petrus esset caput Ecclesiae eiusque fundamentum, fideles non „christiani“, sed „petrini“ (Petrovye) dicendi essent (pp. 86—87)!! Haec pauca sufficiant, quae recensere eo magis dolet, quod scriptor similia videtur bona fide proferre. Ignorantia dogmatis catholici non parum ei obest. Ita dogmatum explicationem cum novorum dogmatum fabricatione permiscet. P. 81—82 haec habet. „Non dogmata evolvuntur, sed eorum comprehensio intelligentia et apprehensio hominum evolvuntur et confirmantur seu, ut ita dicam, eorum in animos et vitam hominum penetratio perficitur“. „Развиваются не догматы, а развиваются и усиливаются воспріятіе, пониманіе и усвоеніе ихъ людьми и, такъ-сказать, проникновеніе ихъ въ душі и въ жизнь людей“. Sed haec ipsa sunt, quae Ecclesia catholica nomine illo „dogmatis evolutionis“ significari vult! Id quod scriptor de periodicis commentariis russicis edendis, in quibus orthodoxae ecclesiae doctrina et traditiones occidentalibus explicentur, proponit bonum est, sed malo fato huc usque ad effectum non est perductum neque unquam perductum iri videtur. Quae cum ita sint, praestat ut academiarum ecclesiasticarum professores sententias dubitationesque suas de capitibus illis doctrinae catholicae, quae ipsis obscura videntur, in foliis nostrorum commentariorum exponant, quibus de rebus suas sententias promere theologi catholici profecto non dubitabunt. Et ita mutuo litterarum commercio instituto, rebus sine ira et studio modo doctrinae proprio disputandis, multum et theologis utrisque inter se cognoscendis et praeiudicatis opinionibus dissipandis consulatur.

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium.

A. Palmieri **Il progresso dogmatico nel concetto cattolico** in 8^o, pp. XVI—303; Firenze. Libreria editrice fiorentina, 1910. Prezzo l. 3, 50.

Constat inter plurimas illas discrepantias in rebus fidei et morum, quas theologi orthodoxi catholicis obiciunt, non ultimum locum illam tenere, quae fingitur inter orthodoxos vetustatis defensores et catholicos ipsa theologiae fundamenta evertentes, quippe qui dogmatum progressum seu evolutionem admittant novasque formulas definitionesque dogmaticas cudant, quas antiquitas christiana penitus ignoraverit. Ideo catholici, ut opinatur Homjakov, ipsi rationalismo viam pandunt et pro „reformatore“ ante „reformationem“ habendi sunt. Ab illo nempe temporis momento, quo occidentales vanis mentis humanae sophismatis imbuti „Filioque“ symbolo Nicaeno inseruere, tota theologia catholica germen dissolutionis in sinu suo gestat, quippe quae admiserit tempore progrediente nova dogmata nasci posse, quae antea implicite a fidelibus credita sint, postea autem explicite credenda sint. Unde evenit ut penes pontifices romanos semper sit dogmata nova, quae sibi faveant (velut infallibilitas) proclamare.

Controversiam istam theologi catholici hucusque vix extremis labiis attigerunt.¹⁾ Modo Aurelius Palmieri hanc provinciam sibi sumpsit, ut totam doctrinam Russorum exponat et examini subiciat.

In exordio Palmieri difficultates, quae contra studia apologetica catholica, imprimis nostris temporibus, oriuntur, ostendit; opus profecto arduum dicendum, cum etiam inter catholicos quidam inveniuntur, qui ubique modernismi errores advertentes, etiam in rebus, in quibus prorsus nihil intellegunt, in fratres suos impetum faciunt (I—XVI). Sequitur expositio et aestimatio in VIII capita divisa.

In capite primo scriptor necessitatem illustrandi conceptus evolutionis dogmaticae inculcat, ut eo efficacius sive modernismi errores, sive orthodoxorum doctrina refellantur. Dein falsas de evolutione dogmatum opiniones exponit: antiquam protestantium rationem, eorundem — novam, rationem Güntherianam et modernistarum (pp. 1—18); postremo doctrina catholica explanatur (19—33).

In capite secundo natura ipsa progressus dogmatici sensu catholico accepti evolvitur. Ostenditur progressum dogmatum r e l a t i v u m (contra absolutam evolutionem dogmatum in sensu rationalistarum) non solum fieri posse verum etiam necessarium esse. Tali progressu fides christiana explicatur, roboratur, alitur, id quod, historia teste,

¹⁾ Vide. Brandi S. J. „Dell' unione delle chiese“. Roma. Civiltà cattolica, pp. 12—18 et passim. Tondini „Change in Faith or Development? A Critical exposition of S. Vincent of Lerins“ etc. . London, an. 1881, Exstat versio russica operi „о церкви“ inserta (Berlin 1888; editum est iterum Petropoli an 1909).

semper in ecclesia evenit. Sub eius tutela infallibili hic progressus nunquam limites a Deo positos transcendere potest (35—66).

Capite tertio doctrina orthodoxa exponitur. Theologis orthodoxis sive russicis, sive graecis inter se collatis *P.* concludit illos theoretice progressum dogmaticum relativum admittere eundemque quem catholici tenent (67—90).

Sed si quaeratur (cap. IV) cuius sit hanc evolutionem dogmaticam efficere, controversiae oriuntur. Scriptor contra orthodoxos ostendit neque concilium oecumenicum, neque particulare, neque ecclesiarum separatarum consensum satis esse ad proclamandum aliquod dogma tanquam evolutum et ad salutem necessarium infallibiliter (91—107). Etiam minus ad hoc idonea est experientia illa religiosa modernistarum (107—119), solum magisterium ecclesiae ordinarium, quale est sancta Romana Sedes, hoc opus perficere potest (119—130).

Capite quinto auctor doctrinam catholicam de relativa dogmatum evolutione, contra orthodoxorum, protestantium, modernistarum accusationes defendit. Illi enim ecclesiae catholicae crimini vertunt quod nova dogmata introducat. Scriptor ostendit in opinione de dogmatis evolutione in sensu catholico non esse existimandum vera addi, sed solum ea explicari, quae iam a christianae religionis primordiis tanquam in nucleo latebant. Si ecclesia catholica novas formulas introducit inde non efficitur eam nova dogmata decernere, sed in hoc faciendo omnium disciplinarum exemplum sequitur et maiorum consuetudinem imitatur (131—153). Rationes, quae contra nova dogmata quae vocant a catholicis introducta afferuntur, nihil valent (153—165). Id singillatim et breviter de unoquoque dogmate ostenditur: Filioque (165—172), Beati Petri et Romani Pontificis primatu et infallibilitate (172—181), Immaculata B. M. Virginis conceptione (181—187).

Sequitur caput VI, in quo ea quae a theologis orthodoxis contra afferuntur, exponuntur et confutantur. Obiciunt enim evolutionem dogmatum regressum potius quam progressum indicare, quia definitiones dogmaticae, quibus dogma aliquid in statu explicito ponitur, tantummodo fidem iam enervatam et debilem sustinent minime vero fidei augmentum vel ornamentum indicant (189—198). Praeterea maximus abusus inde oritur, nam ope illius opinionis ea quae theologis vera videntur esse in dogmata transmutantur (198—234). Quin etiam ad rationalismum ducit, quia elementum humanum cum divino miscet cum hypothesibus mentis nostrae vim veri revelati tribuit. Talis erroris praecipue accusatur Scheeben, quem *P.* strenue defendit (234—244). Quibusdam videtur doctrina catholica similis esse „Pandorae vasi“ ex quo quaevis dogmata peti posse, ut Romana ecclesia quemvis errorem suum quovis tempore sanare possit cum dogmatis nomine eum ornaverit (244—248). Ut aliquo modo difficultatem solvant theologi orthodoxi et vetero-catholici qui dicuntur „theologumena“ quaedam commenti sunt, quae media sint inter dogma et opinionem theologicam. Palmieri ostendit theologumena nihil valere, nemini posse probari, obscuritatem et incertitudinem in theologia gignere (248—253).

Toto capite VII. scriptor de celeberrimo illo Vincentii Lirinensis „quod semper, quod ubique, quod ab omnibus“ disserit. Primum orthodoxorum et vetero-catholicorum interpretationes exponit, deinde Vincentii Lirinensis auctoritatem, ab orthodoxis theologis exaggeratam, determinat verumque sensum eius canonis, qui genuinam doctrinam catholicam continet, explicat (255—264). Tum ostendit quo sensu opinio cuiusdam theologi russi de sensu canonis Lirinensis vetustati faventi accipi possit et exponit quo sensu utrum negativo an positivo illud celeberrimi magistri intellegi debeat (264—271). Sub finem, occasione petita a quodam orthodoxorum argumento, de vi dogmatica traditionum liturgicarum agitur (271—274).

In capite octavo Palmieri recentem illam de vi dogmatum morali quaestionem tractat. Opinionem a Le Roy de hac re propositam undique considerat et confutat (275—303).

Non potuit, iudicio nostro, societas illa libraria florentina ut primum „bibliothecae apologiae christianae“ opus ederet meliorem eligere quaestionem et scriptorem. Quaestio certe „modernissima“, si hoc verbi monstro uti licet, qua soluta via ad plenam catholicae theologiae victoriam sternitur. Laetamur igitur nos dicere posse Palmieri videri omnino feliciter quaestionem solvisse. Praecipuum operis meritum in eo est, quod doctrina catholica sincere et integre exponitur. Neque quicquam praetermittitur in rationibus argumentisque adversariorum, ubi fieri potest ipsis eorum verbis, clare distincteque proponendis, quae in re Palmieri, theologiae orthodoxorum peritissimum se praebet. Neque minus laudanda est modi dicendi mirabilis claritas, qua fit, ut etiam homini in quaestionibus theologicis haud versato, facile sit totum opus perlegere et intellegere. Nec tanta libri accommodatio illum vi doctrinae propria privat, quae etiam in quaestionibus minoris momenti ubique apparet. Opus est potius philosophico-dogmatum, quam historicum, licet necessarius apparatus criticus copia solidae scientiae testimoniorum ornatus libro non desit. Palmieri imprimis vult explicare quaestionis de evolutione dogmatum ipsa fundamenta, vult ostendere eius necessitatem, cum radicibus ipsius doctrinae revelatae ita cohaerentem, ut rationes, theologiae christianae, in quibus illa vel negatur vel in falsum aucta tenetur, hac re ipsa refutantur, quippe quae inter se discrepantia singulae contineant. Quod theologiam orthodoxam attinet, Palmierianum opus tanquam quaedam nova porta ab ipso in regionem ignotam theologis catholicis aperta habendum est.

Dr. Leonini.

Aurelius Palmieri O. S. A., **Theologia dogmatica orthodoxa** (Ecclesiae Graeco-Russae) **ad lumen catholicae doctrinae examinata et discussa.** Tomus I. Prolegomena. Florentiae, 1911. XXV₃+ 817 p. 8^o.

Auctori in animo est, „totam provinciam theologiae orthodoxae orientalis in eis, quae a catholica doctrina abscedunt“, explorare. Non tam minutior enumeratio differentiarum ipsi proposita est, cum paucis potius, et fundamentalibus quaestionibus de Traditione, de Scriptura Sacra, de Ecclesia, de Romano Pontifice ac de Spiritu Sancto totum

opus, ad substantiam quod spectat, absolvendum sibi duxerit. Quod imprimis necessarium esse ducit ideoque in suo opere maxime intendit, illud est, ut orthodoxam theologiam ipsam principiaque quibus utitur in aperto ponat, indeque difficultates quas contra dogmata catholica movent, illustret, earum naturam profundius rimetur et sic sibi viam ad veram et perfectam earum solutionem muniat.

Atque haec est causa, cur operis sui corpori integrum volumen prolegomenis dicatum praemittat, quorum partem aliquam etiam sequenti volumini reservare materiae copia coactus est. Tractat autem in his prolegomenis de theologiae definitione (c. 1), de dogmatis (c. 2), de progressu dogmatico (c. 3), de necessitate, methodo ac divisione theologiae (c. 4), de compendiis theologicis orthodoxis (c. 5), de theologia scholastica ac de usu rationis in rebus fidei (c. 6), de theologia symbolica, veteribus symbolis (c. 7) et libris symbolicis (c. 8), de theologica polemica (cc. 9, 10, 11). Ut iam in titulo operis invenitur, hac generatim utitur methodo, ut in unoquoque capite quod orthodoxi sentiant exponat crisimque eorum secundum principia catholica adiungat; ubique uberriam literaturam, ut aiunt, profundens, suaque asserta ex fontibus debitis probans.

Toto opere a capite usque ad calcem perlecto non possum quin auctori clarissimo de opere ingentis et improbi laboris, magnae simulque sobriae eruditionis, doctrinaeque integerrimae et imprimis catholicae, ex animo gratuler gratesque rependam.

Ut ad particularia descendam nonnullaque adnotem, quae forte obscuritatis aliquid habent, in capite primo quaestionem illam, utrum theologia scientia „supernaturalis“ dicenda sit, magis de nomine quam de re esse arbitror, cum unicuique constet, quantum de naturali, quantum de supernaturali scientia theologica habeat, unde, prout hoc vel illud magis spectatur, naturalis vel supernaturalis dicenda erit. Namque enim eam non infundi, sed naturaliter comparari, in comperto est, ideoque, hanc originem si spectes, esse scientiam naturalem, sed aequae certum est, principia quibus utitur esse veritates revelatione cognitae ut tales, quae igitur ut tales naturaliter, i. e. sine revelatione nec cognoscuntur nec cognosci possunt; quodsi ut hic obiectum formale alicuius scientiae in tali sensu supernaturale est, cur non ipsa scientia in eodem sensu supernaturalis dici possit? Quod etiam verum maneret si quis, fide carens, principiis revelatis conclusionibusque inde deductis nullo interno assensu adhaereret, omnino ut cum systema aliquod philosophicum vel theologicum, quod falsum esse existimamus, nobis repraesentamus consequentiasque ex eius principiis deducimus. Habetur scilicet elementum aliquod in dicto sensu supernaturale, quod theologiae intrinsecus adhaeret, obiectum eius formale constituens, etsi, modum acquisitionis si spectes, non infundatur sed viribus naturae per se acquiratur.

Recte in eodem capite auctor asserit et ostendit, informationem huius scientiae per „spiritum orthodoxum“ non posse

tamquam notam theologiae constitutivam, sive theologiae orthodoxae propriam considerari, eandemque theologiam rectius *theologiam christianam ecclesiarum orientalium* vocari. Non enim tamquam spiritus talis orthodoxus, orthodoxae theologiae proprius, media aliqua via inter libertatem nimiam protestantium et subiectionem plenam sub magisterio ecclesiae catholicorum propriam designari potest, cum haec tamquam nota aliqua distinctiva a theologia orthodoxa aliena sit, quae potius modo in libertatem protestantium modo in subiectionem catholicorum magis tendit. Neque magis nomine spiritus orthodoxi theologiae illi perpetua et universalis aliqua in iisdem dogmatibus tuendis constantia tribui potest, cum tali constantia liquido careat; constat enim pro locorum simul ac temporum diversitate in libris orthodoxis symbolicis pugnancia inter se inveniri dogmata, ita ut tot habeantur orthodoxiae totque spiritus orthodoxi inter se pugnantes, quot clariores theologi orbis orthodoxi. Cuius rei causa est, quod ecclesiae orientales ex quo a Romana ecclesia seiunctae sunt, auctoritate aliqua universali, quae earum omnium simul fidem authentice et efficaciter determinet, sicque unitatem earum in credendo efficiat, prorsus destituuntur.

Cum plures difficultates, quas theologi orthodoxi contra ecclesiam movere soleant, in ipsa *notione dogmatis* radicem habeant, auctor *capite secundo* in veram naturam dogmatis inquit. Liceat hic quaedam perpolianda notare. Probat *distinctionem* inter dogmata *communia* seu magis universalia ut sint ipsi articuli fidei, et dogmata *particularia*, cum etiam haec necessario credenda statuuntur (p. 12 sq.); recte cum Macario improbat distinctionem in dogmata fundamentalia et non fundamentalia, quasi haec necessario credenda non sint (p. 21); et tamen (p. 13) eundem Macarium inducit concedentem, tantum „essentialibus“ dogmatibus „assensum sine periculo aeternae salutis denegari non posse“, id quod nec verum est nec cum prioribus cohaeret. — P. 12 ut aliquid dogma sit, postulatur, ut sit *veritas „theoretica“*; cui deinde opponit, inter alia, „praecepta“, quae regere dicuntur vitam christianam non solum in agendis, verum etiam in „credendis“. Iam vero, quidquid creditur, ut tale est theoreticum, licet simul sit practicum; omnisque veritas revelata sicuti „credenda“ est, sic verum „dogma“ est, etiamsi simul sit practica morum regula. Id quod in tali casu fidei obiectum est, vel est obiectiva moralitas alicuius actionis, eg. virginitatem praestare coniugio, vel est iussio divina, quae circa talem rem habetur, sic credimus coniugium esse ex voluntate Dei insolubile. — P. 14 dicitur, dogma non sententias particulares sed *fidem universalem* proponere. Hic aut in voce „dogma“ ambiguitas latet, qua complexus omnium dogmatum collective sumptorum cum dogmate aliquo singulari confunditur, aut cum p. 20 non cohaeret, ubi distinctio inter dogmata communia et particularia ex Macario affertur et probatur. — Quod *propositionem* dogmatum a *ecclesia factam* spectat (p. 22), haec non adeo videtur comparanda cum praeceptis illis, quas auctoritate propria, a Christo utique ipsi collata, condit, verum potius cum illis in quibus praeceptum naturale vel divinum positivum authentice interpretatur.

Non enim ex auctoritate ecclesiae, sed immediate ex auctoritate Dei revelantis, quam ecclesia tantum applicat idque necessario, vis obligativa qualemcumque veritatem revelatam credendi descendit; ecclesia per se nihil aliud facit quam authentice declarat, talem unitatem in deposito revelationis revera contineri. — Quae de distinctione inter dogma implicitum et explicitum dicuntur, (p. 20) non satis clara sunt, etsi postea alio loco plura adiungat quae rem iam magis explicant. Scilicet implicite potest aliquid contineri in dogmate ab ecclesia explicite proposito; et dogma explicite ab ecclesia propositum potest ipsum contineri implicite in aliqua alia veritate in scriptura vel traditione explicite proposita. Quodsi de obligatione credendi quaeras, haec omnia sane credenda esse nullum potest esse dubium; fateor me distinctionem, quae p. 28 legitur: Aliud est dogma reicere, aliud dogma negare — non intellegere, videtur omnino idem esse. Alia autem est quaestio, qua unumquodque fide credendum sit: implicita scilicet an explicita. Omnia sunt saltem implicita fide credenda; explicita fide certe nihil a quopiam fide divina simul et ecclesiastica credendum est, quod non sit explicite ab ecclesia ad credendum propositum, licet accidere possit, ut theologus, cui certo constat, in dogmate explicite proposito implicite aliud contineri, ad illud etiam explicite credendum fide divina obligetur. Ex iis quae explicite ab ecclesia ad credendum proposita sunt, cum omnia apta sint, quae simpliciter fide explicita credantur, a circumstantiis pendet, utrum quis plura vel pauciora fide explicita credere teneatur. Plura theologus doctus, pauciora christianus quilibet, paucissima ii qui ob ingenii vel culturae defectum ad multa capienda non sunt apti, ut pueri vel homines valde simplices, credere explicita fide tenentur; et si aliquando quis cum sola explicita fide eorum, quae credenda necessaria necessitate medii, ut aiunt, habentur salvari potest, certe qui facile sibi maiorem cognitionem veritatum fidei acquirere possunt, vix salvabuntur nisi plures saltem articulos fidei explicite credant. — Ad propositionem ecclesiae quod spectat, etiam hic opportune animadverti potuit, id quod auctor ceteroquin saepius urget, hoc nomine non venire tantum definitiones dogmaticas quae sollemni modo fiunt, verum etiam communem et perpetuam praedicationem ecclesiasticam; secus enim eg. quod perabsurdum, apostoli ipsi quasi nihil, vel potius nihil credere debuissent, cum definitionum sollemnium necessitas potius in posteriorum temporum conditionibus nata sit. — P. 22 ex breviloquentia aliqua obscuritas nata est; postulatur enim ibi, ut littera iacet, pro omni dogmate ut „1° contineatur in sacra Scriptura tamquam authentico fonte revelationis“: quod patet dici non posse, cum aequae in sola traditione ecclesiastica originarie contineri potuerit.

Perplacent quae deinde ex orientalium dogmatis definitionibus deducit corollaria. Scilicet, cum propositio ab ecclesia facta, et quidem talis, quae omne dubium solvat, ad essentiam dogmatis pleno sensu accepti spectet, eademque semper necessaria sit, fieri non posse ut nunc temporis tam necessaria ecclesiae potestas desit, ideoque, cum

in ecclesiis orientalibus, sicuti ex non usu talis potestatis inde a tempore scissionis patet, potestas talis non habeatur eam necessario in ecclesia Romana quaerendam esse, quae sola sua praesentia suoque assensu ecclesias omnes alias in unum corpus ecclesiae universalis, tali magisterio instructae, compaginat. Opportune etiam corollarium alterum deducit, ex clarissima orientalium de natura dogmatis doctrina patere, novam definitionem dogmatis nullo modo novitatem ipsius dogmatis importare.

Capite tertio auctor merito summum studium impendit progressui dogmatico demonstrando quid tandem sit, eundemque esse legitimum. Implicita explicare pro diversis dubiis et quaestionibus quae sive ab haereticis sive a theologis sive a tempore progrediente ipso in medium afferuntur, hic est simplicissimis verbis totus progressus dogmaticus. — Obscuritas quaedam habetur p. 37 collata p. 39; nam p. 37 videtur tamquam substantiam fidei, oppositam scilicet veritatibus secundariis quae „ad salutem non pertinent, sed tamen de facto cum ea in praesenti ordine connectuntur“ solam existentiam Dei et quod Deus remunerator sit considerare; cum p. 39 tamquam ad substantiam fidei pertinentia afferat mysteria ss. Trinitatis et Transsubstantiationis; potius hoc ultimum recte dicitur, et generatim ad substantiam fidei potius ea omnia trahenda sunt, quae revelata per se dici solent. — P. 46 ad distinctionem inter fidem explicitam et implicitam plura affert, quae distinctionem inter dogma explicitum et implicitum, de qua supra, iam aliquanto magis complent. — Profectus ille dogmaticus bene exponitur et contra exceptiones Orientalium munitur. Opus illud, dogma e statu implicito ad statum explicitum deducendi, organo ad custodiam divinae revelationis divinitus constituto competere, apte animadvertit; similiter, orientales ecclesias, si nullam post suam a Romana ecclesia separationem definitionem dogmaticam edidere, id ideo non fecisse, quod tali organo careant, dum antiquus ecclesiae usus in ecclesia Romana nullam interruptionem perpessus sit. Quae quanti momenti sint pro problemate unionis recte concipiendo et solvendo nemo non videt et cl. auctor, applicando ea ad exempla definitionis infallibilitatis Romani Pontificis et additionis $\tau\omicron\upsilon\tilde{\nu}$ Filicque in symbolo factae bene ostendit.

Capite quarto ostendit, ex defectu magisterii authentici ecclesias orientales christianismo a dogmatico qui etiam in Russia sectatores nactus est, vix non inermes ligatisque manibus traditas esse (p. 112, 114), dum in ecclesia Romana contra has modernas haereses antiquis peiores semper eodem vigore eodemque successu pugnetur, quo in tota ecclesia contra veteres haereses pugnatum est. De utilitate historiae dogmatum bene, apposite et sobrie disserit, falsam libertatem in scientia theologica refellit. P. 99 aliquantulum durius se exprimit, cum dicit simpliciter, esse divinum quid sit nos latere, positivam nos cognitionem de Deo habere non posse; ens enim in se ipso rationem suae existentiae et omnium suorum attributorum habens, sicut et haec attributa ipsa,

perfectio, aeternitas, immensitas, sapientia, potentia, bonitas profecto cognitiones verae et positivae de Deo sunt. Non placet, quod p. 103 mysteria ita ad diversum ordinem spectare dicuntur ut relatio earum cum veritatibus naturalibus nulla sit, et ideo, nulla contradictio; facile quidem conceditur, mysteria ex veritatibus naturalibus inferri non posse, sed omnino alia est quaestio num, posito quod Deo tale mysterium, eg. ss. Trinitatis revelare placuerit, nullam inter tale mysterium veritatesque naturales eg. de una Dei natura relationem obiectivam eandemque nobis subiective cognoscibilem adesse dici possit; si revera nulla talis relatio esset, neque ullo modo sciremus, quid Deum esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum significaret, nec absone quis diceret, principium contradictionis, in quo tota nostra innititur cognitio, in Deo non valere idemque posse ibi simul esse et non esse. Sicut conceptus Patris, Filii et Spiritus Sancti etsi ex naturalibus sumpti sunt, tamen nobis naturam divinam vere manifestant, ita haec supernaturalis cognitio nulla esset, si relate ad ipsam principium contradictionis applicari non posset. — Recte p. 105 exploditur idea etiam inter orientales serpens, dogmata cum progressu, ut aiunt, nostrorum temporum non convenire. P. 108 bene monet, convenientiam dogmatum falso utilitate earum materiali metiri, dum perfectio intellectualis et moralis cuius fons inexhaustus sunt, utilitates materiales toto genere superent. P. 115 refellit illud figmentum, quod orthodoxa theologia populorum Slavicorum ingenio sit quam maxime respondens; longe enim aliter Slavorum magna pars sentiunt, defectusque qui in doctrina theoretica et practica orthodoxorum reperiuntur, nullius populi bono cedere possunt. P. 120 animadvertit ex contemptu theologiae scholasticae factum esse, ut etiam hodie orientales theologi de methodo in theologiae studiis sequendo ancipites haereant.

Ex capite quinto notatu imprimis dignum, orientales theologia positiva potius ideo delectari, quod, deficiente, ex defectu magisterii authentici evolutione progressuque dogmatico, vita illa deficit, quae scholasticae theologiae radix et fundamentum est. Praeterea a tempore separationis usque ad recentiora tempora magnam esse lacunam in orientalium theologia vere theologica; theologos vero russiae vetustiores, qui Kioviae docebant, et scholasticae suaviter operam impendisse et in multis, nominatim in dogmate de Immaculata Conceptione B. M. V. proxime ad catholicos accedere.

Valde placet caput sextum quod de theologia scholastica atque de usu rationis in rebus fidei agit. Ut veros posterioris scholasticae defectus non negat, ita multo maiora et plura eius bona non reticenda monet, calumniasque, e protestantium penu depromptas refellit. Petit, idque iure merito, ab Orientalibus, ut potius cum recentioribus protestantibus insignia prorsus scholasticorum merita agnoscant, hortaturque ut in suam ea utilitatem convertant. Originem scholasticae ab Augustino quasi materiam uberrimam ministrante, per Leontium Byzantinum, scholasticorum praecursorem, qui philosophiam peripateticam in theologiam introduxerit, et Ioannem

Damascenum qui primus unum doctrinae corpus composuerit, per Petrum Lombardum ad magnos saeculi XIII scholasticos deducit, qui operam quam patres imprimis Graeci in scriptis suis theologicis praestiterunt, continuarunt, et tamquam felices magnorum bonorum theologorum haeredes, ad culmen perduxerunt. Cetera quae ad defendendum philosophiae in theologia usum bene et dilucide disserit, nobis notiora sunt, orientalibus certe valde utilia.

Capite septimo agit de theologia symbolica atque de symbolis. Symboli nomine hic brevis fides formula intelligitur; nomine theologiae symbolicae illa theologiae pars, quae ecclesiae alicuius fidem ex symbolis eius eruit atque exponit. Ex quo tamen, post Lutheranam haeresim, haec scientia excoli coepta est, potius ut scientia comparativa concipitur, quae fidem unius christianae confessionis, ex symbolis authenticis haustam, cum fide alterius comparat, dissensiones inter utramque notat, et illas imprimis exponit. Sic Johannes Adamus Möhler suam ‚Symbolicam‘ concepit tamquam scientiam de dogmatibus inter catholicos et protestantes controversis; sic auctor noster dogmatibus inter catholicos et orientales orthodoxos elucidandis insudat. Ut in omni materia, etiam historica, quae circa obiectum versatur, cuius non omnium est idem amor aut odium, sic etiam in symbolica tractanda, nisi quis sibi limites nimium artificiales ponere velit, fieri non potest, quin cum expositione obiectiva dogmatum controversorum critica tum dogmatica, tum philosophica tum historica coniungatur; quo fit, ut expositioni dogmatum adiungatur probatio priorum et refutatio alienorum dogmatum, etsi ex natura sua theologia symbolica nec apologeticum nec polemicum finem habeat. — Recensitis symbolorum collectionibus compendiisque theologiae symbolicae transit ad consideranda symbola fidei antiqua, apostolorum scilicet, Nicaenum, Constantinopolitanum et Athanasianum eaque omnia tamquam legitima ecclesiae auctoritate probata partim a protestantium eorumque inter orientales asseclarum partim ab orientalium obiectionibus vindicat, veram eorum naturam, momentum ut aiunt, denique historiam accurate exponit. Qua in re diligens studium literaturae recentioris quae de his controversiis tractat, in auctore vehementer laudandum est, sicut etiam animus semper promptus ad discendum, etiam a viris alterius confessionis vel gentis, quo tamen nunquam ad fucatam tantum gloriolam peregrina proponendi impellitur. — Inquisitiones in haec symbola pro negotio Unionis ecclesiarum summi sunt momenti, ut vel exinde patet, quod orientales, dum additionem τὸν Filioque symbolo constantinopolitano factam, impugnant, generatim conceptu certo certius errato circa naturam dogmatum, symbolorum eorumque ad magisterium authenticum relatione ducuntur (Cf. etiam p. 425). Quomodo enim secus affirmare possunt, magisterio authentico a Concilio Ephesino manus esse ligatas, ne iam unquam, ad morem prioris ecclesiae, necessitate vel utilitate occurrente, explicite in symbola exprimeret, quod antea erat tantum implicite expressum? Aut quomodo negare possunt

doctrinam, quae pluribus saeculis ante scissionem in ecclesia latina pervulgata erat, non esse ipso facto per magisterium authenticum probatam nec potuisse extra temeritatem vel etiam haeresim ab eodem magisterio authentico in symbolum recipi? Atque haec est causa cur cl. auctor hanc materiam quae minoris momenti alicui videri possit, tam accurate tractet. — Recte p. 338 veram schismatis originem in causis moralibus, ut aiunt, videt, incestuosa unius principis passione et extrema unius aulici ambitione, quae tamen occasio potius fuerunt, et inveterata simultate quae, „peracta Romani imperii divisione, inter Graecos et Latinos virescere coepit, donec altis iactis radicibus totum orbem christianum infecit. Ipsemet Photius nihil cogitavit de reprobando latino dogmate, cum per violationem legum ecclesiasticarum ad sedem patriarchalem eVectus, suis litteris Romanis Pontificibus blanditus est, falsa inductus persuasione, eos sibi propitios fore. Profecto non negaverim post brevem temporis lapsum dogmaticis fundamentis nixum fuisse. Hoc tamen initio non accidisse, contendimus. De iurisdictione Romanae sedis potius quam de Filioque primum decertatum est. Si Romanorum pontificum benevolentiam nactus esset Photius, proculdubio illud Filioque, remine repugnante, dissensionis causa non extitisset. At, Romanis Pontificibus iura veritatis iustitiaeque pro Ignatio e sua sede eiecto vindicantibus, illud Filioque, ut Gorgoneum caput abhorrendum, protulit Photius, inustaue latinis haereseos nota, civium suorum vetus in eos odium mirum in modum aluit“ (p. 338 sq.). — Quaestione de veteribus symbolis expedita, agit de auctoritate decretorum ad fidem spectantium quae a conciliis oecumenicis edita sunt, eademque tamquam normam fidei immutabilem et habendam et haberi etiam apud orientales demonstrat. — P. 424 innuit gravem illam difficultatem quod orthodoxi solis his decretis hanc vim tribuant, neque eadem a Romano Pontifice ut confirmentur opus esse opinentur. Ergo ante primum concilium oecumenicum per tria continenter saecula nullae erant normae fidei?

Ut in capite septimo de symbolis, sic capite octavo tractat de libris symbolicis, i. e. libris illis, quibus ecclesiae alicuius fides fusiore stilo authentice exponitur (cf. p. 488). Praeter symbola etiam libros symbolicos, sive ad fideles fidem plenius edocendos, sive ad eandem ab adsultibus haereticorum efficacius defendendam utiles et necessarios esse nemo infitias ibit. Quaestio est, utrum ecclesia orientalis ut talis tales libros habeat. Studiose auctor inquit in omnes illas longiores fidei expositiones quae tamquam libri symbolici circumferuntur. Primus in orientali ecclesia post schisma nono saeculo peractum decimo quinto demum saeculo, post Constantinopolim a Turcis captam librum symbolicum composuit Patriarcha Constantinopolitanus Gennadius Scholarius I. Qui, ex Concilio Florentino redux, cum primum unionem factam strenue propugnasset, postea denuo ab unitate ecclesiae defecit. Confessio eius et dialogus, cur maiorem auctoritatem sibi vindicare possint, quam cuiuslibet alterius episcopi, qui forte etiam amplius et accuratius fidem exponat, nullo

modo apparet (p. 439). — *Responsa a Hieremia II., Patriarcha Constantinopolitano, Lutheranis, de iucunda cum ecclesia orientali unione sollicitis data* (1576, 1579, 1581), ab orientalibus tamquam libri symbolici considerantur. Generatim fidem orientalium continent, et cum orthodoxis omnibus probentur, suo modo symbolica dici possunt; et immerito protestantes, quia ipsis obsunt, omnem eis valorem symbolicum negant. — *Confessio Cyrilli Lukareos, Patriarchae Constantinopolitani* (1629), calviniana potius est, et ab orientalibus non ut suae fidei confessio agnoscitur. E contrario tamquam symbolica considerant *decretum concilii Constantinopolitani* (1638), *acta Jassensia* (1642), confessionem fidei a *Dositheo, Patriarcha Hierosolymitano* in synodo ibidem 1672 habita approbatam, quae omnia in refutanda Confessione Cyrilli Lukareos sunt. *Confessio Dosithei*, quae a latina theologia ad refutandos errores Calvinianos arma mutuavit, quibus theologia orientalis mirum quantum destituta erat, praecipuum etiam locum inter libros symbolicos ecclesiae Graecae obtinet (p. 503). — *Petri Mogilae* († 1646) *Orthodoxa Confessio*, cum primum manuscripta tantum circumferretur, anno 1667 typis mandata est; ex mente auctoris sui tum ad errores calvinianos refellendos, tum ad orthodoxam doctrinam contra Latinos stabiliendam directa est; primum Kioviae in synodo composita, postea Jassiae emendata; eam auctores orthodoxi fere tanti faciunt, quanti nos Catechismum Romanum. Cum haec confessio tum ab Orientalibus tum a Patriarcha Constantinopolitano tum ab ecclesia Russa probata sit, si haec non habetur ut liber symbolicus, nullus in tota orientali ecclesia iam erit, qui tale sibi nomen iure vindicare possit: et tamen multi inter theologos orientales valorem eius symbolicum non agnoverunt, eo quod in nonnullis latinis faveat, ex quo fit, ut in his iam amplius latinorum doctrinam impugnare non possint, quin libro alicui symbolico, ideoque fidei authenticae suae ipsi ecclesiae contradicant. — *Confessio fidei Metropolitani Critopuli* (p. 564), *Patriarchae Alexandrini* (1624 vel 1625), cum lutheranizet, nec liber symbolicus, nec confessio privata fidei ecclesiae orientalis est (p. 575).

In eodem capite de conciliis particularibus sermo est, quae, secundum doctrinam catholicam, valorem oecumenicum et definitivum non habent, nisi a Romano Pontifice expresse vel tacite approbentur, ut cum quibusdam factum esse constat. Etiam secundum Graecos de facto certa quaedam concilia particularia oecumenicis aequiparanda et ut talia paulatim in ecclesia recepta sunt; radicem vero oecumenicitatis non repetunt ex consensu saltem tacito Romani Pontificis, sed ex decreto secundo synodi quini-sextae seu Trullanae; praeterea similem auctoritatem duabus synodis Photianis (816 et 879) tribuunt. Iam vero synodus quinisexta oecumenica ipsa nullo modo fuit, cum sine Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano celebrata sit; unde quod ipsa ex se non habet, nec aliis tribuere potest. Praeterea nulla Romani Pontificis approbatione completa est, cum tamen, ut ait Nice-

phorus Patriarcha Constantinopolitanus (805—815): „Sine Romanis illud dogma quod in ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetudine fuerit antea ratum, nunquam tamen probatum habebitur, neque in praxim deducetur, quia illi sacerdotii principatum sortiti sunt, atque coryphaeorum inter Apostolos dignitatem sibi traditam habent“ (p. 589 sq.). Codex vero ille Trullanus, ut ait Pargoire, „est ea cum solertia et cum ea fraude structus, ut cum nihil fere ex toto orbe Romano retineret, quasi libellus haberetur repudii byzantinam inter et latinam ecclesiam renuntiati. Semel enim inserto illo iure, inque mores populorum funditus immerso, iam schisma a radicibus haeret“, (p. 591).

Photianae vero synodi tantum abest ut a Romanis Pontificibus saltem tacite approbarentur, ut a Nicolao I. et Ioanne VIII. sollemniter damnatae sint. — Apposite monet auctor, cum orientales principium ut aiunt synodicum adeo extollant, de eoque contra ecclesiam latinam gloriantur, ex quo facta est inter orientem et occidentem scissio, in ecclesia latina perpetuo et haberi posse et, licet rarius, haberi concilia particularia, dum apud orientales particularia concilia veri nominis, quae scilicet non impulsu laico vel auctoritatis politicae sed libertate ecclesiae insita agant atque non de personis tantum sed etiam de rebus, idque secundum veterem formam conciliarem, seclusis laicis, tractant, vix unquam habita sint. Generalis vero synodus pro imperio Russico in annum 1906, vel 1907 vel 1908 indicta, quae flagrantem illum canonum orthodoxorum contemptum qui ex tempore Petri Magni quasi in systema abiit, tandem aliquando e medio auferre debuit, nec congregata est, nec congregari potuit, etsi optimus quisque in eam adducendam insudaverit. Quod concilia particularia ecclesiae graecae spectat, synodus illa quae in ecclesia S. Sophiae ante captam a Turcis Constantinopolim ad rescindenda decreta concilii Florentini facta esse perhibetur, nunquam habita est. Habitae autem fuere ad versus Latinos synodi 1482, 1722, sub Cyrillo V (1748—1751), sub Paisio (1752—1757), synodus pro confirmanda electione Job ad sedem patriarchalem totus Russiae (1590), synodus ad expellendos ex ecclesiae suae sinu Bulgarios (1872). — Decreta autem synodica non sunt acta illa patriarchatus Constantinopolitani, quae in permanente duodecim episcoporum synodo eduntur, quae cum congregationibus Romanis aliquam similitudinem habent, etsi auctoritate cum illis comparari nullo modo possint. — Ex iis quae longe lateque de synodis disserit auctor, concludit: 1° Synodus generalis omnium orthodoxarum ecclesiarum, collatis viribus leges de fide condentium, habita nunquam est, et, si orthodoxos ipsos audias, nec amplius haberi potest. 2° Synodi particularia veri nominis fuere paucissimae, paucorum episcoporum, quod imprimis de celeberrima Synodo Jassiensis, quinque tantum virorum, et Hierosolymitana Dosithei, qua sine vera forma synodica praesentes episcopi et clerici litteris Dosithei subscripserunt, dicendum est. 3° Synodus perpetua Patriarchae Constantinopolitani vera synodus non est. 4° Ex particularibus illis

synodis sunt, quae circa fidem contradictoria statuerint, ut Mosquenses anni 1620 quae Latinorum baptismum invalidum, et anni 1666—1667 quae eundem validum declaravit, ut mosquenses anni 1656, centum capitulorum dicta, quae liturgica quaedam, omnino ac si de fide essent, perpetuo servanda decrevit, et anni 1666—1667, quae conditores centum capitulorum ob nimiam simplicitatem et credulitatem irrisit, legesque eorum sustulit. Non possunt igitur tales synodi, utpote non infallibiles, haberi tamquam organon magisterii authentici in ecclesiis orientalibus perdurantibus. 5° Talis synodi particularis decreta aliae ex orientalibus ecclesiis acceptant, aliae respuunt, nec eosdem excommunicatos habent, ut patet de Bulgaris, cum quibus Slavi communicant, dum graeci eos extorres ab ecclesia declarant. Certe si a Slavis intra, a Graecis extra ecclesiam esse Bulgari decernuntur, aut potestate excommunicandi carent, aut, si gaudent, excommunicatioque efficax est, patet non unam sed duas esse ecclesias, quarum una Bulgaros complectitur, altera non, sicque Slavos et Graecos non eiusdem esse filios ecclesiae. 6° Immo etiam intra limites eiusdem iurisdictionis tamquam simul valitura statuunt contraria sicque confusionem in ecclesiam inducunt; sic decretorum Constantinopolitanorum alia Latinos rebaptizandos esse statuunt, alia vetant; quae iuris incertitudo in rebus maxime fundamentalibus religionis christianae presbyterum Anglicanum Palmer, diu de adiungendo se ad ecclesias orientales deliberrantem, tandem impulit, ut potius ecclesiae Romanae nomen daret. 7° De fide, de qua tamen imprimis in ecclesia provisum esse debet, hae synodi vix unquam tractant. 8° Eadem se, ut iam Byzantii invaluerat, innata ecclesiae libertate posthabita, pro qua Romani Pontifices semper tam strenue decertarunt, ad nutum auctoritatis politicae vel etiam factionum popularium mirum quantum se componunt; sic decretum Cyrilli V, quo Latinorum baptismus invalidus declaratur, infimae plebeculae clamoribus et seditionibus obtentum fuit. — Ex quibus auctor merito deducit ecclesias orientales magisterio authentico prorsus carere. „Magisterium enim authenticum in rebus fidei, magisterium scilicet, cui omnes teneantur suffragari eique plenissimam fidem adhibere, illud non est, quod repugnantia docet in controversiis fidei, quod aliud theoretice, aliud practice proponit, quod ad arbitrium potestatis civilis sese gerit in suis muneribus obeundis“ (p. 627). Atque ad hoc iudicium se adduci maxime quaestione de validitate baptismi Latini apud orientales ait, dum theoretice et practice aliud graeca, aliud russica teneat ecclesia, quin ecclesiae illae medium inveniant, quo ad unitatem sententiae legitime perveniant. Non habentur in ecclesiis orientalibus post schisma factum ullae authenticae decisiones circa fidem, nec habetur magisterium ab omnibus agnitum, quod ad morem pristinum controversias circa fidem componat et sic unitati fidei in ecclesia efficaciter consulat.

Ad litteras dogmaticas patriarcharum, imprimis Constantinopolitani, quod spectat, sine ullo in re funda-

mento, aliquot auctores universalem aliquam eis pro tota ecclesia auctoritatem tribuere conantur. Cum enim ecclesia Constantinopolitana longe post apostolos coeperit, per se patet fundamentum aliquod iuris divini, scriptura vel traditione testatum, non adesse. Canon vero Chalcedonensis 28, Patriarcham Constantinopolitanum Romano Pontifici exaequans, ab auctoritate unice legitima, Romano Pontifice, sine cuius assensu nullum Concilii decretum est firmum ac validum, numquam agnitus est. Quod autem auctoritatem illam spectat, quam iam ante schisma habuerunt, quamque etiam, ut notare iuvat, ipse Cardinalis Hergenröther agnoscit saltem ex magna parte ut legitimam, ea iuris humani erat, temporum adiunctis innitens, quibus mutatis, nec ipsa amplius permanere potest. Cum enim, Mahometanis imperium invadentibus, iam a saeculo septimo patriarchae Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus in miseris conditionibus degerent, dum solus Patriarcha Constantinopolitanus, salva urbe, capite imperii, efficaciter rebus ecclesiasticis providere posset, cumque ceteri patriarchae ipsi saepius Constantinopolim confugerent et aliunde conversione Slavorum a Patriarchatu byzantino promota eiusdem etiam apud illos populos auctoritas cresceret, paulatim factum est, ut ecclesiasticarum in toto Oriente rerum summa ad Patriarcham illius urbis in qua etiam sedes imperii erat deferretur; cuius rei legitimitatem tum ex tacito consensu particularium ecclesiarum, quae propter necessitatem vel magnam utilitatem suas illi vires in multis tribuebant, tum ex similiter tacito consensu Romani Pontificis deducendum esse existimo. Iam vero talis auctoritas, non sedi ipsi inherens, sed ex circumstantiis temporis oriens et humano tantum iure firmata, nec ad universam se extendebat ecclesiam, nec infallibilitatem, praerogativam solius Romani Pontificis Divino iure propriam includebat, et infirma et labilis erat, unde nil mirum, si tempore procedente, vehementer imminuta et quasi sublata sit.

Et certe nihil episcopus Constantinopolitanus conqueri posset, si episcopus mosquensis, tamquam tertiae Romae episcopus eius iura practice ad se translata esse contenderet.

Quare, sicut secundum principia ipsius iuris orthodoxi Patriarcha quilibet, etiam Constantinopolitanus, non habet maiorem potestatem quam quivis alius simplex episcopus, ita et magisterium eorum, etiam Patriarchae Constantinopolitani, mere privatum est, eorumque epistolae auctoritate oecumenica omni carent, idque ex eorum historia, imprimis Patriarcharum Constantinopolitanorum, luce clarius patet. Et quod de litteris unius Patriarchae valet, valet de litteris omnium simul communibus, ut in quibus eadem contradictiones reperiantur. — Catechismus Philareti (1823, 1829), inter libros symbolicos recensetur, et magna apud Russos etiam hodie auctoritate gaudet; quae tamen auctoritas, cum extra Russiam ei non tribuatur, patet inmerito librum symbolicum existimari, qui scilicet fidem totius orientalis ecclesiae testetur.

Concludit auctor imprimis, libros symbolicos sensu proprio, qui scilicet de totius orientalis ecclesiae fide authentice testentur, non haberi, esse tantum libros symbolicos latiore sensu sicut confessiones fidei singularum sectarum protestantium. Fidem enim orthodoxam accurate non exprimunt, aut heterodoxis favent sententiis (Confessiones Cyrilli Lukareos et Metrophanis), aut privatas theologorum opiniones proponunt (Confessio Petri Mogilae et Catechismus Philareti), aut sanctione ac suffragio omnium ecclesiarum orthodoxarum non communiuntur (Confessio Dosithei etc.). Nec desunt inter orthodoxos, qui hanc conclusionem practice probent, dum illa documenta tamquam in omnibus immutabilis fidei testimonia considerare recusant.

Concludit ulterius (p. 653), cum orthodoxi magisterium authenticum soli ecclesiae universali in concilio oecumenico congregatae adscribant, cum secundum ipsos concilium oecumenicum iam haberi non possit, a ut desiisse magisterium authenticum, ideoque medio efficacissimo ad fidem incontaminatam servandam ecclesiam destitutam esse, quod dici nequit, dicendum est, a ut necessarium amplius non esse, quod quam falsum sit, ipsae pugnae ab orientalibus cum protestantibus susceptae liquido demonstrant; quibus sustinendis vires ecclesiarum particularium, maxime si, ut ecclesiae orientales, unione externa inter se carent, impares omnino sunt.

Patet igitur, secundum orthodoxos apud ipsos magisterium authenticum non esse, cum illud in solo concilio oecumenico agnoscant, quod confitentur apud se congregari amplius non posse; cum vero magisterium authenticum semper in ecclesia necessarium sit, solum illud magisterium authenticum, quod profitetur catholica ecclesia legitimum esse potest et debet: Romani Pontificis, sive cum concilio oecumenico sive sine concilio oecumenico, ad eum modum, quo illud iam longe ante primum concilium oecumenicum exercuit, ut notissimum s. Irenaei testimonium, ut de aliis taceam, ostendit. Ecclesiae orthodoxae, utpote tantum particulares, sententias theologicas, ab errore non necessario immunes, proponere possunt, definitiones dogmaticas, infallibilitatis charismate munitas, edere non possunt. Quo apparet, nec librum symbolicum haberi posse, quin auctoritas Romani Pontificis sive in concilio, sive extra concilium accedat, solus enim sive extraordinario sive ordinario magisterio fungitur, auctoritatem vere oecumenicam, etiam et imprimis in rebus fidei habet.

Capite nono de theologia polemica agit, cuius munus in dogmate catholico contra dissidentes evincendo constituit. Theologiam polemicam, quam quidquid verbum sonat, ex natura sua irenicam debere esse iure meritoque contendit, ab apologetica, apologeticae tum materia, praeambulis scilicet fidei, tum fonte, ratione scilicet, discernit; cum theologia dogmatica tum in fonte, fide scilicet, tum in materia generatim, veritatibus scilicet revelatis, convenire, distingui vero inde tenet, quod dogmatica totum veritatis revelatae depositum intime rimetur, polemica vero eas tantum veritates quae

a dissidentibus aut negantur aut obscurantur speciali modo, imprimis etiam ex concessis ab ipsis, efficaciter demonstrare intendat. Cui viam quasi monstrat theologia symbolica, quae ex nostris dissidentiumque symbolis et libris authenticis quidnam quisque credat, et in quonam exacte orientales a nobis dissentiant, fideliter aperiat.

Ceterum animadverto, cum scientias nimis scindere non expediat, et in omni scientia tractari soleant etiam ea, quae licet stricte sumendo ad eius materiam non spectent, attamen cum eadem cumque fine practico talis scientiae arte cohaereant, ita etiam in theologia polemica materia potius ex potiore, sensu quem supra dixi, — indicata esse censenda est. Non enim expedire existimo, si vere tantum ex fontibus authenticis orientalium dogmata nobis adversantia petere velimus, cum praesertim, ut auctor iam recte monuit, libros symbolicos veri nominis, qui tales ab omnibus agnoscantur, non habeant. Etsi igitur ea quae ex symbolicis scriptis erui posse videntur in theologia polemica primum omnino locum extra omnem controversiam occupare debeant, tamen non erunt omnino illa ad dogmata spectantia, spernenda, quae forsitan magnum inter orientales favorem habent, sicque, si indiscussa manerent, unionis negotium remorari possent. — Ex animo subscribo in iis, quae cl. auctor in theologia polemica vitanda monet, ut sunt: minutiarum studium, cum cardo rerum semper prae oculis habendus sit, negatio consensionis in pluribus et impugnatio eorum quae recte docent, cum nemo ut dimidius paganus haberi velit, et ea in quibus convenimus pontem pro unione portare debeant, negatio cuiuslibet discrepantiae, cum solum unionem ex plena rerum cognitione factam duraturam sperare possimus, silentium circa dissidentium responsa, cum non facilem aliquem triumphum agere sed vere convincere velimus, quod impossibile est, nisi usque ad ultimam difficultatem solvamus, studium denique certandi, vana gloriae cupido et similes humanae miseriae, quae in tam divino negotio partem nullam habere debent. — Quod quaestionem spectat, utrum in controversiis cum orientalibus hi schismatici appellandi sint, cum de re ipsa ut monet auctor dubium esse non possit, nec verus status rerum in hoc puncto obscurari debeat, tamen, quod quaestionem ipsam spectat, eius solutio dubitationem nullam habet; est enim mera quaestio civilitatis ut ita dicam. Ut enim homini, qui sine sua culpa infirmitate aliqua laborat, leges civilitatis non permittent, ut in conversatione cum ipso nomen talis infirmitatis, praesertim si male sonat, continuo in ore habeamus, sic eadem leges, quae pro hominibus christianis leges caritatis simul sunt, ut schismaticos vocitemus eos, qui a pueris in sua religione eruditi sunt, eandem semper ut veram habuerunt neque ad ulteriora obligantur, antequam se in hoc errasse coram Deo, iudice vivorum et mortuorum, intellexerint; cumque nos neque pro universis orientalibus neque pro singulis nec pro quocumque in individuo horam gratiae et verae internae illustrationis scire possimus, absone et temerarie aliquo vocabulo continuo uteremur, quod in suo rigore tantum ibi applicari potest, ubi subiectiva bona fides non amplius existit.

Capite decimo de scientiis singulis ad studium theologiae polemicae ineundum necessariis accurate tractat, in unaquaque assignans, quodnam speciale ex ea ad unionis negotium emolumentum capi possit. Caput undecimum in generali Russorum ac Graecorum contra Latinos polemica describenda versatur.

Ex animo gratularum cl. patri Palmieri, quod in hoc volumine omnigena eruditione ad negotium unionis spectante refertissimo fructum indefessi sui in hac praeclarissima causa laboris nobis tam clare et solide proponere inceperit. Summis tantum capitibus materiam ingentem et utilissimam indigitare hic potuimus. Speramus fore, ut omnes qui in divinissimum illud negotium unionis ecclesiarum promovendum incumbant, librum P. Palmieri sibi familiarem faciant, exindeque omnigenae eruditionis auxilia depromant. Secundum methodum in hoc primo volumine adoptatam, sperare etiam licet, cl. auctorem etiam in sequentibus, ubi de praecipuis dissensionis capitibus agendum erit, tractationem theologicam cum historica evolutione coniuncturum, ex qua non parum lucis ac roboris pro tractatione ipsa theologica nobis promittimus.

Dr. P. Sinthern.

V A R I A.

Responsa.

Quomodo ecclesiae catholicae veritas optime probetur.

Considerantibus nobis in primis periodum temporis ab initiis saeculi secundi ad medium fere usque saeculum tertium (c. a. 110— c. 258), factum occurrit historice prorsus indubium in media antiqua societate novum se exporrexisse organismum sociale, multis quidem coetibus, sub episcopo, presbyteris, diaconis, hierarchice constitutis constantem, unum tamen unitate fidei et cultus, arctissime cohaerentem solidaritatis sensu et communionis exercitio, cuius cum uno nomine catholicae ecclesiae unum quoque, continua progressionem claritatis agnitum sit caput, episcopus romanus.

Episcoporum vero, presbyterorum, diaconorum nomina ita reperimus hoc ipso tempore ad unam significationem determinata, ut, modica quadam fluctuatione vocis *πρεσβύτερος* ommissa, triplex iisdem designetur hierarchicus gradus essentialiter diversus: Episcopus praesidet in omnibus, quae ad ecclesiam spectant, docet, regit, mysteria dispensat, egentium curam gerit; presbyterorum munus huc redit, ut opera et consilio episcopum iuvent, de eius mandato praedicent ac, ordinatione excepta, sacris fungantur; diaconi concreditum habent ministerii officium.

Quodsi ascendimus retro intra saeculum primum, usque fere ad tempus quo s. Paulus primum apostolicum iter et ordinatam ecclesiarum foundationem suscepit (c. a. 110— c. 46), hoc prae primis certum est prorsus, ecclesiis singulis, modo utcumque formatis, suos datos esse stabiles praepositos, qui docendi ac regendi munere fungerentur sacraque dispensarent, eosque fuisse a charismaticis praedicatoribus et itinerantibus apostolorum legatis generatim distinctos. Ideoque gratuito et falso assertum est, communitates christianas aliquando vel mere demo-

cratica regiminis forma usas esse, vel ita fuisse constitutas, ut totam illarum directionem aut certe totum magisterium soli charismatici exercerint.

Ad nomina porro horum stabilium praepositorum quod spectat, vox *διάκονος* quidem sub finem saeculi primi eandem accipit determinatam significationem, quam saeculo secundo erat habitura. Voces vero *πρεσβύτεροι* et *ἐπίσκοποι*, etsi forte prior ex indole sua paulo generalior sit magisque efferat dignitatem, altera magis exprimat munus, non videntur in ullo saeculi primi documento diversam, duplicis gradus significationem habere, sed potius cum aliis latioribus vocibus *ἡγούμενοι*, *προιστάμενοι*, *ποιμένες* promiscue eos denotare qui tunc stabiliter praeerant ecclesiis. Carent proinde solido fundamento theoriae quaecumque illorum vocabulorum diversitati innixae.

Quinimmo in re quoque ipsa, licet per se potuisset sub promiscuo vocum usu duplex gradus praepositorum latere, probabilius esse censemus *τῶν ἐπισκόπων* et *πρεσβυτέρων* nomine ubicumque saeculo primo recurrunt, unius tantum gradus praesides designari, et quidem eius, qui est deinceps in ignatiana hierarchia secundus. Aliunde autem pro certo habemus illos saeculi primi *ἐπισκόπους* seu *πρεσβυτέρους* verum munus habuisse manuum impositione conferendum, non meram praerogativam antiquitatis et honoris.

Graviter tamen erraret qui idcirco opinaretur, monarchicum, quem vocant, episcopatum secundo demum saeculo deberi. Quin enim ab apostolis originem ducat explicita saeculi secundi testimonia et regressiva, intra certos limites prorsus legitima argumentatio, dubitare non permittunt. Sed etiam in ipsis fontibus saeculi primi, res ipsa episcopatus proprie dicti indubie reperitur, modo non sub voce *ἐπίσκοπος* quaeratur nec exspectetur, quae hisce initiis exspectaretur immerito, plena ubique locorum stabilitas plenaque uniformitas regiminis episcopalis.

Ea namque *λειτουργία* seu potestas constituendi praepositos ecclesiarum, quam Clemens romanus diserte testatur a docentibus apostolis communicatam esse quibusdam „viris eximiiis“ extra ordinem *τῶν ἐπισκόπων* seu *πρεσβυτέρων* constitutis, esse non potest nisi, ut pressius loquitur Irenaeus *λειτουργία τῆς ἐπισκοπῆς*, prout haec saeculo secundo est intellecta. Quaestionem vero quinam sint, quomodo concrete debeant cogitari illi „viri eximii“ quibus apostoli episcopalem pleno sensu potestatem tradiderunt, multipliciter illustrant tum epistulae pastorales tum ea, quae de Petro, Iacobo, Ioanne antiqua et fide digna fert traditio.

Quibus diligenter perpensis sic describi posse videtur monarchici episcopatus historica origo: Duobus apostolis, qui ut capita ecclesiarum stabiles occupaverant sedes, Petro Romae Linus, Iacobo Hierosolymis Simeon naturali prorsus consecutione in episcopatu successerunt. Fortasse non dissimili ratione successit Antiochiae post Petrum Evodius, Alexandriae post Marcum Annianus. Ecclesiis a Paulo fundatis, saltem plerisque, satis diu, alicubi forte ad secundi usque saeculi initia, sine stabili episcopo praefuisse videtur simplicium presbyterorum collegium, dum episcopalis potestas in apostolo primum deinde in legatis eius residebat, nec civitati ulli nec proprie loquendo certae provinciae stabiliter addictis, id quod de Tito et Timotheo certo constat.

Sive porro illi ipsi Pauli adiutores stabiles alicubi fixerint sedes, sive ante mortem singulis iam civitatibus addictos sibi constituerint successores — sub finem saeculi primi et initio secundi, qui iam pridem exstiterant in maioribus centrīs, per ceteras quoque urbes stabiles episcopi multiplicari incipiunt. In istud

opus praepriis incubuisse Ioannem, Apocalypsis et traditio et ipsa in provincia Asiae ecclesiarum frequentia indubie testantur. Hoc ipso denique tempore episcoporum nomina, hactenus vel descriptiva vel propria, nomini tecnico cedere videntur. Id tamen non ubique tam cito ac in Asia factum esse, Pastoris Hermae terminologia insinuat.

Atque hac demum ratione intellegitur in ipsa episcopatus origine fundamentum habere constans illa totius ecclesiae persuasio prae ceteris clericis episcopos solos esse in regimine ac magisterio apostolorum successores; intellegitur centralis illa episcopi in singulis ecclesiis functio, qua ecclesia dici possit „esse in episcopo“ ac definiri „pastori suo grex adhaerens“; liquido tandem elucet, cur per episcoporum successiones et „census suos deferant ecclesiae“ et „omnes qui, praeter quam oportet colligunt, confundant“

Si denique ascendimus infra a. 46 ad ipsa nascentis religionis christianae primordia et illic invenimus ecclesiam iisdem supremis lineamentis adumbratam, quae sequenti tempore conspeximus perfectius evoluta latiusque diffusa. Est enim societas fidelium Christi tum in se una unitate fidei, cultus, communionis, tum a synagoga, sin minus externe separata, interne tamen ab ipso initio distincta; habentur praepositi qui docent et regunt, primum soli apostoli, deinde septem illi *διάκονοι τῶν τραπέζων*, quos in substantia censemus posterioribus diaconis respondere, tandem presbyteri, quos similiter putamus esse identicos iis qui in communitatibus ethnico-christianis hoc nomine sunt nuncupati; habet denique ecclesia illa tendentiam ad dilatationem ambitu populi iudaici nequaquam concludendam ita ut ideae universalis apostolatus inter gentes dici non possit I'aulus primus auctor sed tantum potentissimus minister.

Ut de hac ecclesia, quam ad medium usque saeculum tertium consideravimus historice per modum facti, instituamus quaestionem iuris seu veritatis, hoc nobis in primis analysi conceptuum constat ad rationem „verae ecclesiae Christi“ duplex elementum omnino sufficere et necessario requiri: 1° ut ecclesia de qua quaeritur constitutione sua respondeat formae a Christo praestitutae; 2° ut auctoritas, qua velut formali principio continetur, via legitimae transmissionis a Christo auctore descendat.

Duplicis vero praedicti elementi in aliqua concreta ecclesia demonstratio tribus hisce absolvatur oportet: 1° ostendenda est conformitas cum idea Christi in generalibus lineamentis, quibus Christus adumbraverat ecclesiam suam; 2° probanda est legitima successio auctoritatis; 3° demonstrandum est vi indefectibilitatis et innerrantiae a Christo promissae ab idea Christi non esse aliena cetera quoque magis particularia instituta, quibus historica evolutione constitutionem suam ecclesia explicavit magisque circumscripsit.

Iam vero, ut a primo ex iis quae probanda sunt incipiamus, generalis forma, qua Christus et re et verbo exhibuit ac initiavit ecclesiam suam haec ipsa est, quam vidimus deinceps sub apostolis eorumque successoribus re ipsa expressam, forma nimirum unius, coadunandis hominibus cunctis destinatae societatis, vinculis oboedientiae fidei viventi ac visibili auctoritati pastorum sub uno capite obstrictae.

Non minus evidens est secundum elementum, praedictorum scilicet pastorum et unius capit'is auctoritatem via legitimae successionis descendere ab amplissima illa, ad successores perpetuo derivanda missione, qua Christus munivit apostolos et Petrum.

Quare, cum Christus infallibili promissione asseruerit fore ut missa a se vivens auctoritas, si modo unitatem capitis teneat, numquam deficiat, numquam a veritate deflectat, merito concludimus hanc ipsam et talem, qualis se nobis concrete exhibuit ecclesiam, veram esse ecclesiam Christi. Falsi proinde sunt, qui in crimen veritatis vertunt magnum et multiplicem, qui in hac ecclesia observatur evolutionis profectum. Nam, sicut a priori exspectari debebat futurum ut „granum sinapis“ explicaret se in arborem magnam, ita quaestio veritatis ecclesiae hinc tantum diiudicanda erat num evolutio tota, ut reipsa factum esse videmus, maneat intra ambitum formae a Christo praestitutae et num sub ea auctoritate sit perfecta, quae legitima successione a Christo descendens, vi promissionis eius ab errore et defectione fuit immunis.

Si vero haec, quam pro ecclesia medii saeculi tertii adhibuimus demonstratio veritatis, producit ad saecula subsequentia, omni cum evidentia concludendum est hanc solam esse veram ecclesiam Christi, quae hodie est catholico-romana. Haec enim sola et formam a Christo praestitutam constanter servavit ac servat ut sit una et universalis societas per oboedientiam fidei visibili auctoritati pastorum sub uno capite obstricta; haec sola merito asserere potest ad se descendisse via legitimae successionis missionem datam apostolis et Petro.

E contra, ut iam ceteros omittamus, qui in christiano nomine censentur — quotquot sunt sic dictae ecclesiae, quae a reformatione saeculi XVI. originem ducunt, eae non modo successione missionis carent sed radicaliter deficiunt ab ipsa idea ecclesiae Christi: oboedientia fidei respectu visibilium pastorum; ecclesiae vero, quae mediate vel immediate Photium habent auctorem, etsi abstractae ideae ecclesiae Christi aliquatenus respondere et materialem successionem apostolicam consecutionem utcumque servare videantur, a ratione tamen verae ecclesiae Christi eo deficiunt quod a legitimo successore Petri et per consequens a concreta ecclesiae Christi forma tristi schismate dissident.

Haec ipsa vero conclusio, quam deduximus ex praemissis, rei demonstrandae internis prorsusque sufficientibus argumentis, validissime confirmatur exinde, quod sola ecclesia catholico-romana circumdatur non interrupta miraculorum moralium serie, quae constituunt irrefragabile divinae eius legationis documentum. Ad hanc enim solam spectant admirabilis propagationis modus, innumerorum martyrum testimonia, eximia sanctitas, inexhausta in bonis omnibus fecunditas, catholica unitas, stabilitas inter continuas procillas invicta. E contra historice ostendi potest, simul ac e gremio verae ecclesiae discesserunt, in ceteris coetibus christianis magis minusve aruisse horum sublimium fructuum virtutem, ut vel exinde appareant esse, quod sunt reipsa: „rami fracti“ exsortes „pinguedinis olivae“.

R.

LIBELLUS III. CONVENTUS VELEHRADENSIS.

27./VII. post. merid. h. 2: Veni Sancte. Creatio Praesidis. Creati alloquium; h. 230: Lectio par. VASIL. GOEKEN (Berlin): Possitne fieri unio inter ecclesiam Romano-catholicam et Orientalem. h. 3: Lectio P. CLAEYS BOUUAERT (Bruxelles): Quae sint psychologicae condiciones concordiae eorum, qui inter se de doctrina

contendunt. restituendae; h. 330: Lectio P. I. URBAN (Kraków): Quatenus Occidentales et Orientales inter se separati sint et quibus vinculis coniungendi. h. 5: PARTES conventus deliberaturi constituuntur. PARS I quaestiones proponit et tractat.

28./VII. ante merid. h. 8 Lectio P. A. PALMIERI (Roma): Num doctrinae catholicae de satisfactione, „iuridismus“ sit obiciendus; h. 830 Lectio prof. P. M. JUGIE (Constantinople): De precibus pro ecclesiarum reconciliatione fundendis. h. 9 Lectio prof. Dr. ŠIMRAK (Zagreb): De causis et impedimentis unionis in regno Croatiae et Slavoniae; h. 930 Lectio prof. P. METH. USTIČKOV (Phanaraki): De ecclesia Bulgarica cum ecclesia Romana reconcilianda; h. 1030 PARS II^a quaestiones proponit et tractat.

post merid; (h. 2. Status conventus generalis Academiae Velehradensis); h. 5 PARS III^a quaestiones proponit et tractat.

29./VII. ante merid. h. 8 Lectio prof. D. Pl. de MEESTER (Roma): Argumenta tempore concilii Vaticani contra Romani Pontificis infallibilitatem prolata cum orthodoxorum argumentis conferuntur; h. 820 Lectio hegum. P. HRISTOV (Mostratli): De Panteleimonis monachi Bulgari ad ecclesias inter se reconciliandas momento; h. 840 Lectio prof. Dr. JUL. HADZSEGA (Ungvar): De discrimine inter sententiam theologorum orthodoxorum et s. Io. Chrysostomi de primatu s. Petri; h. 930; PARS IV^a quaestiones proponit et tractat; h. 1130: Proposita et delecti approbantur et actio conventus finitur.

ТРЕТИЙ БОГОСЛОВСКИЙ СЪѢЗДЪ ВЪ ВЕЛЕГРАДѢ ДЛЯ ИЗЫСКАНІЯ СРЕДСТВЪ КЪ СБЛИЖЕНІЮ ВОС- ТОЧНОЙ ЦЕРКВИ СЪ ЗАПАДНОЙ.

Засѣданія конгресса будутъ проходить въ слѣдующемъ
порядкѣ:

27 Іюля (н. ст.): 2 часа попол. Открытіе засѣданій конгресса. Выборъ президента. 2 ч. 30 м. Лекція свящ. Василія Гёкена (Берлинъ) „О возможности соединенія римско-католической и восточной Церкви“. 3 ч. Лекція о. II. Клайса (Брюссель) „О психологическихъ условіяхъ улаженія научныхъ разногласій“. 3 ч. 30 м. Лекція о. I. Урбана (Краковъ) „О размѣрахъ разрыва между восточной і западной Церквами и какимъ образомъ достигъ болѣе тѣснаго сближенія“. — 5 ч. Чтеніе вопросовъ, предложенныхъ на разрѣшеніе конгресса. Выборъ членовъ комисіи для постановленія рѣшеній конгресса. 5 ч. 30 м. Отдѣленіе первое предлагаетъ вопросы и обсуждаетъ ихъ.

- 28 Іюля: 8 ч. утр. Лекція о. Аврелія Пальмьери О.С.А. (Римъ) „Можно-ли католическую науку объ удовлетвореніи упрекать въ юридическомъ формализмѣ?“ 8 ч. 30 м. Лекція проф. бог. о. Март. Жужи О.С.А. Усп. Пресв. Бог. (Константинополь) „О молитвахъ за соединеніе Святыхъ Божіихъ Церквей“. 9 ч. Лекція проф. бог. докт. І. Шимрака (Загребъ) „О данныхъ и препятствіяхъ для уніи въ хорватско-славонскомъ королевствѣ“; 9 ч. 30 м. Лекція проф. бог. о. Меѳ. Устичкова (Фанараки) „Вопросъ о соединеніи болгарской Церкви съ Церковью римскою“. — 10 ч. 30 м. Отдѣленіе второе предлагаетъ вопросы и обсуждаетъ ихъ (2 ч. попол. Пленарное засѣданіе Велеградской Академіи.) — 5 ч. Отдѣленіе третье предлагаетъ вопросы и обсуждаетъ ихъ.
- 29 Іюля: 8 ч. утр.: Лекція проф. богосл. о. П. де Меестра (Римъ) „Сравненіе доводовъ противъ безошибочности римскаго епископа во время ватиканскаго собора съ доводами православныхъ богослововъ“; 8 ч. 20 м. Лекція игум. о. П. Христова (Мостратли) „О значеніи болгарскаго чернеца Пантелеймона въ дѣлѣ соединенія Церквей“, 8 ч. 40 м. Лекція проф. бог. докт. Юл. Гаджеги (Унгваръ) „О разницѣ между мнѣніемъ православныхъ богослововъ и мнѣніемъ св. Іоанна Златоуста о приматѣ Петра“. — 9 ч. 30 м. Отдѣленіе четвертое предлагаетъ вопросы и обсуждаетъ ихъ. — 11 ч. 30 Обсужденіе рѣшеній постановленныхъ отдѣленіями. Утвержденіе принятыхъ рѣшеній, назначеніе членовъ исполнительной комисіи и конецъ сѣзда.

LITTERAE THEOLOGICAE SLAVORUM.

Glagolitica ab a. 1900—1910.

Saeculi vigesimi decennium primum rei glagoliticae favebat. Imprimis in duabus synodis dioecesanis, hac epocha celebratis, Veglae a D. 1901, Segniae 1905 res nostra ita studiose agebatur, ut in actis utriusque synodi — „De lingua palaeoslovenica“ insereretur. Praeterea Dr. Antonius Mahnić, episcopus Veglensis, in sua synodo societatem dioecesanam, quam *Academiam Palaeoslovenicam* vocant, fundavit, quae sociis sua „Glagolitica“ annuatim distribuit.

Primus laudatae synodi Veglensis eventus notatione dignus fuit nova editio *Missalis Romani slavonico idiomate* ex decreto sacrosancti concilii tridentini restituti, S. Pii V. Pont. Maximi iussu editi, Clementis VIII., Urbani VIII., Leonis XIII.; Pii X. auctoritate recogniti. Romae ex typographia polyglotta s. Congreg. de Propaganda fide MCMV. Ad historiam glagolismi directe spectat opusculum argumento grave, eo quod ex protocollis dioecesani archivi depromptum sit, quod inscribitur: *Memoria liturgiae slavicae in dioecesi Auxerensi*. Ex archivo dioecesano Auxerensi excerpit Ios. Vajs, Veglae 1906. Contra opinionem peregrinam, quam in 12 thesibus prof. Brückner exposuit¹⁾ lege: *Dějiny slovanských apoštolů Cyrilla a Methoda s rozbohem a otiskem hlavních pramenů*. Sepsal Dr. Frant. Pastrnek. V Praze 1902. — *Konstantin-Cyrill a Methoděj, slovanští apoštolé*, slovo na obranu historické pravdy napsal František Snopek. V Olomouci 1908; eiusdem: „*Methodius Slavorum apostolus, quo sensu orthodoxus declaratus sit* (Ex actis I. Conventus Velehradensis) *Pragae Bohemorum* 1908, cuius apologiae principia laudatus auctorem antea exposuerat in libro, qui inscribitur: *Studie cyrillo-methodějské*. V Brně 1906. — Jos. Vajs, „*Nové myšlénky v otázce Cyrillo-methodějské*“ (*Časopis katol. duhovenstva*) 1906. — Opinionem quam prof. Dr. Hýbl in thesi *Slovanská liturgie na Moravě v IX. věku* (*Český Časopis Historický XIV.*, 1908) defendere conatur, confutatam invenies in celebri opere *Zur Entstehungsgeschichte der kirchenslavischen Sprache* a Vatroslao Jagić (*Denkschriften der kais. Akademie der Wissenschaften*) Wien 1900. — Historiam linguae palaeoslovenicae et monumentorum brevius tractant Vatr. Jagić et Matthias Murko in opere, quod inscribitur: *Die osteuropäischen Literaturen und die slavischen Sprachen* (*Die Kultur der Gegenwart I.*, IX.) Berlin und Leipzig 1908; prof. Math. Murko praeterea in libro: *Geschichte der älteren südslavischen*

¹⁾ Cfr. Thesen zur Cyrillo-Methodianischen Frage Archiv für slavische Philologie Berlin 1906 Band XXVIII.

Sprachen (in V. volumine seriei Die Litteraturen des Ostens in Einzeldarstellungen) Leipzig, Amerlangs Verlag 1908.

II. Ad linguam palaeoslovenicam addiscendam prodierunt libri: „Altkirchenslavische grammatik“, V. V o n d r á k, Berlin, Weidmannsche Buchhandlung 1900 — Eiusdem auctoris: „Vergleichende slavische grammatik“ I.—II. apud Vandenhoeck et Ruprecht 1906—1908. — Adhuc eiusdem: „Kirchenslavische chrestomathie“, apud eosdem editores, Gottingae 1910. — „Grammatik der altbulgarischen (altkirchenslav.) Sprache“ von A. L e s k i e n, Heidelberg 1909 — Eiusdem cl. auctoris saepius editus liber, qui inscribitur: „Handbuch der altbulgarischen Sprache“, ed. 4 Weimar 1905. — F r. P a s t r n e k, „Tvarosloví jazyka staroslověnského“, V Praze 1909. — Clericis glagolitis nova manualia comparavit J o s e p h V a j s, quae vocant: „Abecedarium palaeoslovenicum“, Accedunt paradigmata ex grammatica Caroli Parčić deprompta nec non specimina lectionum ex Psalterio selecta“, Veglae 1909. — Dr. E r i c h B e r n e k e r „Slavisches Etymologisches Wörterbuch“, Heidelberg, continuatur.

III. Non minus studiose auctores persecuti sunt sacrae Scripturae versionem slavicam. Quae usque ad haec tempora in hac disciplina scriptores investigaverunt prof. V. J a g i ć in opere superius nominato „Zur Entstehungsgeschichte der kirchenslav. Sprache“ complexus est. Ulterius progressi sunt: R u d o l p h N a c h t i g a l in commentatione „Něskolko zamětok o slědah drevne-slavjanskago parimejnika v horvatsko-glagoličeskoj literaturě.“ Drevnosti. Trudy slav. kom. Imperator. Moskovsk. Archeologičesk. Obščestva Moskva 1902. — A. V. M i h a j l o v in opere „K voprosu o literaturnem naslědii sv. Kirilla i Mefodija v glagoličeskikh horvatskikh missalah i breviarijah.“ Varšava 1904. — Eiusdem auctoris est „Kniga Bitija proroka Mojsesa v drevne-slavjanskom perevodě.“ Varšava 1908. — Prof. F r. P a s t r n e k in commentatione „Die griechischen Artikelkonstruktionen in der altkirchenslavischen Psalter und Evangelienübersetzung.“ (Archiv für slav. Philol. XXV.). — J o s e p h V a j s: „Liber Job, ex brev. Noviano II.“ Veglae 1903; „Liber Ruth“, ex codice bibliothecae Palatinae Vindobonensis cum notis bibliographicis in eundem codicem, Veglae 1905; „Liber Ecclesiasticus“ Veglae 1905; eiusdem auctoris: „Propheta Joel“, Veglae 1908; „Propheta Oseas“ 1910.

IV. Textus liturgicos (homilias Patrum, breviaria, gradualia, ritualia, libros Passionales et similes) tractant: F r. P a s t r n e k in commentatione, „Chrvatsko-hlaholský rukopis Sienský (Věstník Král. Čes. Společnosti Nauk) „Praha 1900; idem: „Staroslověnská legenda o sv. Václavu“, Praha 1903, Nákladem Král. Čes. Společnosti Nauk. — V. V o n d r á k in libro „O původu Kijevských listů a Pražských zlomků, v Praze 1904. Nákladem Král. Čes. Společnosti Nauk; idem „Studie z oboru církevněslovanského písemnictví.“ V Praze 1903, Nákladem České Akademie císaře Františka Josefa. — Idem „Nový text hlaholský církevně slovan. legendy o sv. Václavu“, Časop. Čes. Musea 1903; — V. J a g i ć, in comment. „Legenda o sv. Vjačeslavě“ (Russkij filologičeskij Věstník) Varšava 1903 — „Analecta Romana“

(Archiv für slav. Philol. XXV, 1903. — Jos. Vajs in commentationibus: „Recensio croatico-glagolitici fragmenti Verbenicensis“, Veglae 1903; „Martyrii s. Georgii et Periodorum s. Joannis fragmenta glagolitica“ (Slavorum litterae) 1907; „Vesperal rimsko-slovenski“ Veglae 1907; „Etwas über den liturgischen Gesang der Glagoliten der vor- und nach tridentinischen Epoche“ (Archiv für slav. Philologie) 1908; ibidem „Über den liturgischen Gesang der Glagoliten“ 1910; „Die Nomenklatur in den kroatisch-glagolitischen liturg. Büchern“ (Archiv für slav. philol. 1908); „Příspěvek k účtě sv. patronů českých z bohoslužebných knih charvatsko-hlaholských (Časopis katol. duhovenstva 1908); ibidem „Úcta sv. patronů českých v liturgických knihách charvatsko-hlaholských“ 1910; „Hlaholské knihy obrádní a zlomky Selcké“ (Věstník Král. Čes. Společnosti Nauk) 1909; nec non in opere „De antiquissimo breviario croatico-glagolitico Pragae Bohemorum, Sumptibus Reg. Societatis Scientiarum“ 1910. — G. A. Iljinskij: „Makedonskij glagoličeskij listok“, Skt.-Peterburg 1909 (Pamjatniki staroslav. jazyka I., 6).

Notas denique bibliographicas fere in singulis libris et commentationibus sub num. I. et II. invenies; imprimis in dicta comment. prof. V. Jagić, quae inscribitur „Analecta Romana“, nec non in prooemio libri „Nejstarší breviář chrvatsko-hlaholský“. Úvodem a bibliografickými popisy hlaholských breviářů opatřil Jos. Vajs, v Praze 1910. — Prof. Iv. Milčetić plura promisit in scripto „Prethodni izveštaj“ (Annales Academiae Zagrabienensis) 1909.

Dr. Jos. Vajs.

Conspectus singulorum operum recentium.

Bohemica.

Theol. Doctor *Franc. Klobouk*: **Kdy byly stanoveny články víry, bludům Husovým protivné?** (Quonam tempore articuli fidei oppositi erroneous sententiis Mg. Ioann. Hus sunt statuti?) 1 vol. in 12 pg. 110. Pretium 80 hal. **Husitství ve světle pravdy** v Praze. Tisk. liga roč. V. 1908. (Husitismus illustratus clara veritate.)

Libelli scientifici et apologetici propositum simile est Ad. Cappenbergi Dissertationi historicae, utrum Hussi doctrina fuerit haeretica et merito ab ecclesia catholica anathemate proscripta necne, editae Monasterii 1834 ac Lyeri, editae Pragae 1741, corrigere sententiam Dris V. Flajšhans: Sebrané spisy M. J. Husi Řada I. Spisy latin. Díl. I str. 266 a násl., obicientis Concilio Constantiensi quod iniuste reum fecerit Mg. Hus; nam eo tempore multa nondum fuisse determinata, sed alia saeculo XVI. in Concilio Tridentino, alia saeculo XIX. in Concilio Vaticano fuisse promulgata; immo ipsum tribunal Constantiense aliter sensisse, aliter egisse, ita ut tandem rationes Io. Wikliff et Io. Hus etiam ipsum sequeretur cum papam praesi-

dentem loco moveret et accusaret — insuper per triennium sine capite ageret. Dein Concilium Basileense contra papam stetisse dicit, legitimum ut haereticum condemnasse et novum (nomine Felicem V.) elegisse. Ergo condemnasse Concilium Constantiense Mg. Io. Hus in iis, in quibus ipsum sibi non constaret. At ecclesiam catholicam nova dogmata non creare sed pro opportunitate vel necessitate sollemniter promulgare vel declarare, quae iam ab initio ut depositum fidei commissum perceperit negari non potest.

K. praemittit brevem expositionem de iis, quae et quomodo credenda sint, quae Ecclesia doceat atque solidis argumentis confirmat iuxta Denzingeri Enchiridion definitionum et symbolorum, quae sit fides definita, quae fides catholica, qui constans et unanimis consensus theologorum catholicorum. Cum agatur de re historica, ex historia ecclesiastica Mg. Hus iam antecedente ostendit generatim methodum ecclesiae procedendi contra doctrinam a fide discedentem. Declarat ecclesiam ius habere a Christo Domino traditum ad determinandum in quaestionibus fidei, quae sit veritas revelata et catholica. — Dein demonstrat Concilium Constantiense ius habuisse et iuste egisse in diiudicandis sententiis Mg. Hus et resolutione facta de ipsis in genere neque omnia quae docuit tamquam haeretica proclamavisse. Audiamus ipsam declarationem (Mansi S. Conciliorum . . . collectio XXVII. 752): „Haec sacrosancta Constantiensis Synodus declarat et definit, articulos infra scriptos . . . non esse catholicos, nec tamquam tales esse dogmatizandos; sed ex iis plures esse erroneos, alios scandalosos, alios piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios et seditiosos, et nonnullos eorundem esse notorie haereticos et iam dudum a sacris patribus et generalibus Conciliis reprobatos ac damnatos . . .“ Ergo falsa est incriminatio Dr. Flajšhans. — Tum *K.* agit in specie de praecipuis haeresibus Mg. Hus: quid docuerit de constitutione Ecclesiae eiusque Primatu, quem Hus ab imperatoribus profectum esse vult. Dr. Klobouk ex historia ducit argumentum seu potius innuit, cum brevis esse velit, iam mille ante aetatem Mg. Hus et amplius annos sollemniter promulgatam esse veritatem revelatam de Primatu Petri et Summorum Pontificum circa fidem et potestatem ecclesiasticam idque non in cognitione tantum sed etiam in usu positum fuisse. — Quarta quaestio est, sitne necessaria personalis sanctitas ad fungendum officio ecclesiastico. *K.* demonstrat potestatem ecclesiasticam non contineri sanctitate morum. — Quinta est de iurisdictione poenali in ecclesia. — Sexta quaestio est, sitne haeretica doctrina Mg. Hus de praedestinatione et praescientia. Etiam reliquos articulos erroneos ex triginta *K.* breviter dilucidat et refutat.

Ex quibus apparet neque in Concilio Tridentino saeculo XVI. neque in Vaticano saeculo XIX. esse determinatam doctrinam revelatam atque catholicam sed iam aetate Mg. Hus antiquiore, quam cum suo damno infelix Magister frustra impugnavit.

In epilogo facit *K.* mentionem de discrimine, quod ipsum Tribunal Constantiense proposuerit Mg. Hus, ut abiuraret errores et haereses, quae in scriptis ipsius continentur, de reliquis articulis solum profiteretur doctrinam eam non esse suam.

Postremo laudandum est responsum ad refutationem quam Časopis Český Historický temptavit, qua *K.* theologiae doctor hanc rem iam in Hlídka perscrutatus docebatur, quid esset veritas catholica. Libellus vere pretiosus est.

Velehradii.

Ant. Rejzek S. I.

Český slovník bohovědný (Bohemicum lexicon theologicum). Pořádají Dr. J. Tumpach a Dr. Antonín Podlaha. Vol. I. fasc. 1—14. Praegae 1909—1911. Sumptibus bibliopolae et typographi V. Kotrba. (672 p.; A—Arthaldus.)

Opus hoc, quo maioribus et editoris et scriptorum et emptorum impensis susceptum est, eo diligentius instruat oporet, ut iis dignum evadat. Quae cum ita sint accuratius solito de hoc opere aestimandum videtur esse. Multorum librorum, quos verti in Bohemicum necesse esset, eo vices explendae sunt. Nec doctrina ab aliis inventa compilatur tantum; sed, etsi necessarium est etiam ea, quae iam pridem nota et explorata erant, afferre, quibus fortasse addi nihil potest, tamen, cum etiam iudicium, quo negatur quidquam novi addi posse atque apparatus viri docti propria sint, opus universum ad laudem doctrinae aspirare non desinit.

Exemplar eiusmodi operis modo doctrinae proprio tractandi est Pauly-Wissowa, Realencyklopädie der classischen Altertumswissenschaft, quod inter omnia eiusmodi opera videtur praestare. Neque ab hoc opere Bohemico adaequatur: nec tot res, nec tanta accurate omnes tractantur, nec tot tantique laboris socii adsunt. Tamen imaginibus praestat et in universum aestimanti inter theologica lexica omnium gentium hoc, quantum ex his fasciculis colligi potest, praefendum videtur esse.

Summa brevitate saepe maxima moles rerum comprehenditur, ut librum facile implere possint, quae ibi paucis paginis exponuntur; saepe omnia, quae de re quaeri possunt, exhaustiuntur: origo notionum (cf. aestimativa), iudicium de iis (cf. actio), historia sententiae (ut de relatione angelorum malorum ad hunc mundum), historia iconographica, litteratura homiletica de re, in vitis praeter tempus, locum, res etiam species eius artis dicendi vel pingendi etc. Methodus, etsi non semper eadem observatur, nonnumquam sane optima est: in rebus philosophiae primum notio diligentissime eruitur, deinde quid inde efficiatur (consectaria vel attributa essentialia), tum eius veritas etc. Generatim etiam recentissimarum litterarum, quibus res tractatur, indicandarum studium apparet. Exemplo sint Vykoukalii liturgica, Špaldakii dogmatica, Tumpachii iuridica, Hejčlii biblica.

In vocibus, quae ordine inseruntur deligendis et ordinandis non nihil desideratur: Acta Pilati sub hac voce tractantur; Acta Pauli et

Theclae non item; qui ea quaeret, non inventis hic, fortasse inter Acta apostolorum apocrypha se ea reperturum sperabit et vocem requirit, ad quam ibi relegatur. Sed frustra. — „Abbakum“ sub Avvakum tractandus erat. Sub voce aequitatis epikia tractatur. Quotusquisque hanc vocem quaeret, si de re institui vult! — Voces ipsae nonnunquam haud facile quaeruntur, praesertim si multi eiusdem nominis viri afferuntur. Si quis enim Anthimum patriarcham Cp. quaeret, desiderabit eum, nisi novit eum antea episcopum Trapezuntinum fuisse etc. — Ipsa vocum series raro turbata est (Arhangel'skij, Archangela). Magis desideratur, quod raro ad alias voces relegamur, sub quibus res tractatur vel sub quibus de re plura inveniri possint. Nam quod voces Latinae, quae in theologia saepe occurrunt, absunt, probandum esse non videtur; velut Aeduense concilium — Autun; sub voce ambrosianské hymny, ubi solum hymni qui certe s. Ambrosii sunt, enumerantur et Cabrol plura quaerentibus commendatur (Dreves, Merkle non nominantur), quod caput exile et aridum est, monendum erat de aliis hymnis sub eorum primis verbis quaeri posse. Sub voce Antichrist etiam ad apocalypticum numerum relegari potuit — Anorganica inter et organica discrimen quaerenti indicandum saltem erat, ubi res tractetur.

Fontes imprimis Germanici videntur consulti esse, Slavici, si eorum, quibus opus destinatur, ratio habeatur, maxime neglecti. Sicut Abdinghof, Altdorf, Altenberg, Altenburg tractantur, ita etiam Akulisy etc. tractari poterant; quod etiam Abbeville, Affolderbach, Ahausen, Ahnaberg, Ahrweiler, Albergen omissa sunt, desideratur ratio, ob quam id factum sit. Porro sicut Absam commemoratur, etiam Ahtyrskaja ikona (1739; celebr. 2/VII.), Akathistnaja (in Atho monte 12/I.) etc. commemorari potuerunt. Multa ex Russorum historia ecclesiastica omissa sunt (velut Antonij Denisovič, hierom., de quo Titov, R. pr. c. I. 344 consuli potest, Antonij Vinicnyj, ep. Peremisliensis ac postea metrop. Kioviensis etc.); item liturgica ecclesiae graeco-russicae neglecta sunt, etiamsi pro imaginibus gratiae agenda sunt; velut apodeipnon duabus lineis absolvitur. Heortologiae orientalis magis ratio habetur; tamen etiam hic aliquid desiderari potest. Nam etsi postulari non potest, ut omnes ecclesiarum orientalium sancti inserantur (ut Abadir, Abai etc.), tamen utilissimum et ad absolutionem necessarium est singularum ecclesiarum sanctos simul nominari, ubi de iis ecclesiis agitur, diesque eorum cultus indicari. Sed sub voce Armeniae frustra quaeres, qui dies sacri sint Abel, Abraham, sub quibus vocibus hoc non commemoratur. — Optime hauritur e fontibus, quibus de scriptoribus agitur. Sed, quod minus laudandum est, ex iis solis nonnunquam etiam ibi, ubi alia quoque commemoranda erant, maxime quae ad historiam pertinent. Ut exempla afferam: Antonium Andrejkovič solum ex libri eius titulo cognoscas archiepiscopum novgorodensem fuisse; sub voce Albani (Annibale), qui prudentia ac moderatione sua differentias inter Ios. I. imperatorem et Clementem papam XI. atque rem publicam Venetorum composuit, solum quae scripsit et collegit enumerantur; Antonii Amfi-teatrovii scripta enumerantur, epistulae (a Macěvič editae) negle-

guntur; plerumque in similibus casibus fontes indicantur solum: Hurter, Nomencl.; Palmieri, Nomencl., quorum sane minus intererat alia referre. — Nonnumquam etiam aequo plus spatii datum videtur esse his rebus; saltem de Emanuele Alvarez. — Minus hauritur ex operibus historicis; numquam inveni allatum Dictionn. apolog., Eisleri lexicon philos. — opera minime spernenda. Ex historia missionum desiderari possunt voces Amanguchi, Arima aliorumque locorum martyriis exornatorum, ad quae, si alibi commemorantur, relegari potuit. Nonnulla nimis breviter tractata sunt, tametsi fontes proximi uberrimi erant; ut dimidia columna de anachoretis non omnia, quae Dictionn. I. c. 1134—41, continentur, nec Adiaphora cum iis quae in germanico KL² exponuntur, conferri possunt.

In litteris afferendis probari non potest, si a scriptore ea tantum afferuntur, quibus eius sententia defenditur (velut de anglicanismo, ubi Lee, Balley, alii afferendi erant); hac in re, exempli causa dico, laudandus est Dr. Reyl, qui de antisemitismo scripsit (ubi nollemus abesse Stähelin, Der Antisem. des Altertums. Bas. 1905). Neque ideo omittendi sunt libri, quod prioribus saeculis editi sunt; ut enim alia omittamus, multis, qui quaerunt, potius praesto sunt libri antiquiores quam recentiores; velut de s. Anselmo, ubi nullus germanicus liber peculiaris indicatur, C. v. Remus (Rgsb. 1854) multis utilis futurus fuisset. — Praeterea, praesertim si unus liber affertur, etiam aestimatio eius, si copiosa est, afferenda videtur esse, ut vocem quaerenti iudicium de re facilius fiat. — Sed in universum commentationes non separatim editae neglegi videntur, neque signa commentariorum adhibentur; hac in re opus Pauly-Wissowa, quod supra laudavimus, exemplo esse potuit. Non est tamen negandum nonnumquam etiam paucas alicuius operis paginas indicari, quibus de aliquo agatur; velut de Alcuino: Beissel, Gesch. d. Evangelienbücher 183 s. (ubi certe etiam Baumgartner Gesch. d. Weltl. IV 289—296 commemorari potuit). Si commentationes afferuntur, quae seorsum expressae sunt e commentariis, hoc indicandum videtur esse (velut p. 518, Apollin. laod.: Lebedev, Lžeučenie Apollinarija: e Hř. Čt. 1878 II 251. 579; vel p. 196: Ajnalov, Freskovaja rospis'; e Drevnosti Trud. Imper. Mosk. Arheol. Obšč. t. XXI vyp. 1.) Titulus librorum certe non semper plenus afferendus est; tamen, si qua eius pars necessaria est ad cognoscendum libri argumentum, omittenda non est; velut sub voce Alveldianus: Assertio . . . addendum erat: in Canticum Regina caeli letare defensio catholica.

Sed praestat ad singula descendere, quantum collecta sunt.

Omissae sunt hae voces: A g e s o n; A b r a h a m, episc. Cra-teiensis (cuius vita ad nos pervenit); A b r a h a m, ep. Ephes. VI. saec., cuius homiliam de hypapante habemus; Abrahamides, qui Lutheri catechismum conversum edidit; A b r a m i o s Io. (cf. Palmieri, Nomencl. I. 157); A b r a m i u s, monach. palaest. (eius hist.: Anal. Boll. 1905, 349—356); A b r a m o v Mih. Ivan. († 1741), de quo agunt Pekarskij, Nauka I, 500—514; Filaret, Obz. r. d. lit.³ 306—7 etc.; A b s a l o m Sabaud. (v. Bonifatius Canterb.); a b y z; a c t i o i n

d i s t a n s; *a d o g m a t i s m u s* (bibliogr. v. ap. Světlov p. 212—223); *A d r i (e n s i s s y n o d u s a. 457)*; *A d z e r a e p.* Lond.; *A e d u u s*, ep. Bon.; *A f r e m* (v. Efrem?); *A g a t h a n g e l*, ep. Revel'skij (scr.: Vysšaja administracija ruskaj cerkvi; V čem dolžno sostojať vysšee, vpolně kanoničeskoe upravlenie otečestvennoj Cerkvi etc.); *A g a t h a n g e l u s* de Vindoceno (de Vendôme) miss. O. C., cuius vitam scripserunt Lad. de Vannes O. C. (Deux martyrs Capucins P. 1905) et Antonio da Pontedera O. C. (Vita e martirio . . . Roma 1904); *A g r a t h e n a* („Kupal'nica“); *A g t h a m a r*; *A h u d e m m e h* metrop. s. VI—VII., de quo scripsit F. Nau (Histoires d'Ahoudemneh et de Marouta, métropol. jacob. . . Patrol. orient. t. III fasc. 1.); *A c h a z i t a e* (= Antiochiani); *A c h i k a r* (Drozdov, Trudy 1901); *A j s o r o v é*; *A j v a z o v s k i j* artifex (Sošestvie Noja s Ararata etc.); *A k a d e m i a a t h o n s k a j a* (1753 instituta ab Eugenio Bulg.), *p o l o c k a j a*, *z a m o j s k a j a*; *a k k o r d* (de restitutione L. Q. 1885; 336 etc.); *A k s a k o v* Ivan Sergěevič; *a l a k a* (munus eccles.); *A l a t y r e n s i s* haeresis; *A l a y d o n* J. B. (1671—1733), cuius vitam scripsit Paul Denis in Revue histor. ardennaise XVI p. 5—50; *A l d e f r e d* ep. s. Methodii discip. (Ježek, Děj. křest. m. Slov. p. 159); *A l e x a n d e r* Helladius; *A l e x a n d r o v* A. I.; *A l e x a n d r o v* D.; *A l e x i u s* Mihajlovič imp. (Hr. Čt. 1881 II 42. 300); *A l f i r e v i č*; *A l o p e u s* (v. La Ferronays); *A l s p a c h* (de cuius monasterii bibliotheca librum edidit F. Gass 1907); *A l t h a n n* Mich. Ad. (conversus Pragae; cf. Vávra in Obrana XVI 56—8); *A m m o n i u s* Alex., qui „Contra Julianum Halic.“ scripsit; *A n a n i a s*, Armenor. cathol. 943—965 (cf. Anninskij, Ist. Armj. cerkvi. Kišinev 1900, p. 151—6); *A n d r i j a š e v*; *A n g e l o t u s*, ep. Ploc.; *A n g e l o v* G.; *A n i č k o v* Dim. Serg. (qui scripsit: Mir sej — dokazatel'stvo premudrosti Božiej M. 1767; O načalě i proišoždenii estestv. bogopoč. M. 1769; O neveščestvennosti duši čelověč. etc.); s. *A n n a* Kašinensis († 1368) de qua S. Arhangelov, Žitie i čudesa . . . Spb. 1909; Hlídka 1909, 670 etc.; *ἀνοίξια*; *A n r o d e* (E. Ausfeld, Regesten zur Gesch. d. Klosters Anrode 1262—1735: Mühlh. Gesch. 1907); *A n t h i m u s*, primus Bulgariae exarcha; antiphonae in ecclesia graeca; *A n s e r o v* P.; *a n t i r r e s i s*; *a n t i t y p a* (cf. Sl. l. th. IV 388); *A n t o i n e* de Saint-Pierre (La journée rélig. Paris 1869); *A n t o n i u s* metrop. Galic. a. 1371—92; de *A n t o n i i s* patriarchis Cp. nihil invenitur, excepto s. Ant. Caulea, de quo duabus lineis, fontibus seu litteris non indicatis exponitur (I. ab a. 821—836 etc.); etiam *A n t o n i u m* hagiogr. (Chozibský) frustra quaesivimus (cf. Krumbacher, Gesch. d. byz. Lit.² p. 191; Anal. Boll. t. VII p. 95—144; 336—70); *A n t o n i u s* de Ripolis C. P. martyr (Anal. Boll. XXIV p. 357—74); *A n t r o p o v* (cf. N. V. Pokrovskij, Sinodal'nyj hudožnik Aleksěj Antropov in Hr. Čt. 1887 I 115); *a p o k a l y p t i c k é z v í ř e* (sicut číslo, jezdcí); *a p o k r i s i s* (cf. Trudy 1869 Nro. 8, p. 190—296); *a p o m y r o m a*; *a p o š t o l s k ý* dekrét (usnesení, výnos), de quo libros scripserunt G. Resch 1905, W. Sanday 1908; *A p p i a n i* mission.; de *A p s i a*, ep. Lug.; *A q u i l e i e n s e* concilium 1311

(Mansi XXV 449); *Aquilina* († 1764), cf. R. Bousquet, *Néo-Martyrs orthodoxes*. É O. 1907, 152; *Arabadinski* (qui *Sokolskio* successit); *Arakel*, Armenorum cathol.; sv. *Arandjel* (monasterium Serb.); *Argyria* († 1725: É O. 1907, 151); *Aréd G.*; *Argamakov S.*; *Argyrius* Cerullarii adversarius (de quo *Skabalanovič*); *Arimanum*; *Aristaces Azaria* (de quo F. v. Hurter, Wien 1855); *Arkadius* (qui 1538 de unione Florentina libellum scripsit, qui editus est in *Min. čet. Makar.* sub 31. Iulii); *Arnold Ju. K.* (1811—1898), qui scripsit: *Teorija drevne-russk. cerkovn. narodn. pënija . . .* M. 1880; — *Garmonizacija drevne-russk. cerkovn. pënija . . .* M. 1886; *Aron Petr Pav.*, episcopus ritus Graeci (1752—1764); *Aron O. S. B.*, episc. Cracoviensis; *Arsen'ev I. A.*; *Arsen'ev K.*; *Arsenius Ikaltoeli* (1088—1139), de quo *Palmieri*, *Nomencl. I.* 128; *Arsenius II.* patr. Serb.; *Arsenius IV.* *Ivanovič*, patr. Serb. 1725—1739 (*Pravosl. Obozr.* 1868 II. 499—503 etc.; *Arsenius Kal-ludes*; *Arsenius aep. achridensis ultimus* (16/I. 1767); *Artemius monachus* (*Sl. l. th.* IV. 27).

Supplenda vel corrigenda quae viderentur haec inventa sunt: *Ab* quid apud Syros significet (ultimum mensem) non commemoratur. *Abel* orator qua arte utatur et quatenus sit imitandus frustra quaeritur ab eo, qui exemplum invenire vult et eum laudari audivit; quae res non solum ad usum sed etiam ad doctrinam pertinet. *Abélar*d non tanti aestimatur, quantum valuit; de methodo eius non agitur; cf. *G. Robert* in *R. des Sciences Philos. et Théol.* 1909 (III) 60—83: *Abélar*d, créateur de la Méthode de la Théol. scolastique. Sub voce *abortus* exponendum erat etiam de fetibus ectopicis (*Génicot*, *Cas. consc. I.* 159); et ubi illicitam esse craniotomiam explicatur, commemorandum erat nec sectionem caesaream nec symphysiotomiam vetitam esse; cum ageretur de poenis procurantium abortum effectu secuto, explanandum erat, quis procurans abortum sit intellegendus (num mater quoque), quid ipse abortus (num etiamsi fetus mortuus fuerit, num craniotomia etc.). — *Abraham* ep. Suzdaliensem etiam scriptorem ecclesiasticum fuisse non cognoscimus nisi quod *Palmieri* *Nomenclator* nominatur. — De *Absalon* (*Axel*) quod dicitur mancum est; nec fontes videntur cogniti fuisse (*Arnoldi Chronica Slavor.* ed. *Lappenberg* 1868; *H. Estrup*, *Absalon som Helt*, *Statsmaad og Biskop*; *H. Orł'k*, *Konge og Praestestand.* 1895 II. 15.; *K. Vrátný* in *NŽ.* 1906 (X) etc.) — Discrimen inter notiones abstractas, intuitivas, deductivas non explicatur. Quare dubitari licet sitne p. 50 notio inhaerentiae ita iudicata intuitiva, ut definiri possit: exprimens obiectum singulare, praesens, in se existens atque ipsum determinans. Quamquam concedendum est optime meruisse prof. *F. Kordač*, quod hac inhaerentiae notione radicatus explicata notionem accidentis physici firmam claramque reddere conatus est, id quod fere desideratur. — In exponendo accidenti praedicamentali loco cogitationis aliud exemplum opportunius poni potuit: relationis praedicamentalis, ut similitudinis inter duas substantias. De actu multa axiomata commemorari poterant, quae ommissa sunt; cf. *Signoriello*

p. 34—38. Sub voce *actus* ut obiectum theologiae moralis controversia (Lehmkuhl—Noldin), qua disceptatur sintne omnes actus humani actus morales ne attingitur quidem, sed silentio actus morales iidem esse existimantur qui humani. *Actus* publicus imperfecte explicatur nec ubi plura inveniri possint, indicatur. In exponendo discrimine inter *ad aequa* et *inadaequatam* rei considerationem momentum eius in iudicando de rerum possibilitate explanandum erat. Sub voce *Ad a* displicet ratio, ob quam opinio Mivarti, Girodoni, aliorum de origine hominis reicitur. Non enim satis firma videtur esse; nec enim verba ac litterae nimis urgenda sunt; si enim urgerentur, non intellexeretur, cur homo extra paradisum procreatus esset (Gen 3, 23; cf. ČKD. 1907, 439). Verum primum non videtur commode cogitari posse Adamum, filium Dei in filii condicione fuisse erga simiam vel similem bestiam; fuisset autem, si opinio Mivarti vera esset (cf. Palmieri, De Deo cr. th. 25, V); deinde Lc 3, 38 non videtur esse neglegendum; accedit, quod fundamenta huius opinionis e naturali historia petita manca sunt, id quod etiam in Sl. l. th. expositum est (II. 161 — 174). *Adiaphora* iam supra diximus tenuissime tractata esse; in fine relegamur ad vocem *actus*, sc. quatenus est obiectum theologiae moralis; ubi sane expectari poterat explicatio divisionis actuum moralium in bonos, malos, indifferentes, sed ea ibi deest, nec quicquam expedit sub ea voce quaerere de adiaphoris. *Aequi* *probabilismus* a *probabilismo* non re differre, iudicatur; id quod teneri non potest. Sub voce *aequitatis* de epikia scriptum legimus: epikiae non est locus nisi ubi lex, quae alioqui bono communi utilis est, in singulari casu noxia vel saltem supra vires humanas difficilis evadit. Ad hoc notandum videtur: epikiam locum habere, ubi lex (eaeque videlicet talis, quae in conscientia obliget), quae ex ignotis rationibus imposita est, cum aliis rationibus in certamen venit; eosque, qui cessante fine legis etiam in particulari cessare legem tenent, illud omnino negare. Praeterea, si res est supra humanas vires, obligatio cessat sine epikia; nam damnum vel incommodum proportionate grave a lege cum naturali affirmativa (quae epikia numquam tollitur), tum positiva divina et humana excusat. Itaque epikiae non est locus nisi ubi legisdatorem iudicamus noluisse praecepto suo nostrum casum comprehendere, etsi praecepti verba eo quoque pertineant; comprehendere potuit, sed aequitas legisdatoreis latius patet quam iustitia, quam postulare possumus. Sub voce *aequivocationis* restrictio quoque tractatur, id quod probari posse non videtur. Adversariis restrictionis obicitur, quod iesuitas hunc loquendi modum invenisse putaverint; modum ipsum non invenerunt, sed explicationem, de qua ambigitur, quae tamen non ab omnibus intellegitur (cf. Konečný, Jak píše prof. Dr. Masaryk 1891 p. 228). Neque aliae explicationes hic refutantur. Cf. Strannik 1906 II. 807 ss. Verum est eum, qui talem veracitatem ab hominibus postulet, quae veritati absolutae sit proxima, cuicumque loquamur, et qui huius rei neglectum mendacium esse existimet, veram esse illam iesuitarum explicationem fateri debere neque honestatis studium ea minui dicere posse. Sed verum quoque est, non omnes restrictiones,

quae ab huius explicationis defensoribus allatae sunt, comprobari posse neque omnibus angustiis mederi restrictionem, etsi videatur quam maxime necessarium atque licitum rem celari, ut ex rationibus paedagogicis. Quaestio igitur est de definitione mendacii. Restrictionis adversarii dicunt vera esse verba, quibus in mente audientium ea notio efficiatur, quae cum rerum veritate maxime conveniat; audientem enim numquam liberum esse a variis rebus, cognitionibus, opinionibus, quae impedimento esse possunt cognoscendae veritati. Velut, si interroganti fuerimne in theatro respondeam me non fuisse, cum sciam eum non interrogasse de eo, in quo fui, sed de alio, mentirer, si sine ratione aierem: alia est veritas verborum obiectiva, alia quae percipitur. Hac ratione M. Olesnickij dicit: „Potest evenire, ut aliquis amore alicuius ei aliquid dicat quod verum non sit; velut mater infantem variis commentis incitat, ut medicinam sumat, quam recusat; medicus, qui hominem mente captum curat, alogias eius probat, ut eum ab iis liberet etc. Puram veritatem formalem, abstractam oportet renuntiari, ut valeat veritas „realis“.“ (Iz sistemy hristianskago npravoučenija. Kiev 1896, 390, 1, 2). Similiter magnus ille Russorum philosophus Vlad. Solov'ev, Opravd. dobra M. 1899, 153 sentit: Verba formaliter falsa, i. e. cum re, ad quam referuntur, discrepantia non sunt semper pro mendacio habenda, sed tum tantum, cum a mala voluntate proficiuntur, quae consulto verbis ad id quod ipsa petit, improbe utitur; voluntatis malitia non cernitur in discrepantia cum qualibet re, sed cum re, quae sub officium cadit. Haec exposita et indicata esse vellemus. Cf. Jo. Duns Scot., In l. 3, d. 38, n. 5, ed Par. XV 874; Chr. Palmer, Die Moral des Christent. Stuttg. 1864, 439; G. J. Waffelaert, Dissert. morale sur la malice du mensonge etc. A e v u m clarius et accuratius videtur explicari potuisse, si, ut alias, etiam hic origo notionis inquisita esset hoc fere modo: Aevum est duratio virtualiter successiva, duratio rei non fluentis; quae notio est analoga et hoc modo explicari potest: In motu, ubi sunt partes re inter se distinctae, quarum alia aliam sequitur, est successio formalis, motus est ens fluens, successivum. Aliae res autem non fluunt, non sunt compositae e partibus inter se succedentibus, sed sunt totae simul eodem tempore, ut substantia atomi sulphuris. Ab his igitur successio formalis abest. Sed etiam eas durare dicimus i. e. post primum instans (vel post quodvis aliud) esse non cessare et etiam in iis de quadam „praeexistentia“ loqui possumus — sed analoga tantum ad praeexistentiam formalem entis successivi. Nam etsi in atomi substantia nulla sit pars, quae prius vel quae posterius exstiterit, sed omnes simul sunt, tamen dicere possumus eam substantiam fuisse, esse, futuram esse, et fuisse successive simul cum x^{to} , x'^{to} , x''^{to} circuitu terrae, qui circuitus est ens successivum. Haec est duratio virtualiter successiva seu aevum. — Hoc modo notiones philosophorum e notionibus vulgaribus evolvuntur. — Praeterea hic quaestio illa non attingitur, quae est de discrimine inter aevum et existentiam; quapropter neque sententia, quam de San proposuit, aestimatur, qui etiam angeli aevum formaliter successivum esse eiusque partes (quandocationes) sive complete sive incomplete inter

se distinctas efficere, ut res in hac potius temporis parte quam in alia esset existimabat. Denique illud „Pročež ustálila theologická mluva. .“ non videtur accurate dici. Nam duratio etiam substantiae corporeae aevum vocatur (Thom. de temp. c. 3. v. fin.); aevum praeterea non significat durationem infinitam; si enim hoc in definitione inesset, aut metaphysice impossibilis esset angeli annihilatio aut posset angelus sine aevo esse. Ubi de s. *Agatha* exponitur, quaestio illa omittenda non erat (saltem commentatio de re nominanda), quam inter alios Em. Ciaceri tractavit (La festa di S. Agata e l' antico culto di Iside in Catania: Archivio storico per la Sicilia Orientale t. II [1905] p. 265—98). *Ἀγιοπολίτης* videtur idem existimari atque Andreas Cretensis, qui ab Hierosolymis hoc nomen traxerit. Dmitrievskio (Typ. LXV) dubium non est, quin „etiam imenem nazývajsja pridvornyj Cerkovnyj ustav“, quo etiam nonnulla monasteria usa sint velut pandokratoriense. De *Alemberti* commercio cum Catharina II Slavi libentius audissent, quam cum Friderico (cf. Ch. de Larivière, Catherine II et d'Alembert: R. des ét. franco-russes 1907): De *Alexandri II.* papae commercio cum Croatis ritum Slavicum defendentibus, de episcopatus bosnensis constitutione nihil invenimus. De legatis ab *Alexandro III.* in Russiam a. 1169 missis mentio non fit. De *Alexandrino* patriarchatu proprio loco agitur. Ubi ii solum patriarchae, qui maximi momenti videntur fuisse commemorantur vel potius nominantur nec ad eorum nomina relegamur; velut Heraklos (sine 232—247). Facile fieri posse, ut haec aliquis requirat, manifestum est. Praeterea historia ecclesiae alexandrinae cum sub hac patriarchatus voce tractatur, parte sua fraudatur (de haereticis ut Basilide, aliisque rebus mentio non fit). Similiter Alexandrinus modus sacros libros interpretandi una linea sub voce *Alexandrina scholacatechetica* absolvitur; neque libri, quibus res tractatur, nominantur (ut Porf. Uspenskii opus de patriarchatu Alexandrino Spb. 1908; commentatio Matvëevskii etc.). De *alleluia* in cantu ecclesiastico egregie exponitur — sed exceptis ecclesiis orientalibus. De colloquio *Altenburgi* habito mentio non fit (A. Voronov 1865 etc.). De *Alzou* pauca inveniuntur, qui etiam Slavis providebat (Bulg.: Kaczanowski etc.); relegamur ad vocem Assumptionistae, sub qua vitam eius copiosius expositum iri sperari vix potest. *Ambrosii* plenum nomen non commemoratur. Religionis christianae in Gronlandia, qua de re sub voce *Amerika* agitur, prima vestigia demum circiter a. 1000 (non saeculo IX) inveniuntur; mansitque ibi nomen christianum sub annum 1450. *Amsdorffii* libri non nominantur. Nihil nocuisset, si saltem praecipui indicati essent, ut: Die hauptartickel . . . Wittemberg 1542; Antwort, Glaub vnd Bekentnis . . . 1548; Antwort auff Doct. Pommers scheltwort . . . 1549 etc. De *Anastasio* patr. Cp. sex lineis exponitur, libri vel fontes non allegantur; floruisse existimatur a scriptore, qui nomen nos celavit, ab a. 730—753; Pargoire dicit a mense ian. 729 ad autumnum 752, contra hoc *Νέα Σιών* 1906 II 264 a 1. Aug. 715 ad 7. Aug. 730 — unde haustum sit illud, non indicatur. De *angelis* capite amplo (p. 417—430) et accuratissime

scripto exponitur, ut hae quaestiones alibi aequa accuratione tractatae non inveniuntur; non dico quaestiones illas scholasticorum de cognitione angelorum et similes, de quibus nos coniecturas facere posse, iure negatur, cum fundamenta dubia sint, sed quaestiones, quae semper valent. In definitione eruenda maxime laudandum est studium discriminis inter materiam et spiritum clare exponendi (angelus definitur: ens finitum, sui conscium, sine materia). Sed in explicando discrimine inter conscientiam angeli et Dei, ubi ostenditur angelos nec formaliter nec eminenter materiam continere sicut Deus contineat et Trinitatem non solum multitudinem spirituum propriam sed etiam unitatem materiae in se continere, desiderari potest ratio, ob quam explicatio, quam Michelis proposuit (Kathol. Dogm. 420—1) non approbatur; quae explicatio cum eorum de cognitione opinione cohaerere videtur, qui (ut Uphues, *Das Wesen des Denkens*) notionem nostram rerum a nobis distinctionis esse formalem, qua ad realem notionem materiae ducamur existimant. Quoquomodo res est, digna videtur esse, quae accurate exponatur. Cum agitur de relatione angelorum ad corpora, ostenditur, quod nostra haud parum interest, sententiae, quae in *Metroph. Critopuli Confessionem* recepta est, traditio. Maxime iuvat cognoscere, eam esse antiquiorem quam christianam doctrinam. In libro enim *Jubilaeorum* (*Parva Genesis*) II., 2 eadem verba occurrunt quae apud *Epiph., De mens. et pond.* 22, quocum *Papias, Methodius, Io. Damasc.* alique conveniunt. Hic allegari potuit etiam *Petrus Lombardus* l. 2, dist. 6; nam e scholasticis veteribus solus *s. Thomas* I. 61 a. 3 affertur. — In iis, quae relationem angelorum ad materiam (quae propter unitatem mundi statuitur) consequuntur eruendis (quae consecutaria sunt: angelos simul cum materia creatos esse, in eos ea, quae humanae cognitionis propria sunt, neque notionem temporis aut spatii transferri posse) ratio quaedam desideratur, qua non observata facile aliquid omittitur. In discrimine quod est inter hominem et angelum, exponendo, quod cernitur in eo, quod angeli separatim secum vivunt, non in unum generis corpus quemadmodum homines coalescunt, sententia scholasticorum angelos specie inter se differre dicentium non aestimatur; auctores, a quibus materiae unitas tractatur, pauci afferuntur. Commemorari sane potuit episcopi *De Nelis* sententia: omnibus rebus corporeis unam tantum substantiam seu naturam communem esse, sed spiritibus singulis substantias sive naturas. — Postquam de fine angelorum, de eorum statu quo fuerunt, antequam, quid sibi faciendum esset, decrevissent, de hoc decreto ipso, de bonorum angelorum merito, quod potius negandum quam defendendum videtur, expositum est, quid consecutum sit, eruitur. Ac 1. tenetur angelos bonos finem existentiae suae esse consecutos et ex sua parte Deo se artissime coniunxisse; a Deo autem eos esse factos filios, ut divino amore eum amarent et divina beatitudine beati essent; finis igitur elevationis naturae angelicae videtur existimari situs esse in divino amore ei donando. 2. Angelos malos punitos esse; ubi in explicanda ratione veniae negatae variae sententiae afferri poterant, ut *Remigii Lugd.* (*De tradenda script. veritate* c. 14) etc.; 3. materiae

partem tantum statum consummationis assecutum esse eamque propter bonos angelos (contra Scheeben cum s. Thoma), reliquam partem, cum aliquo modo subiecta esset angelis malis, ab hoc statu remotam mansisse neque viam, qua progressa sit, rectam seu ad suam normam exactam dici posse; denique 4. hominem iam ante peccatum suum in pugna cum diabolo constitutum fuisse. In his imprimis duae res desiderari possunt: qua certitudine dicendum sit huius mundi materiam propter angelorum peccatum aliter conformatam et temperatam esse, quam si angeli non peccassent. Thesis enim enuntiatur ut ea, quae teneri possit („dici posse“); sed quaeritur sitne haec opinio pro hypothesis tali habenda, qua omnibus theologicae hypothesis legibus satisfiat neque, ut approbari eam oporteat neque. Ac rationibus, quae e traditione, e caerimoniis ecclesiae ad imperium mali spiritus probandum petuntur, praeterea rationibus, quae e rebus naturae corporeae, quam et revelatio et mens ipsa a recta naturae condicione alienam esse et cum interitu futuro, qui sine causa futurus non esset, convenire docet, utpote quae mortis necessitatem in se contineat, sumuntur; porro explicatione Rom 8, 20—22, qua multae difficultates evanescent, symbolica tenebrarum Gen 1, 2 significatione, symbolica quiescentis Domini post mundum ornatum vi, symbolo serpentis et eius maledictione, mortis necessitate, speciei inanitate atque, quod harum rerum fundamentum est, naturae individuatione ac motu, his omnibus rationibus effici videtur, omnium rationum abundantiam esse, quibus ad hypothesis theologiam comprobendam opus sit, satisque esse etiam ad philosophicam hypothesis confirmandam. Aliud monendum videtur esse de thesi, qua quid peccatum angelorum homini tulerit, statuitur. Non enim videtur satis clare significari munus illud salvandi mundi, quod homini propter illud obtigit. Praeterea accuratior discriminis inter id, quod ad empiricam et quod ad idealem hominis naturam pertinet explicatio desideratur. Nam praeter immortalitatem hominis e creatura corporea et spiritali compositi, quae in notione hominis, qua concilium Lateranense IV. utitur, continetur, et certandi cum corpore, spiritu mundi, diabolo munus, iam p. 420—1 empirica cognitio cum Scoto ab ideali distincta est. — P. 430, ubi indicantur oratores sacri, qui de angelo tutelari exponunt, aequo iure videntur etiam artifices commemorandi fuisse (sicut de s. Ambrosio). — Ad apologetica pertinent quae p. 421, c. 1 de origine opinionis angelorum dicuntur. De ecclesiae Anglicanae recenti condicione non exponitur nisi quantum ei cum orthodoxis ratio intercedit cf. Sl. l. th. V. 26; neque anglicanismi historia exponitur nisi quantum ad catholicam pertinet; de articulis (de quibus nuper Roždestvenskij scripsit) nihil explanatur. De animismo pauca scripta sunt. Annihilationis notio dumtaxat explicatur, de Viclefiana etc. non agitur. Anthropomorphismus is tantum tractatur, qui in sacris libris occurrit; sed qui in natura animo conformanda meliori cognitioni obest (cf. Sl. l. th. III 301) quoque origo religionum explicatur, neglectus est. De Antichristo ut in aliis capitibus factum est, evolvendae erant litterae et annales Bohemiae (tempore Caroli IV. Milič, libellus

de Antichristo; initio hussitici tumultus: Palacký III. 1; Antichristus nomen papae; s. XVI. opinio de fine mundi brevi futuro: prophetiae Eliae, Danielis; Rvačovský, Masopust 1580 (f. II., III.; LXXX A), Lomnický, Knížka o sedmi hrozných ďábelských řetězích (1586), Veleoslavín [Politia historica 1584], Komenský etc.). De Antiochia Pisidiae parum discimus; neque ad alios fontes, relegamur. Ne id quidem invenitur, eam metropolim fuisse patriarchatus Byzantini (vicesimam quartam, cum 18 suffrag.), quando esse desierit (713) etc. Antiochia e cum alia tum patriarchatus paucis expeditus est; saltem quae a Le Quien enumerantur et a Sergio in „Polnyj spisok“ in Měsjaceslov Vostoka, etsi nec plena nec omnino accurata sunt, commendari debuerunt. De antisemitismo, quo gens ipsa odio habetur non omnino placet iudicium, etsi lis est de verbo. Multi enim nomine antisemitismi huius improbe utuntur ad studia eorum, qui se a Iudaeis defendunt, velut fulmine prosternenda, quippe qui rationi repugnet. At considerandum est cuiusvis gentis propria esse quaedam vitia et virtutes; neque minus honestum est optare, ne vitia illa sint aut ne nocere possint quam optare ne leones sint; modo ne modo inhonesto haec desideria ad effectum perducantur. De Antonio Romano (Rimljanin) non modo nihil indicatur, unde plura de eo cognosci possint, sed ne documenta quidem a Karamzin (t. II. pr. 210) edita commemorantur. Sub voce Antonovič V. B. commemorandus erat liber O skal'nyh peščerah v bassejně Dněstra. In tractando „apocalyptico numero“ de numero 144 (Apc. 7, 4), exposito in subtilissima J. Kovář commentatione in programme gymnasii Tustensis 1882 (Tab. 3) ne mentio quidem incitur. Apocatastasis omnino imperfecte tractata est; in fine ad Origenem relegamur, acsi is unus apocatastasin defenderit aut statuerit. Sub voce Apologetika de methodo apologiae pluribus agi potuit: distingui ea, qua ex impossibilitate naturalis explicationis religionis christianae arguitur eius veritas (sc. e convenientia omnium doctrinae christianae partium inter se et cum studiis animi honesti etc.) Praeterea libri, qui hac de re conscripti sunt, indicandi erant, ut Barac, Christlieb; in eodem capite etiam alias spatio parcitur; ut p. 521, col. 2 J. Geffcken allegatur, commentatione eius non nominata (Ztsch. f. Gymnasialwesen 60 [1906] 1—13); anni, quibus libri editi sunt, omittuntur, e libris ii tantum enumerantur, qui maxime necessarii sunt. Supplenda sunt haec e Dict. apol. I. c. 199 (Rivière 1907, Koch 1908 etc.), quocum si comparatur caput hoc, non potest dici omnia, quae desiderari possint, praebere Inter apologetas Russorum deest Nikolin (1904). Sub voce apoštolský sněm concilium apostolorum duodecim lineis absolvitur, locus alius, ubi plura inveniantur quaerenti non indicatur, liber nullus commendatur. Si hoc caput cum Glubkovskii capite in Prav. bog. encikl. VI. 427—441 comparatur, tantum superari videtur nostrum lexicon ab illo, quantum Bohemorum natio a Russis. Arbor Porphyriana non explicatur solum sed etiam aestimatur, hoc tamen non proprio loco, sed alibi (p. 645, col. 1), quo non relegamur. De arcandisciplina apud sectas (ut chlystos: Grass 1907, 334

ss.) nihil discimus. Sub voce *archiepiscopus* commemorari potuit, in imperio Byzantino archiepiscopi nomine quattuor honores diversos esse significatos (autocephalum episcopum, metropolitam [solum Illyricum], pastorem urbis insignis [Amasiae, Ancyrae], praelatum metropolita maiorem [Iustiniana prima]). Ubi de *Archettio* agitur, commemoranda erant „Commentaria de legatione Petropolitana ab I. A. Archettio administrata“ (Makušev, *Istorič. pamjatn. južnyh Slavjan*, č. I. kn. 1, 261—4). De *archisynagogis* imperfecte exponitur; cf. Bogosl. *Věstnik* 1908 III. 70 ss. De *architectura ecclesiastica* nihil discimus nisi structurae genera, ad quae relegamur; de vi deque historia nescio ubi sit agendum (cf. A. St.-Paul, *Architecture et catholicisme. La puissance créatrice du génie chrétien...* Paris 1905 etc. De Russica (Golubinskij, *Ist. r. c.² I. B* 15—150), Polonica (Przepl. katol. 488, 504, 521), Bohemica (Lehner) etc. *architectura* fortasse exponetur in historia harum gentium id quod indicandum erat. Ceterum de Armenia infra mentionem faciemus. De *Arianis* in Polonia nihil invenimus (cf. *Sl. l. th. IV.* 80, 217, 329). In *Aristotele* tractando (p. 636—646) accuratio laudanda est, qua vita, scripta, methodus, doctrina, fontes, auctoritas, sectatores eius exponuntur; ne in iis quidem quaestionibus, quae ad philologos pertinent, iudicium proprium rationibus firmatum desideramus, ut de ordine librorum quo scripti sint (De interpr. ante categorias etc.). Sed adumbrandum videtur fuisse quomodo (quibus gradibus) effectum sit, ut *Aristotelea* forma hylozoistica in scholasticam formam substantialem mutaretur. *Armeniae* catholicorum status, qui nunc est, vix attingitur; cf. Pisani, *Le Catholicisme en Arménie in Compte rendu du trois. congrès scientif. intern. des cathol.* 2 sect. 1895 p. 232—249 etc. Praeterea desideratur historia artis ecclesiasticae in Armenia (cf. *Byzantinische Denkmäler*, herausgegeben v. J. Strzygowski: *Das Etschmiadzin-Evangelium...* Wien 1891 etc.). Neque de Armenorum litteris christianis agitur; velut de Eznik; neque de illustribus eorum sacerdotibus, velut de metrop. Stephano Syniensi, de patriarcha Ioanne VI. (897-925) de patr. Gregorio (1133—1190), de presbytero Samuele Aniensi etc.; neque de monasteriis, velut de celeberrima bibliotheca monasterii Edžmiadzinensis (cuius catalogus 1840 editus est), de monasterio Vagaršapatensi etc. Consuli de his rebus poterat aep. Placidus Sukias Somal (*Quadro della Storia letteraria di Armenia. Venezia* 1829); C. Neumann, *Versuch...* L. 1836; K. P. Patkanov in *Trudy tret'jago meždunar. s'ězda or'entalistov v S.-Peterb.* 1876, 455—511; etc. Pauca cognoscimus de *Arsenio Suhanov* nec ab aliis cognoscendi plura copia magna offertur (Cf. Makarij, *Ist. r. c. t. XI.* 141—159 etc.).

Plura quaerenti libri alii non commendantur nec fontes indicantur plurimis locis. Tēstimonio sint nonnulla capita: *Arhus* (cf. Gfrörer, *Greg. VII.* I. 146 etc.); *Abgar*, imago (cf. Fr. Talon, *Histoire merveilleuse du vrai portrait...* 1905); *Abraham* (cf. A. Ščeglov, *Prizvanie Avraama i istoričeskoe značenie etogo sobytija.* Kiev 1874; VI. Solov'ev, *Istorija teokr.*; P. Dornstetter, *Abraham* 1902 etc.); *Abšalon* (Axel); *Acaçiané* (cf. Spasskij, *Ist. dogm.*

dviž. I. etc.); *Adalard* (A. Enk, De S. Adalhardo abbate Corbeiae. Monast. 1873); *Adalbero* ep. herbipol. (F. Trabert, Leben, Wirken u. Verehrung d. h. Ad. Würzb. 1896); *Alexandrinus* patriarchatus (Sidaroufs, Sl. l. th. V 54); *Almain* (Denifle-Weiss, Luther II. 388 ss.), de s. *Alphonsi* systemate morali libri conscripti omnino non indicantur (Wittmann, Caigny, Meffert, Schmitt etc.); immo ne ipsa quidem controversia proponitur; s. *Amandus*; *Tel-Amarna* (Korzonkiewicz, Ex Or. lux etc.); *Ammonius* Sakkas (8 lineae); *Ammonitae*; *Ancyranus* synodus (Spasskij, 351 etc.); *Angoulême* (L. Hays, Le dioc. d'Ang. in Revue cath. des égl. 1907, 392—414); *Anna* (Dhorme, Le cantique d'Anne in Revue bibl. 1907, 386—397 etc.); *Anno* (Kleinermanns etc.); *Anthimus* patr. cp. (8 lineae); *anthropomorphismus* (arhim. Andrej); *Antichristus* (Orlov, Kritičeskij razbor glavnějših mněnij ob antihrisťe. Pray. Obozr. 1889; A. Běljaev, O bezbožii i antihrisťe. S. Pos. 1898; Mor. Friedländer, Der Antichrist in d. vorchr. jüdischen Quellen. Gött. 1901; Hans Preuss, Der Antichrist. Gr. Lichterfelde-Berlin 1909 etc.; de Antichristo ap. Viclefium: Denifle-Weiss, Luther II. 442 s. etc.); *Antiochia* Syriae (I. Malyševskij in Trudy 1893; P. Žuze in Soobšč. Pal. Obšč. 1906: Ustav Ant. pravosl. cerkvi, etc.); *Antokolskij* (Stasov, Mark Ant. Antok., ego žizn', tvorenija i pis'ma [1046 p.] St. Peterb. 1906); *Antonius* M. (Izvěkov in Hr. Čt. 1879 II. etc.; de monasterio in Thebaide: Kath. Miss. 1885 p. 140 ss. 168 ss.); *apocalypticus* numerus (Aug. Fr. Staffler, Die Idee einer rationalen Universal-Dolmetscher-Sprache. Innsbr. 1869, Anhang etc.); *apokatastasis* (Carove 1826; Theol. Ztschr. v. Batz u. Brenner VII. B. 1. H.; The Journal of sacred literature vol. 8 (1866, Jan.) p. 433—446; O. Riemann, D. Lehre v. d. Apokat. Magdeb. 1889, (1897); Petavel-Oliff, Le problème de l'immortalité. Paris 1891-2; R. Falke, Die Lehre v. d. ewigen Verdammnis mit bes. Berücks. des Conditionalismus, der Apokatast. u. d. Seelenw. Eisenach 1892; Stukov, Proišoždenie v Cerkvi hristianskoj mněnij, protivorečeaščih . . . o večnosti mučenij . . . Kaz. 1893; S. S. Glagolev, Sverhestestvennoe otkrovenie. Har'kov 1900, 375—380; O. Schrader, D. Lehre v. d. Apokatastasis oder d. endl. Beseligung aller. Berlin 1901; The Expositor 1901 [Beet, The Eternal Punishment of Sin]; J. Stufler, D. Heiligkeit Gottes u. d. ewige Tod; Trudy K. duh. akad. 1904 (Linickij); Novgorodskija Eparh. Vědom. 1904, g. 30, N. 1, p. 46 ss.; etc.); *Apollinarisberg* (Ath. Bierbaum, D. Apollinarisberg, seine Kirche, s. Propstei, s. Reliquien u. s. Kloster. 1907); *Apostol*(os) (Voskresenskij: Sl. l. th. V. 87); *Aretas* (Steinmann, Aretas IV. Freiburg 1909); *Arnoldi* (Vil.) (Kraft, W. A. Trier 1865); *Aron* (Baillet, Vies des Saints de l'Anc. Test.; Nilles, Kal.² I. 480; II. 415. 717. 723 etc.); s. *Arsenius* († 1266? 28/X. 1251; monasterii Ipecensis fundator); *Arsenius* [III.] Černoevič patr. Serb. (Milan Kostić, Pravoslavnaja serbskaja cerkov' v Avstrii pri patriarhě Arseniě Čarnoevičě v 1690 g. do konca 18 st.; Trudy 1869 Nro. 5, 268—388; patr. fuit a 1690—1696, non saec. XVIII.; *Arsenitae* (I. Troickij in Hr. Čt. 1867—1872); *Arse-*

n i u s k a t h o l i k o s G e o r g i a e ; A r s e n i u s m e t r o p . K i o v i e n s i s (V . P ě v n i c k i j i n T r u d y 1 8 7 6 . 1 8 7 7 ; P . O r l o v s k i j i n T r u d y 1 8 9 6 ; e p i s t u l a e e i u s i n T r u d y 1 8 8 4 e t c .) .

Libri a Germanis conscripti potius afferuntur quam ab aliis; ut Alkuin (deest: C. J. B. Gaskoin, Alcuin, his Life and his Work. Lond. 1904); Apologeti (Mazuel, Les grands écrivains français classiques et modernes Apologistes de la foi chrét.) etc. — Maxime Slavorum litterae negleguntur; Africa vetus (arhim. Arsenij de statu ecclesiae Afr. tempore Vand.); Agapy (Petr Sokolov, Agapy. Serg. Pos. 1906); Ambrosius (S. Losev, Sv. Amvrosij Med., kak tolkovatel' Svjašč. Pisanija Veth. Zav. 1896; etiam eximia interpretatio s. Ambrosii Russica omissa est); Amerikanism (W. Ledochowski in Przegł. Katol. 1899, 1907, 1908); Anathema (Nevzorov, Smysl i značenie cerkovnoj anathemy. Kaz. 1889); Anatolius patr. Cp. (I. Andreev, Konstantinopolskie patriarhi ot vrem. ģalk. sob. do Fot. I. S. Pos. 1895, p. 205—223). Apoštolské učení (Αδοαχή: Solov'ev, Bočkarev, Bok); Appian (Zingerle-Dudík, Právė děj. 1858 str. 168—175); archaeologia bibl. (cf. Ukazatel commentationum in Trudy editarum p. 41 ss. etc.); Aristides (A. Pokrovskij, Filosof Aristid i ego nedavno otkrytaja apologija. S. Pos. 1898); Aristakes (Anninskij dicit eum kathol. fuisse 334—341!) — Recentiores litterae saepe desiderantur; e. c. recenseo Agobard (Reinach in Revue des Études juives 1905 XLIX p. LXXXI—CXI); P. de Ailly (Denifle-Weiss, Luther II. 299 ss.); Alvelidianus (item 141 ss.); de Anglicanorum ordinationibus (Salv. M. Brandi S. J., Delle ordinazioni Anglicane.⁴ Roma 1908; desunt etiam Slavorum commentationes: A. I. Bulgakov, K voprosu ob Anglikanskoj ierarhii. Trudy 1898; Idem, Zakonnost' i dějstviteľnost' Angl. ierarhii. Trudy 1900—1901; E. Popov in Hr. Čt. 1870 I 188 ss.); Apokalypsis (recentissima recensentur a. 1898! deest v. c. Mémain, La divine épopée de l'A.² Paris 1903; Bungeroth, Schlüssel zur Off. Joh., einem Meisterwerk göttl. Kunst. L. 1907; desunt praeterea: F. J. Wolf, Innsbr. 1870; Lange, Bielefeld u. L. 1871; A. Krasovskij, Apokalypsis kak liturgičeskij pamjatnik apostolskoj epoģi in Trudy 1874 Nro. 10, p. 102—122 etc.; Apokrypha (G. Hölscher, Kanonisch. u. Apokryph. L. 1905; L. Couard, D. religiösen u. sittl. Anschauungen der alttestam. Apokryphen u. Pseudepigraphen. Gütersloh 1907; adde: K. Skvorcov, Ob evangelijaģ apokr. in Trudy 1861; N. V. Pokrovskij, Slėdy apokričeskih evangelij v drevnej ruskoj živopisi. Od. 1884; Kalitovskij, Mater. apokr. lit. etc. Cur p. 517 iuxta Kozak et Polivka non nominetur Franco omnino non intellegitur. Apollinaris Laod. (Spasskij libro addenda erat V. Bolotovi aestimatio in Hr. Čt. 1908, Okt., 1400—1420; desunt etiam Voisin, Funk); Apoštolské konstituce (libri de const. Apost. enumerantur apud Bočkarev, Istoriko-kanon. očerki. Juģnov 1906); Armada spásy (M. Gerhard, Der religiöse Charakter der Heilsarmee. Brsl. 1907); Berkios (omnes libri de ea re scripti dicuntur recenseri a Bilczewski 1898, recentius nihil affertur).

Aliarum lacunarum in libris afferendis exempla sunt: a d m i r a b i l i s mater (Hattler, Das Gnadenbild... 1880); a d v e n t ; a d v e n t i s m u s (Joh. Stier, Wider den sabbatarischen Adventismus. Elberf. 1907; J. Rubanowitsch etc.); a f f e k t y ; A l e x i u s metrop. (Golubinskij, Ist. r. č.² II A. 171—225); A l i p i j (M. Uspenskij, Zamětki o drevne-russkom ikonopisanii... Sv. Alimpij i A. Rublev. Spb. 1901); A m o s (velut J. Döllner, Vom „Überschüssigen“ bei Amos et sim.); A m p h i l o c h i u s (F. Cavallera, Les fragments de saint Amph. dans l'Hodegos in Revue d'hist. eccl. 1907, 3, p. 473—497); A n a s t a s i u s nic. (Le Quien in Or. Christ. t. I., 644; *Ἐκκλησ. Ἀλήθ.* XII. 134; Krumbacher² 66 etc.); a n g e l i (dogm.: Agostini, De angelis 1643; Alamanni; Ames; Amrhyn, Tractatus de ang.; Bayr 1760; Benyowski, Theses theologicae de aa. 1742; Blanc, De excellentia et charitate angelorum 1669; Bourgogne 1669; Bruyn 1684; Burghaber 1650; Busaeus; Caloen 1657; Carl 1753; Casati 1703; Cerda 1631; Conrad 1760; Crespo 1751; Csapodi 1770; Despatovich 1690—1; Diesbach 1773; Jaszlinski 1762; Kojalowicz 1652; Lessius 1623; Ripalda; Miaskowski; Sarbiewski; Zaluski etc. etc. — ascet. et liturg.: Crasset, Traité des Saints Anges 1691; R. Debrosse, Le mois angélique 1815; Dinant, Règles de la Sodalité angélique 1628; Follaeus, Leges sodalitatis angelicae; Galluzzi, Nove meditazioni sopra i SS. Angeli 1721; Huby, Les Litanies des SS. Anges; Labonde, Manuel de la Congrégation des SS. Anges 1828; Raynaud, Angelus sanctus filior. Dei paedagogus 1663; P. Spinelli, De VII angelor. principib. 1615; Stengel, De tribus angelis principibus 1627; Tluczynski, SS. angelorum beneficentia 1677 — De angelo custode dogm.: Bauman, Angelus custos 1620; Gravenegg, Officium s. angeli custodis; disputatio theologica 1625. — ascet. Czewowski, Kro'kie nabożeństwo ku czei ów. Aniola Stróža. Lw. 1855; Drexel, Horologium Auxiliaris tutelaris Angeli, Mon. 1622 (bohem. Ferus Pr. 1636); Hautin; Hevenesi; Jacobs; de Roa; Rosignoli; Vivien etc.); a n n u l u s piscatoris (Cancellieri, Sopra l' origine... 1823); a n t i m e n s i u m (Golubinskij, Ist. r. c.² I. B, 181—7); A p o l l o n i u s (Max princ. Sax.); A p o l l o n i u s Tyan.; a p o s t a t a ; A p r o s (*Ἰ. Λαμπουσιάδης, Πόλις, καὶ ἐπισκοπή Ἄπρω* in *Ἐκκλ. Ἀλήθ.* XXVI., 361); a r c a n i disciplina (H. Gravel, Lingen 1902; Th. Quartalschr. Linz 1903 p. 69—90 etc.); a r c i b i s k u p (Thomassinus); a r c i j á h e n (solum Thomassinus et Wernz recensentur; cf. Przgl. katol. 1894, 440 s. etc.); a r i a n i s m u s (Spasskij etc.); A r i s t o t e l e s (C. Piat, Aristote. Paris 1903; de fontibus: Barthélemy St. Hilaire, Le Nyaga in Mémoires de l'Académie t. III. 2^{me} Série; de ethica: Eucken, D. ethischen Principien). A r c a d i u s , aep. o l o n e c e n s i s (Materialy dlja biografii A. in Hřr. Čt. 1888—1894). A r m e n i a (Weber, Kath. Kirche in Arm. 1903). A r n o š t z Pardubic (sola Balbini vita affertur; cf. M. Vojáček in Aletheia I. 3 ss. etc.). A r o n b e n A š e r (Serrarius); A r s e n i j Macěvič (solum Bog. enc. [I] 1062 nominatur!)

Minoris momenti sunt p. 654 col. 2 „Djulor“; p. 25 tēchže l. týchž; p. 259 sezení l. sedění; p. 525 a. jest prvotiskem vytištěn byv Ivanem . . ;

vocabula philosophica in ipsis capitibus eleganter et accommodate ad linguae Bohemicae naturam et scholasticorum concipiendi modum versa quibus ipsa definitio adumbratur nonnumquam ineptis vacuisque ceserunt (ut *připadek*, *připadnost* l. *jsoueno utkvélé* etc.); passim *kánon* l. *kancn* etc.; p. 29, col. 1, lin. 9 *infra loco? legendum*²; p. 269 *loco Tr. Moltedo leg. Fr. M.* etc. Imagines non semper arte perfecta expressae sunt. Signa adhibenda videntur esse (v. g. *commentariorum*) semper eadem, idque frequentius. Charta melior aptior esset ad imagines exprimendas.

Haec sunt particularia, quae ad nos pervenerunt. Si consideratur scriptoribus non raro paucos dies concedi ad capita etiam graviora absolvenda mirum est, si plura non desunt.

Praeter haec proposita sunt etiam alia: lexicon instituendum aut pro doctis aut pro rudibus; capitum numerum esse minuendum maxime e iure canonico et sim. Sed quoniam hoc modo coeptum est, mutandus nobis esse non videtur: dum omnia a quaerentibus inveniantur. Modo opus celerius edatur et nomine scriptoris insignitum quodvis caput doctrinae specimen praebeat.

Colligit *A. Špaldák*.

Polonica.

Ks. *Józef Borodziej*, **Pod wozem i na wozie. (Sub curru et in curru.)** Pamiętniki. Chrzanow 1911.

Hoc libro exponitur a scriptore, quid ipse a. 1897 ordinatus, ut capellanus et parochus missionariorum facultatibus instructus, pro salute animarum Polonorum et Russorum in Lithuania, in Russia Alba gesserit (quae templa aedificaverit etc.) et quid propterea passus sit (accusatus con'umeliarum p. 93, illicitae institutionis p. 129 etc.). Narratur inter alia, quomodo Russos orthodoxos sibi conciliaverit, quam orationem iis congregatis non frustra habuerit (116—117), quomodo popis familiariter usus sit, quid duobus libris Russicis: „*Gospodu pomolimsja*“ (quae sunt preces catholicorum ritus latini) unde Russi in usum suum describebant preces et „*V zaščitu věry*“ (libro apologetico) effecerit, quantopere cantilena ab oppido Lourdes denominata Russis placuerit, qua voluptate spiritali expositio ss. Sacramenti („*so Spasitelem v solnce*“) excepta sit et sim. Praeterea narrantur exempla ebrietatis sacerdotum orthodoxorum (122—3), monasteria Russica in eodem genere ponuntur ac lupanaria (124), superstitiones (velut de vi reliquiarum scalarum Iacobi) commemorantur (127) etc.

His adduntur quaedam sententiae de studiis ecclesiarum orientalis et occidentalis inter se reconciliandarum. Velehradensia consilia ut hominum imprudentium impugnantur. — Sunt homines qui ita cum rebus suis coalescunt, ut non possint aequae aestimare hominem barbaram atque levem, ut non possint credere s. Basilium ritum aequae bonum habuisse ac s. Augustinum vel s. Pium V., ut intellegere non possint quanti sit ecclesiam esse et concipi omnium rerum huma-

narum inanitate altiolem. Cum his pugnare alienum videtur esse ab his commentariis.

Ks. Dr. *Józef Kaczmarczyk*, **Bóstwo Chrystusa Istotą Ewangellii. (Christi divinitatem esse ipsum evangelium.)** Kraków 1910. (136 p.) Sump-tibus propriis scriptoris, prof. in univers. Cracov.

K. maxime contra Harnack eosque, qui ab eo profecti sunt docet negandum esse, Christum homines eiusdem temporis non praecur-risse aut ab erroribus alienum non esse; resurrectionem ab opinione resurrectionis separandam non esse; Christi discipulos eum Deum esse credidisse, non quod id Paulus sibi persuasisset sed quod ipse Christus Deum se credi voluisset; conversionis s. Pauli ad Christum causam veram fuisse solam eam, quae Gal. 1, 15 (cf. Eph. 1, 19) com-memoratur; Christum a primis christianis eodem modo cultum esse atque a nobis, nec posse apotheseos opinione eorum fidem explicari; huius aetatis modernismum a gnosticismo antiquo non multum dis-crepare.

Liber hic in fastigio doctrinae horum temporum versatur, sed scriptor non omni diligentia ac subtilitate doctrinae propria quaesti-ones explicat, non omnibus libris, qui de his rebus scripti sunt, utitur (velut Glubokovskii opere quod est de s. Paulo; Bilezewskii loco de Plinio etc.), verum potius populariter scribere quam doctrinam augere voluit.

A. Špaldák.

Russica.

N. V. Pokrovskij, **Памятники церковной старины въ Костромѣ.** (Pamjatniki cerkovnoj stariny v Kostromě). Monumenta eccle-siasticae antiquitatis in urbe Kostroma). Spb., Sinodal'naja Tipog-rafija. 1909. (58 p., 32 tabulae) 5 r.

Ecclesiae oppidi Costromae in fluminis itidem Costromae Volgae-que confluentibus iacentis, multas continent antiquitates. *P.* 22 enu-merat (sunt vero 36 pro 50.000 incolarum), e quibus una est cathe-dralis, duae regularium. Tum prosequitur singulas ecclesias earumque exponit aetate venerabiles icones, iconostases, picturas, sacros libros, calices, cruces, structuram architectonicam, fundatores, architectos, tempus, quo exortae sint etc. etc.

Nec vero solum describit opera artificiosa, sed et iudicio subicit. Quae aestimatio satisfaciet lectoribus, quibus ars Russica aliunde sat nota est, pro externis vero remotisque manca videtur carens ad plenioram rei intellegentiam maxime comparatione cum vigente tunc arte in Europa occidentali. Sed hoc praeter scriptoris propositum.

Alia praecipua operis pars sunt imagines praecipuarum antiqui-tatum; in 32 foliis collocatae sunt singulae, binae vel ternae imagines sine quibus, ut in introductione bene notatur, rectum iudicium de rebus, quae exponuntur, fieri vix potest. Plurima monumenta inveniuntur in monasterio Sti Ipatii, quae maximam operis partem occupant, et in

cathedrali B. Virginis Assumptae, ubi imago eius miraculis clara conservatur. Haec condita erat a. 1239, illud in prima parte saeculi XIV. a Ceta natione tataro, ad fidem Christi mirabiliter converso. Reliquae ecclesiae exortae sunt pleraeque saeculo XVI. et XVII. Celeberrimi pictores referuntur Georgius Nikitin, unus e clarissimis artificibus exeuntis saeculi XVII. et Silas Savin, Costromenses. Artifices in hoc oppido viventes retinebant antiquum modum pingendi sanctos orantes et aspernati sunt modum novum, qui procedente tempore degeneravit.

Sancti, quos hae imagines nobis repraesentant, pietatem morumque spirant simplicitatem, carent autem perfectis proportionibus, immobilisque nonnullorum situs, quem alii caelestem quietem interpretantur, torpor paene potest videri.

Attentione digna est effigies Praecursoris Domini: iuvenis, cum suspensis alis, succincta veste, longis crinibus, tenens in manu revolutam membranam cum inscriptione: ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi; facite paenitentiam, appropinquavit regnum caelorum.

E pretiosissimis antiquitatibus sunt sacri evangeliorum psalmoreumque libri, in eodem S. Ipatii monasterio, pulchris exornati imaginibus miniatis ineunte saeculo XVII. In quodam codice in evangelio S. Matthaei depictae sunt generationes Christi, et omnia, quae nativitatem eius secuta sunt; in ev. S. Lucae facta primaria ex tota vita eius; in ev. S. Ioannis ea mysteria, quae demonstrant, Christum esse filium Dei.

Verbis psalmoreum insertae sunt imagines avium, anguium aliaque metaphorae et personificationes, porro mysteria e vita Christi eiusque sanctorum, prout verbis psalmistae tangi videbantur.

Admirandum ibidem conspectum praebet magnifice exstructa iconostasis thronusque imperatoris. Prae ceteris sacris aedificiis excellent amplo ornatu externo compluribusque sphaerae formae turribus ecclesia Resurrectionis et ecclesia Salvatoris.

P. opus edidit archaeologiae christianae studiosis certe gratisimum maxime indigenis, externorum autem oculis saltem aliquatenus prospectum patefecit ad divitias, sumptus, artes in domos Dei collatas, quae eloquentissimo testimonio sunt floruisse tum in Russia pietatem ac religionem.

B. Rájek.

Вѣра и Разумъ. Věra i Razum. Har'kov 1909.

N. Voznesenskij, Hristianskaja blagotvoritel'nost v uslovijah našego vremeni. VII., 161—215.

T. Butkevič, Obzor russkih sekt i ih tolkov I., 10—45; 149—67; II., 284—296; 429—454; III. 545—560; 709—24; IV., 26—49; 162—87; V., 311—344 VI., 588—665; VII., 11—113; VIII., 297—375.

T. Butkevič, Odobrennyj Gosudarstvennoju Dumuju zakonoproekt o staroobrjadčeskij obščinah pred sudom istorii i russkago pravosoznanija. No. XXII., 427—43.

Al. Vvedenskij, Kleveta Bebelja na hristianstvo. XXI., 279—95.

D. Lukaševič, Religioznyj modernizm v katoličeskoj cerkvi. VIII., 454—88.

G. Sokolov, Monašestvo i arhijerejstvo. VIII., 281—296.

- VI. Kerenskij, Čto razděljaló i rozděljaet vostočno-pravoslavnuju i zapadnuju starokatoličeskiju cerkvi? VII., 114—138; XII., 751—777.
- A. Rajsckij, K voprosu o prepodavanii Sv. Pisanija Vethago Zavěta v duhovnyh seminarijah. XII., 724—737.
- Grig. Ščelčkov, Religija i socializm. XII., 738—50.
- N. Bukin, Proisžođenje drevle-ħristianskoj simvoličeskoj živopisi i značenie eja v istorii iskusstva. XXI., 323—43; XXII., 456—72.
- P. Levitov, O materinskoj ljubvi XXI., 316—22.
- S. Glagolev, Věra i znanie. XXI., 344—70.
- S. Glagolev, Logika Absolutnago Razuma. XXII., 496—521.
- M. Thivejsckij, Rimljane v evangełskoj istorii. XXII., 444—55.

Вѣра и Разумъ. (Věra i Razum.) Fides et ratio. Ĥarkoviae, 1910, t. I.—IV.

Joannes Filevskij: Celsus i Origen (Celsus atque Origenes). — I., 1—25; 145—180; 318—341.

Prima aetate religionis christianae, viris doctis hanc amplexatis et profitentibus munus demandatum est suam fidem contra ethnicorum assaultus tuendi. Tribus cum hostibus illius temporis Ecclesiae christianae decertandum fuit, cum regimine politico, populo, philosophia; hi hostes bellum adversus eam gerebant nomine civilis cultus, religionis, scientiae. Ut facilius hosce hostes prosternerent, scriptores christiani ad id animum appulerunt ut demonstrarent religionem christianam validissimum fulcrum regimini praebere, negotia politica cum negotiis ecclesiasticis haud miscere, reddere Caesari quod sit Caesaris, et Deo quod sit Dei; insuper moralem characterem fidei christianae extollere clarissimaque in luce collocare, ut populi gratiam ei conciliarent; denique contra philosophos tutari atque ostendere fidem christianam abominabilem non esse superstitionem, sed rationis humanae lucem, claram et plenam Verbi Dei manifestationem. Non omnes luculenter haec tria praestitere. Inter primaevos scriptores Iustinus, et Clemens Alexandrinus, atque Origenes maxime declararunt characterem philosophicum, et momentum fidei christianae, ut doctrinae de Deo ac de universo perpolitae, et argumentis suffultae. In eorum scriptis fas est nobis reperire methodum apprime investigandae fidei christianae, systema absolutissimum apolo-giae philosophicae doctrinae christianae, quatenus consideratur ut metaphysica religiosa.

Inter vetustos fidei christianae hostes primas tenet Celsus, qui eam aggressus est omni apparatu scientifico et philosophico. *F.* breviter concinnat vitam Celsi, quam alias apud Russos fuse enarravit *N. Lebedev: Sočinenie Origena „Protiv Celsa“*. Opyt izslėdovanija po istorii literaturnoj bor'by Ĥristianstva s jazyčestvom, Mosquae, 1878. Deinde agit de libro Origenis *Κατὰ Κέλσιν*, qui annis 246—49 compositus est, rogante eius amico Ambrosio. Opus Origenis maximi ponderis est, propterea quod id ipsum nobis pandit omnes criminationes ethnicae philosophiae adversus fidem christianam. Iudicio *D. Gusevi*, qui disertatiunculam de eo scripsit: *Apologija Lica Iisusa Ĥrista i ego zemnoj žizni i dėjatel'nosti v sočinenii Origena „Protiv Celsa“*, Prav. Sobesėdnik, 1886, t. III., p. 262 et ssq. pulcherrimum est omnium operum quae prima aetate conscripta sunt ad fidem christianam tuendam. Argumenta et doctrinas tam Celsi quam Origenis methodice auctor exponit, atque illum ut ethnicum senescentem, ac philosophum ethnicum graphice

depingit, hunc vero ut perfectissimum defensorem fidei christianae, et philosophum acutissimi ingenii: ille personam gerit orbis pagani, qui ruit ad occasum; hic orbis christiani, qui sanguine martyrum virescit. Tota dissertatio nitet elegantia styli et claritate expositionis.

A. Vertelovskij: Svjatoj Dimitrij Rostovskij i ego tvorenija. (Sanctus Demetrius Rostoviensis eiusque opera). I., 26—34; 181—191; 342—359.

Anno 1909, die 28 octobris, russica Ecclesia sollemniter celebravit memoriam S. Dimitrii Rostoviensis, cuius mors accidit anno 1709. Demetrius in hymnis liturgicis russicis extollitur ut Chrysostomus russus, ut magnus Doctor Ecclesiae. Pervolutantibus eius vitam scriptaque palam fit ipsummet renovasse veterum Patrum exempla. *B.* breviter enarrat vitam Demetrii, ac potissimum agit de eius conatibus ad clerum erudiendum, ac sacris scientiis imbuendum. Deinceps de menologiis exponit, quae Demetrius composuit, in quibusque exarandis viginti annos insumpsit (1684—1705). Praecipuis fontibus usus est Simeone Metaphraste, Surio, voluminibus tunc temporis editis Actorum Sanctorum, et Menologiis ineditis metropolitae Macarii. Methodus quam ipse adhibuit declaratur. Menologia Demetrii maxime laudantur, non solum ut monumenta historica atque hagiographica sed etiam ut monumenta ascetica, tot piis adhortationibus ea scatent.

Scriptis etiam Demetrius *Lětopis' Kelejnaja*, quam ad finem usque non perduxit: ea conatus est breve summarium conficere historiae biblicae atque universalis ad populum erudiendum. Demetrius in ea conscribenda, multa deprompsit ex Patribus Ecclesiae historicisque byzantinis. Ad russicum schisma veterum rituum evertendum composuit *Rozyska o raskol'ničeskoj brynskoj věrč*, ubi doctrinas refellit raskolnikarum qui Brynskias silvas in gubernio Kalugensi incolebant. Sermones morales Demetrii maxime conveniunt aetati qua vixit eumque patefaciunt optimum pastorem animarum cui maxima est cura sui gregis. Conficitur inde Demetrium firmiter adhaesisse traditionibus illis quas Patres Ecclesiae tempore synodorum oecumenicarum observarunt.

Ĥristianskaja dogmatika Dr. Martensena, episkopa Zelandskago v Danii (Dogmatica christiana Martenseni, episcopi Zelandiae in Dania). I. 71—83.

Hic theologus lutheranus apud russos celebritate non caret. Nam Alexander Lopuĥin duobus voluminibus edidit ipsius Doctrinam christianam de moralitate: *Ĥristianskoe učenie o nra vstvennosti v izloženi Martensena*, Petropoli, 1890. Clariorem famam sibi comparavit sua Theologia dogmatica, quae, teste Landerero, maxime accommodatur progressui scientiarum nostrae aetatis. Volupe est etiam laicis hocce opus perlegere, tanta nitet elegantia et pulchritudine expositionis, quo fit ut lectorum animos occupatos teneat. Versum adhuc non est hocce opus in russicam linguam, propterea quia communis est opinio compendia dogmaticae christianae nil aliud exhibere nisi veterum scriptorum placita, atque insuper timebatur ne pravas fidelium in animos sententias induceret; lutheranae enim sectae adscriptus est auctor. Suspicio illa excutienda est, siquidem potius philosophiae religiosae specimen quam dogmaticae compendium liber exhibet. Itidem metus abiciendus. Compertum est enim in pluribus Martensen descivisse a placitis protestantismi, velut in tuenda visibilitate Eccle-

siae, numero sacramentorum. Quo fit ut ipsius opus maxime aecedat ad doctrinam orthodoxam, idque non omnes probent doctores lutherani. Usque ad mortem auctoris (1884) quattuor nacta est in Dania editiones, septem in Germania: gallice etiam atque anglice exstat. Hocce opus, praefixa scriptoris vita, russice versum est atque insertum in *Věra et Razum* anno 1910. Interpres criticis adnotatiunculis eam communivit in capitibus illis quae ab orthodoxa doctrina abscedunt.

N. P. C.: Nauka i apologetika A. Lapparana. (Scientia et apologia Lapparent). I., 35—70; 192—221; 703—734.

N. P. Cvětkov russice vertit praelectiones de scientia et apologetica, quas Albertus De Lapparent († 1908), anno 1905 in athenaeo catholico parisiensi (Institut catholique) suis auditoribus habuit. Vitam eiusdem scriptoris catholici enarraverat interpres in Commentario periodico *Bog. Věstnik*, 1908, 6.

N. Lipskij: Psihologičeskija dannija v voprosě o missionerskoj taktikě. (Elementa psychologica in quaestione de methodo missionariis adhibenda.) I., 84—96.

Disputat de modo quo missionarii veritates religionis in animos insinuare debent. Laudat methodum praedicationis, quam nostra aetate pastor bremensis Otho Funke invexit. Meminit Patres Societatis Jesu saeculo XVII., ut catholicismum propagarent primum instituisse scholas et gymnasia ad pueros alliciendos seseque civili cultui necessarios reddendos. Hoc idem fit nostra aetate a catholicis et protestantibus in Africa vel Oceania. Barbara tribus benefactis primum et scholis adducitur ad venerationem fidei christianae: deinceps explicatur eis fides. Hisce positis auctor dolet ob libertatem conscientiae in Russia permultos orthodoxos suam fidem eiurasse: hortatur omnes paroeciarum rectores ut missionarii sint apud suum gregem, ac propius ad populum accedant, eiusque captent gratiam et benevolentiam.

K. A. Smirnov: Metafizičeskoe učenie o dušě u Lejbnica i Gerbarta. (Doctrina metaphysica de anima in scriptis Leibnitii et Herbarti.) I., 222—242.

Haec tractatio mere philosophica est, ad nostramque non pertinet provinciam *S.* potissimum agit de monadologia philosophorum germanorum quos memoravimus.

N. Bogoslovskij: Serce i ego značenie v religiozno-nravstvennoj žizni po učeniju Svjašč. Pisanija. (Cor eiusque momentum ad vitam religiosam et moralem iuxta doctrinam Sacrae Scripturae.) I., 287—308.

Huius temporis philosophia tenet affectiones cordis (le sentiment) elementum constituere praeponderans in vita spirituali. Huic doctrinae consona reperiuntur testimonia in Sacris Scripturis, quae decernunt cor habendum esse centrum vitae spiritualis. Hocce verbum cordis saepe saepius adhibetur in Sacris Scripturis, idque latissimo sensu ac potissimum ut principium omnium affectionum nostrarum. Colligit auctor locos scripturae, quibus ipsius sententia firmatur, variasque exponit significationes vocis cordis. Assertio Sacrae Scripturae, quae cor habet pro centro vitae spiritualis maiorem veritatem continet quam placita philosophica quae ab aetate Kantii ex ratione faciunt vitae moralis fontem. Doctrina Kantiana

enucleatur et refellitur. Demonstratur quomodo fides et caritas in Deum ad cor nostrum referantur.

A. Gladkov: Estetičeskoe vospitanie v duhovnoj škole. (Educatio aethetica in schola spirituali.) I., 360—374; 471—495.

Dolet studium artium liberalium a scholis penitus ablegatum fuisse. Adolescentes qui in eis educantur, nec musicae student, nec ceteris artibus: ad pulchri comprehensionem non elevantur, quo fit ut quodammodo feritatem oleant. Optime demonstrat comprehensionem pulchritudinis maxime influere in vitam moralem hominis. Explanat documenta recentiora S^{mae} Synodi quae studium aetheticae haud negligendum declarant. Uberrimos fructus ex lectione veterum scriptorum Romanorum atque Graecorum hauriri tuetur.

M. V. D. Opyt ispravlenija cerkovnago slavjanskago teksta v kanonaх v strastnuju sedmicu. (Specimen emendationis textus palaeoslavici canonum hebdomadae passionis.) I., 417—34; 565—584.

Hosce canones composuit Cosmas, episcopus Majumae, saeculo VIII.: canon tamen sabbati sancti tribuendus est partim ei, partim Marco episcopo hydruntino, partim moniali Cassiae. Singuli canones Sancti Cosmae iunguntur hisce ac ostichis:

*Τῆ δευτέρῃ, τρίτῃ τε τετράδι ψαλῶ,
Τῆ μακροῦ πέμπτῃ μακρὸν ὕμνον ἐξάδω;
Προσάββατόν τε σάββατον μέγα μέλω.*

In canonibus enarrantur eventus postremi vitae Jesu Christi: colloquia cum discipulis, parabola, institutio Eucharistiae etc. Adhibentur potissimum verba Evangeliorum. Scriptor vertit hosce canones in russicam linguam, usus graecis editionibus Lovjagin, et Synodi Ecclesiae graecae (Athenis).

Eugraphus Osvjannikov: Arianskiј spor o poznavanemostі Boga. (Controversia ariana de cognitione Dei). I., 435—50.

Haec controversia maximi momenti est, quia ex ea profluxit doctrina ariana de Trinitate, ac praecipue de Jesu Christo. Sententia arianismi hoc in rerum capite paulatim evoluta est. Initio Arius tuitus est dualismum Dei et mundi. Deus absolute remotus est a mundo, ideoque nullam cum eo relationem habet. Arius negavit immediatam creationem universi a Deo, ac Dei providentiam. Hac de causa Deus creavit Verbum, ut mediatorem inter eum atque universum, utque auxilio ipsius sese manifestaret tanquam creatorem. Ex hoc dualismo, Arius deduxit homines absolute ignorare Deum. Si Deus enim tam longe est a mundo, ut nequeat directe in eum influere, incassum homines adlaborabunt ad eum cognoscendum pervestigandumque. Nefas etiam est asserere nos cognoscere Deum per revelationem eius Verbi: quia Verbum creatura est, ac Deus nequit sese creaturis manifestare. Afferuntur argumenta Sanctorum Athanasii, Basilii et Gregorii Nysseni ad cognitionem Dei quod spectat.

P. Levitov: Vsesoveršennyj charakter bogočelověka. (Perfectissimus character Dei-hominis). I., 557—564.

Haec quaestio praeter momentum theoreticum, habet etiam momentum morale et apologeticum. Neminem enim latet perillustres viros, qui novam pandunt orbi doctrinam, eo maiorem sibi conciliare auctoritatem, quo firmius suis ipsorum placitis adhaerent, eaque sua in vita ad actum perducere conantur. Com-

pertissimum autem est Jesum Christum doctrinas, quas theoretice professus est, practice mirum in modum applicasse. Habetur in eo integritas perfecta corporis, summa intellegentia, copia et plenitudo perfectionum spiritualium, quo fit ut exemplar habeatur viri perfectissimi. In eo omnes dignitates ac perfectiones humanae naturae supereminenter reperiuntur.

Th. Delektorskij: Něsko'p'ko slovo po voprosu o proishoždenii russkago patriaršestva. (Aliquot verba de origine russici patriarchatus.) I., 695—702.

Non desunt qui teneant russicum patriarchatum nullis impellentibus causis in Russia ortum esse. Hanc opinionem *D. reicit. A. N. Murav'ev* et *N. Th. Kapterev* tradunt patriarchatum institutum esse etsi clerus russicus de eo instituendo nunquam cogitasset. Regimen civile hoc egit. Documenta hanc sententiam firmant, sed non semper documenta rite hanc vel illam quaestionem in luce ponunt. Institutio patriarchatus sua sponte facta est. Russi, iuxta canones Graecae Ecclesiae *ἀντροποιαν* ecclesiasticam haud poterant quin haberent, cum politica libertate potirentur. Sed rationes politicae obstiterunt quominus Ecclesia byzantina russicae Ecclesiae donaret *ἀντροποιαν*. At Russi, praesertim nobiles, iugum byzantinum ferre nolebant, graecos metropolitas aversabantur qui suam linguam nescirent. Slavi meridionales potiti erant sua hierarchia et nationali Ecclesia: hoc idem deperiebant principes russi, qui primum obtinuerunt ut metropolitae russicarum eparchiarum Graeci haud fierent. Deinde, aucta magis magisque auctoritate urbis Mosquae, infirmior effecta est dependentia Russiae a sede patriarchali byzantina. Saeculo XV. suspiciones in fidem Graecorum exortae sunt. Moskovitae ob suam inscitiam tantum ponderis vindicarunt ritibus ecclesiasticis, ut eos unum idemque cum dogmatis efficerent. Cum autem Graecorum ritus in aliquibus a Russorum ritibus discreparent, apud Russos haec invaluit opinio Graecorum genus moribus corruptum a recta fide descivisse. Seipsos igitur aestimarunt veros atque solos defensores fidei orthodoxae. Mosqua tertia Roma habitata est, ac russi „caesares“ successores byzantinorum imperatorum. Qui sibi persuaserunt suam auctoritatem, ut apud Byzantinos, existere non posse sine auctoritate patriarchali. Exinde factum est ut patriarchatus institueretur, qui existimandus est naturaliter consecutus esse constitutionem politicam ac religiosam totius Russiae.

I. Krasnickij: Buddizm i ħristianstvo. (Christianismus et buddhismus.) 784—790.

Sententia illa quae tenet christianismum profectum esse a buddhismo refertur ad provinciam historiae comparativae religionum, quae religionis absolute verae existentiam negat. Ipsa inquirat convenientias inter varias religiones, eis que repertis declarat unam ex alia pendere. Haec conclusio vim non habet ad christianismum, qui sese exhibet ut religio absolute divina. Satis habetur considerare vitam Jesu Christi eiusque gesta, ut statim pateat haec assertio. Cunctis visa est stultitia tam Christi vita et mors quam eius doctrina, ac tamen Jesus Christus, nullis adhibitis mediis humanis, victoriam consecutus est. Convenientia partialis fidei christianae cum aliis religionibus non innuit dependentiam illius ab istis, sed tantum cognationem, vel intimam similitudinem cum christianismo in eis quae satisfaciunt nobilissimis aspirationibus humani cordis.

A. Palmieri.

M. A. Rejsner, Духовная полиція въ Россіи. (Duhovnaja policija v Rossii.) **De ecclesiasticis in Russia custodiis.** St. Peterburg Moskva. Pag. 107.

R. agit de relatione ecclesiae Russiacaе ad potestatem civilem. Considerans intimam suae ecclesiae cum imperio politico conexionem atque omnimodam ab eo dependentiam, quaestionem sibi proponit, quomodo factum sit, ut ecclesia tam misere sub potestatem civilem redigeretur, atque ad quaestionem hanc responsurus delineare conatur historicam evolutionem ecclesiae Russiacaе. Historiam totius ecclesiasticae constitutionis in Russia dividit in duas periodos: primam scil. quamdiu integrum erat priscum cum ecclesia Constantinopolitana commercium, alteram ab eo tempore, quo post expugnatam Constantinopolim ecclesia Russiaca ad Europam occidentalem propius accessit maximeque protestantium auctoritati obnoxia esse cepit. Itaque imprimis agit de constitutione ecclesiae Constantinopolitanae, deque eius conditione, qua imperatoribus Graecis subdita erat seu de caesarepapismo, qui vocatur, qui sine ulla fere mutatione in Russiam simul cum primis antistitibus transmigravit. Principes ac postea imperatores Russiaci rerum non solum civilium sed etiam ecclesiasticarum erant potiti, atque ecclesia ipsa hanc supremam potestatem ag oscebat caque se liberare non est ausa, quod *R.* variis documentis comprobat. Qui status usque ad saec. 18 durabat. Hoc enim tempore protestantibus aliisque Europae occidentalis haereticis auctoribus mutata quaedam sunt quibus tamen non ipsa relatio ecclesiae ad civitatem mutata est (quia ecclesia semper eodem modo sub potestate civili manet), sed solum forma huius relationis. Cum enim priore aetate forma gubernandae civitatis fuerit magis theocratica, ut et gubernium civile, et ecclesia unum idemque simul petierint: salutem aeternam hominum, posteriore potestas civilis rationibus ecclesiasticis exuitur ut iam nihil aliud sibi proponat nisi hominum commune bonum terrenum ad quod consequendum ecclesia tamquam praecipua adiutrice perverse utitur. *R.* multis testimoniis ostendit huius rei originem atque progressum in Europa occidentali, imprimis in Austria Gallia Germania etc., atque in Russia hoc exemplum secuta.

Maxima denique attentione digna est ultima pars huius libelli, ubi *R.* ipsam huius temporis miserrimam condicionem ecclesiae Russiacaе depingit quae ab imperatore Petro Magno prorsus in servitutem civitatis est redacta atque ancilla gubernii politici facta. Utinam quam plurimi libri de hac materia in Russia quotannis edantur ut omnes miserrimum suae ecclesiae statum conspiciant atque opportunis remediis eam sublevare et ad suam dignitatem eam reducere possint.

M. M. OSBM.

P. S. Troickij, Церковь и Государство въ Россіи. „Quae rationes intercedant inter ecclesiam et statum in Russia“. Moscoviae, an. 1909, in 8^o pp. 198, pret. 1. r. 25 kop.

Quaestio a *T.* in hoc opere tractata, iam medio saeculo XIX, a slavophilis imprimis agitata nostris temporibus, quibus spiritus ille libertatis per totam Russiam flare coepit, novam vim rationemque nacta

est. Necessitas summa medendi ecclesiae orthodoxae, quod negotium facillimum esse procul intuenti videatur — nam vitium totius rationis in eo positum est, quod orthodoxae ecclesiae vera ecclesiastica potestas deest—innumeras easque, quae superari vix possint difficultates offendit Unius nationis limitibus circumscripta, ecclesia russica cum statu eiusque negotiis adeo arte coniuncta est, ut regio huius a regione alterius secerni vix possit. Quapropter princeps quaestio, et in collegio illo praeparantium futurum concilium nationale ecclesiae russicae, et in coetibus clericorum ac laicorum, et in ephemeridibus etiam atque etiam tractabatur (loquimur de annis illis a 1905 usque ad 1908). Quare scriptor illud sibi proposuit, ut de rationibus quas inter statum et ecclesiam intercedere velint spectatissimi auctores rei publicae exponeret.

In exordio *T.* ipsam difficultatem quaestionis eiusque momentum ostendit ratione habita maxime potestatis imperatoris, quae ecclesiam russicam opprimit eiusque liberum agendi modum impedit (1—2).

Sequitur prima operis pars—historica, quae tribus capitibus constat. Primo capite *T.* byzantinam rationem negotiorum ecclesiae et status inter se componendorum describit arbitraturque eam valde imperfectam esse, cum ecclesia contentione trium primorum saeculorum defatigata strictissimum foedus cum statu inierit, libertatem conscientiae conculcaverit, dogma christianum ad gradum legum imperialium deduxerit, munus imperatoris in ecclesia divinum esse existimaverit. Unde systema byzantinum praebet speciem status ecclesiastici (оцрековленное государство) in quo ecclesia munere omnino servili fungitur ac libertate caret, uno verbo: „caesaropapismum“ inducit (8—27).

In capite secundo *T.* historiam necessitudinum inter ecclesiam et statum describit. Hanc historiam tres aetates complecti dicit. Primam ab initio fidei christianae usque ad autocratiam moscoviensem constitutam (saec. XVI.). Haec aetas alicui libertati ecclesiae favet, quippe cum hierarchia Russorum, imprimis metropolita, patriarchis constantinopolitanis obnoxius, privilegia ecclesiae conservet multumque auctoritate etiam apud principes valeat. Secunda aetas, quae ab initio autocratiae moscoviensis usque ad Petrum Magnum processit, iam ecclesiae libertati minime favebat. Imperatores russici in ipsa pro „caesaropapis“ se gerunt, faciunt eam ecclesiam omnino nationalem, etsi intima ecclesiae vita eiusque privilegia integra manent. Aetate tertia — a Petro Magno usque ad tempora nostra — ecclesia russica omnibus iuribus propriis privatur fungiturque ministerio auctoritatis civilis (28—63).

Caput III. opiniones scriptorum et iuris peritorum Russiae de libertate cultus atque conscientiae continet. Exponuntur opiniones Pobëdonoscevi, Stařovičii, sociorum celeberrimi illius collegii philosophico-dogmatici, quod annis 1901—1902 Petropoli celebrabatur. Pluribus exponuntur: Minskij, Rejsner, Poznyšev (p. 64—79).

Pars operis II. a scriptore theoretica vocata in IV capita dividitur. In primo tractantur celeberrimi slavophili sicuti fratres Kirëevskii, Homjakov, Aksakov ceterique auctoritatis slavicae propugnatores. Praecipue Aksakovii opinio vexatur simulque discrimen inter antiquos

et recentes slavophilos adumbratur: illi ecclesiam cum populo coniungi, committi, conecti, hi coniunctionem inter utrumque volunt esse externum inter statum ecclesiamque foedus (80—106).

Totum caput II. de Solov'evio eiusque de ecclesia et statu inter se componendis et de cultus libertate doctrina est (107—131). Quam *T.* examinat et magni philosophi de regno Dei ope ecclesiae in terris constituendo opinionem reicit (131—145).

Capite III^o Leonis Tolstoj et Dostoevski opiniones exponuntur, tanquam doctrinae Solov'evii contrariae, quorum conscientia nullos terminos ab ulla auctoritate in rebus fidei constitutos patiebatur, unde singulis hominibus absolutam secundum Evangelii praecepta evolutionem postulabant nulla hominis aut societatis humanae habita ratione (146—158).

Denique in capite IV. de iuris peritorum Russiae, maxime vero iuris canonici professorum opinionibus agitur: Suvorov, Ostroumov, Pavlov, Korkunov, Pobědonoscev, aliique tractatur (159—185).

In parte operis III. et ultima *T.* exponit et examini subicit tria de rationibus potestatis ecclesiasticae melius componendis proposita. Primum est illud, quod potestas civilis, alterum illud, quod collegium illud praeparantium res in concilio nationali tractandas, tertium, cui ipse auctor consentit, illud, quod factio libertatis publicae („народной свободы“) habet (186—198).

Inter libros, qui de ecclesia russica eiusque cum potestate civili necessitudinibus conscripti sunt, certe opus *T.* non infimum occupat locum. Videmus hic scriptorem in materia sua optime versatum eumque sincerum, qui ecclesiae suae non parcit. Ab occidentalibus hoc opus minime neglegendum est; ea enim, quae de ratione quae inter ecclesiam russicam et statum intercedit, in libro p. Palmieri „La chiesa russa“ summam exponuntur, hic uberius pertractantur, annotationibus illustrantur, pragmatismo philosophico ornantur. Ibiq; invenietur quasi totus de hac re russicorum scriptorum index. Ipse scriptor pro cultus libertate et plena ecclesiae a tutela status liberatione militat. Qua in re certe bene meruisset, si falsis professoris Tarëev opinionibus non esset imbutus.¹⁾ Nam, sicuti hic, Troickij pertinaciter negat ullo modo statum ab ecclesia sanctum fieri posse. Lex evangelii absoluta est, ergo formis naturalibus accommodari nequit, pugnancia igitur loquitur, qui de statu christiano, de matrimonio christiano aliisque huiusmodi loquitur rebus — „organica inter ecclesiam et statum vicissitudo admitti nequit“ (нельзя признавать органическаго взаимодействия p. 133), si enim admitteretur, absoluta illa religionis christiana species deformatur. Facile intellegitur tales opiniones et conceptus scriptorem nostrum ad modum in libertate religionis promovenda excedendum adducere eumque omnem auctoritatem, quae nomine Dei eam ligaret, respuere. Consequenter *T.* ecclesiae catholicae minime favet ipsumque Solov'evium male adversus catholicismum affectum fuisse praedicat.

Dr. Leonini.

¹⁾ Cnf. nostram huius operis aestimationem Slav. lit. theol. Annus VI 1910 Nr. 1. pp. 12—17.

Труды кievской духовной академии. (Trudy kievskoj duhovnoj akademii) Kiev 1908.

M. N. Skaballanovič, Таинственный храм пророка Иезекииля (De mystico Ezechielis prophetae templo), I., str. 329—362; II., 519—551.

Skaballanovič, licet se nihil admodum novi prolaturum praetendat, tamen ultimae tam magnae quam profundae visioni Ezechielis prophetae explicandae operam dedit, ut saltem hucusque collata ob oculos poneret. Quis est is, qui ideam alicuius pulchrae picturae vel aedis plane exhaurire possit, quin ullum momentum addendum restet? Sicut totum vetus testamentum etiam haec visio grandis arcani illius templi velo quodam tecta est. Ad visionem magis intellegendam inspexisse expediet *a)* propriam prophetae indolem, *b)* condiciones aevi temporales et *c)* spiritualem vitam aetatis. — I. Inprimis scire oportet, Ezechielem prophetam sacerdotem, ut videtur, ex familia Sadoc fuisse. Dein sicut nunc, etiam illis antiquis temporibus fuerunt, qui magis spirituali mundo intenti essent et qui magis visibilem adhiberent, licet quoad prophetas et gentem Hebraicam fidelem v. g. Isaiam aliosque non adeo cum *Sk.* hoc momentum extollerem. Potius dicendum videtur Ezechielem prae Isaiam futura non tam sermone quam symbolis, imaginibus grandibus praedicere. Nam etiam Ezechiel veritates abstractas v. g. ex morali cp. 18 tractat. Ezechielem artes plasticas, artem pingendi et alia quae „culturae“ nomine comprehenduntur, bene nosse, saepe apparet. Cur regem Tyri cherubim vocat nisi ob splendorem regni sui? II. Alterum quod magnum momentum adfert ad visiones intellegendas, tempus est, in quo propheta degit. De exilio Babylonico praeter Ps. 136 pauca admodum scimus. Ezechiel nunquam de exilii acerbitate verbum profert nisi forte ubi de impuro pane, scil. legali immunditia (4, 13) sermonem miscet. E contra imago exilii, prout Ezechiel eam depingit, pacem, contentum animum forte etiam prosperitatem spirat. Immo virtutes exulum prae iis, qui in patria remanserunt, extollit (14, 23). Insuper pro populo Hebraico novas condiciones desiderat, ne in statum tristem, in quo ante exilium erat, relabatur (5, 2). Iam vero adiuncta pro populo Israelitico tantopere desiderata ipsum exilium posuerat, ita ut unio cum Jerusalem eiusque templo profundior quam antea evadat. Ita exilium temporaliter non aggravans spiritui profuit. Sub his circumstantiis visio Ezechielis de novo templo ortum sumpsit. III. Ultimum momentum in ideali coaevi scriptoris vita situm est. Prout patriarchae ab Abraham incipiendo usque ad regem David Deum iuxta beneplacitum suum coluerint, describitur. Sicut David et Ezechiel templum valde dilexit, ut solamen oculorum et animae et columnam firmam. Iuxta ipsum tota in Israel perniciēs venit inde, quod templum debito honore destitutum erat (5, 11).

Ezechiel, quarta parte temporis exilii elapsa, 14. anno postquam civitas percussa est, 10. die primi mensis magnam visionem habuit (cp. 40 sq.), in spiritu spectans arcem munitam, in monte sitam, quae propius visa templi formam exhibuit. Templum hoc ab Ezechiele visum non est illud templum postea Hierosolymis aedificandum, sicut nonnulli exegetae (rabbini) arbitrati sunt (Gefernik, Klifot); nam hoc ab illo in ipso textu distinguitur (v. g. 45, 6; 48, 15, 30) et solum obiter quoad dimensiones adducitur. Positum est in plaga australi, quae est lucis et caloris. Talis aedes in omnibus partibus accurate descripta et numeris comprehensa non potest describi nisi ab eo, qui architecturae peritus est. Angelus eum ducens ac difficilem captu rem explanans, quae ad dimidiam partem a sensibus remota est, etiam ei intellectum rei conferebat; denique admonet, ut quae

viderit, domui Israel annuntiet, i. e. ipsum munere prophetae functurum. — Ezechiel quoad modum describendi ab extra ad intra pergit, in hoc a Moise aliisque auctoribus librorum regum et paraleipomenon discedens. Hinc primum non „domum“ sed murum circumiacentem (*περιβολος*) describit. — Iuxta Ezechielem in hac visione primum, quo Deus eiusque „civitas“ in terra homini se ostendit, sphaera est, seu donum illud (gratia), quo Deus ab omni re praeter se distinguitur, ita ut ipsum cum nulla re commisceri liceat. Quae paries maiorem mensuram accipit, cum Deum a mundo separet. Hic agitur de mensura (cubitus), cuius diversis temporibus alia et alia longitudo erat, item apud diversas gentes. Apud Herodotum (I., 178) de cubito regis, quo Babylone utebantur, sermo est, qui solito longior erat, alter maior c. 555^{mm}, alter minor 495 (Benzinger, *Archaeolog.* § 26). Aegypti minor 450^{mm}, maior cubitus 525—528 longitudinis erat. Propheta dein ad ipsam portam describendam aggreditur, quae per ipsam ingredienti iam aliquo modo supernaturali aedificio assimilatur. Quare etiam copiosius 9 vers. (40, 6—15) quam ille murus primus (40, 5) describitur. Murus exterior et interior tres numerabat portas, iuxta symbolicum numerum, quae ad tres plagas vergebant, solum ad plagam tempestatum et mali nulla spectabat. Ex his tribus unam propheta describit, quae ad orientem, ortum lucis, ducebat, hincque praecipua ex iis est. Per eam Jahve (43, 4) ingreditur. In ceteris dein describendis quaedam nova obiter tanguntur. Angelus per gradus dein ad orientalem portam ascendit; septem numero sunt, licet non hic, sed in septentrionali addantur. Gradibus vero ad templum ascendebatur, eo quod templum gradatim in monte surgebat. Huius primi ascensus dimensiones tam accurate et perfecte in illo Salomonico non inveniebantur. — Sequentes versus c. 10 de ipsa porta eiusque partibus agunt; de his potissimum sermo instituitur. Ex tribus partibus constant, quae sunt limen, thalami, vestibulum; dein de ornamentis ipsius, fenestris et pictura palmarum agitur. *Sk.* obscuros hos versus, qui fere solum de numeris agunt, docte explicat, adducendo potissimum Vulgatam, LXX ac Peschito, necnon textum Graecum et Hebraicum. Cuius scire interest, ibi relegat.

D. I. Bogdaševskij. O hristianskoj blagotvoritelnosti (De beneficentia christiana). I., pag. 24—38.

Exemplum Christi D., qui pro nobis factus est reconciliatio, et lex veritatis quam ipse perfecit, postulant, ut nos quoque proximis misericordiam praestemus. De effectibus, quos beneficentia producit, saepe s. scriptura loquitur, v. c. s. Paulus 2. Cor. 9, 6: „Qui parce seminat . . .“ 9, 12—14. Caritas christiana virtutem et efficaciam evangelii ostendit, non quaerit gloriam suam. Ipsa optime et sola quaestionem socialem solvit, differentias extremas inter divites et pauperes solvendo.

Evangelium enim docet, divites a Deo ut administratores divitiarum esse positos; utique libertate gaudentes possunt sed non coguntur benefacere. Ius vero in eorum bona pauperibus competere nullum. — Caritatis porro est, proximum ad laborem inducere; nam magis ei prodest, si laborem ei praestas quam alimenta, et haec iterum ei libentius dabis quam pecuniam, quae plurimis tentatio est; si enim de ipsa disponere non possent, non pauperes essent. Neque permittendum est, ut singuli sibi mendicando provideant sed hoc munus rei publicae demandandum est. — Iam aevo Apostolico caritas exercebatur. Claudio regnante Antiochenos Iudaeis-Christianis Ierusalem habitantibus pecunia subvenisse

legimus. Antiquitus ecclesia fere sola caritatem exercebat, et cum motivum benignitatis ex ipsa religione desumptum sit, oportet, ecclesia et res publica hac in re optime conveniant. Utique optandum, ne ministri ecclesiae sua lucra quaerant. — Socialis democratia, prout nunc est, contra caritatem christianam pugnat, cum ipsi ius ad bona divitum praetendant, et eleemosynis in assequendo fine suo perverso solum impediuntur.

P. P. Kudrjarcev, Absolutismus und Relativismus? (Absolutismus an Relativismus?) I., pag. 38—92, 162—207.

Exegetarum pars in tentationibus Christi D. vere tentationes Christi Dei agnoscunt, pars altera, quibus *K.* accedit, tentationes generis humani Christo D. ostensas esse putant, ipsum Dominum de huius viis dolorem sensisse, seque in servitio Divino immobilem vidisse. Utique omnibus exploratum est, Christum D. non intus tentatum fuisse. Vita hominis iuxta s. scripturam ita describitur, ut Deum pro ipsa centrum esse necesse sit. Deus enim est ens realissimum, perfectissimum, et (apoc. 21, 6), principium et finis totius mundi (Eccl. 1, 14; 12, 13). Ipse est *πλήρωμα τῶν ἀγαθῶν*, hinc ei amor, honor, servitium debetur. *K.* in tentationibus Christi D. absolutismum expressum videt, simul et approbatum, relativismo reiecto. Id ipsum quem ad modum tum in vita practica, tum in philosophia totius generis humani invenitur, summa laboris a *K.* exarati est. Quid ergo auctori absolutismus, quid relativismus est? Sub utroque bonum intellegitur designatum, hinc bonum relativi valoris, illinc absoluti valoris. Quod ex noto illo e Xenophonte (Memor. l. II. c. I., 21—33), quod Prodicos primus in suis aetatibus vitae“ (*ῥῆμαι*) composuit, de Hercule in bivio statuto, allatum, rem declarat. Prior femina omnia ad voluptatem ut voluptatem refert; altera voluptatem in tantum respicit, in quantum in virtute fundatur. — Etiam Russica musa hanc duplicem hominum classem describit. Imago quaedam a Vasnevov picta Petrohradii in musaeo Alexandri III. invenitur, victorem in bivio exhibens, opus tam eximiæ artis, ut qui id semel contemplatus sit, amplius non obliviscatur. Dici potest altera vita theocentrica, altera egocentrica, quae iterum vel in concupiscentia, vel in superbia fundata, suum ego ad bonum (esse) absolutum (absoluti valoris) effert (1. Tim. 3, 6; 2. Thes. 2, 3—4). Quaevis forma servitii, qua creaturae magis quam creatori servitur, patriae verae contrarie opponitur. Quae *K.* de illo Genesis „Inimicitias ponam inter te et mulierem . . .“ affert, eum de toto genere humano dicto sensu interpretans, cum adeo clare de Salvatore eiusque matre sermo sit, vix analogo quodam sensu admitti posse videntur. Solum iustum prae iniusto beatum esse, auctor ex Platone demonstrat. „De re publica“ (opera ed. a prof. Karpov, ed. 2. t. III. p. 102—104); „Kritik der prakt. Vernunft“ ad finem (ed. a Sokolov, 1897, p. 183—184) demonstratur, vitae valorem competere in tantum, in quantum veritati servit. Similiter Sophocles in dramate „Antigone“ inscripto valorem absolutum aeternarum legum affirmat. Christiani vero in obiecto fidei illud, cui absolutus valor competit, inveniunt (Hebr. 11, 33—34; 36—8). Id Russica etiam litteratura adstruit. Turgenev rationem, cur Don-Quichot ideis suis immobiliter inservierit, in eius „fide in aliquod aeternum (absolutum) . . .“ „in veritate, quae est extra unumquemque“ invenit (pg. 68). His dictis qualitates determinare possumus eorum, qui viam virtutis ingrediuntur in eaque procedunt, Sunt hae: a) fides immobilis id cui absolutus valor inest, existere; b) benevolentia, amor eius quod est absolutum bonum; c) strenuus labor id ipsum in vita assequendi. Moralitati porro absolutus valor competit, quacum religio intime conexas

est, in qua summum exemplar omnium bonorum Deus colitur. Quod ex Platonis „πολιτεία“ et Solov'evii „Opravdanie dobra“ (iustificatio boni) declaratur. Quae vero *K.* de precibus ad Deum avertendorum malorum gratia fuis disserit, quibus ratio religionis non competat, sane recte intellegas, oportet. Quae in Platonis „Euthyphron“ hac de re leguntur, non continuo approbanda sunt. Idem de morali vita sine cognitione veri Dei (cf. Act. Apost. 17, 23), sitne, an qualis sit, dixeris. In hoc moralitas et religio conveniunt, quod ambae ad bonum absoluti valoris referuntur. Sicut duplex bonum, absolutum, et relativum, ita duplex distinguitur vita. Altera, vita absoluta est in fide eius, quod absoluti est valoris; altera illarum, relativa dicta, id ipsum negat, sectando commoda tantum terrena et extollendo „ego“ proprium. „Ὅδοι δύο εἰσὶ, μία τῆς ζωῆς καὶ μία τοῦ θανάτου“ — tertia vero non datur, cum ad bonum absolutum duplex tantum sit relatio, aut affirmatur, aut negatur. Inter vitam et philosophiam mutua est conexio, cum una ex praecipuis quaestionibus philosophiae haec sit, bonum absolutum an detur? Illa interna dependentia et mutua conexio vitam inter et philosophiam demonstratur ex operibus Fichte, Paulsen, Linickij („Idealismus et realismus“). Verum quidem est, in singulis discrepare posse philosophiam a vita tum propter res externas, tum quod passiones praedominantur. Sed generatim sibi invicem respondent, praesertim quodsi totas gentes, consideraveris. In tota philosophiae historia duplex hoc systema, absolutismus, ut terminis a nobis declaratis utamur, et relativismus (saepe positivismus dictus) sibi opponitur. Vide Josef Petzoldt qui sectator relativismi est vel positivista in opere edito (Leipzig 1906): „Das Weltproblem von positivistischem Standpunkte aus“.

Sunt momenta temporis, quibus pugna inter absolutismum et relativismum, quae semper erat, propter adiuncta peculiaria illustrior et vehementior revadit. Eiusmodi discrimen temporis Athenis 5. saeculo ante Christum videmus. Athenae ea aetate in politicis, religiosis et philosophicis Graeciae dominabantur. Huc undique philosophi confluebant vel saltem sedem musarum frequentabant. Mythis religiosis, sicut eas Homerus et Hesiodus docebant, fides non amplius adhibebatur, saltem non a doctis; acies critices, quos Xenophanes praecipat, fabulas istas evertibat. Ea aetate inter philosophos maxime Protagoras florebat, qui omnem cognitionem ad sensationem reduxit, vel ad minus perceptionem universalis denegabat. Gorgias vero omnino cognitionem veri denegabat. Hi eorumque discipuli relativismum extulerunt; nam ubi non est veritas, seu cognitio universalis, nec altior finis vitae existit, nec ratio boni seu iuris habetur, quae ab omnibus admitatur, sed quisque suam sententiam sequitur. Sophistae posteriores (Kallikles) legem et naturam seu potius postulata legis et naturae distinxerunt, finemque huius vitae in explendis omnibus postulatis naturae ponebant. Principium et fons legum non est in minore numero divitum, sed in maiore numero pauperum, qui quae sibi proderant, laudabant, noxia vero sibi vituperabant. Hinc legem ex egoismo pauperum profluxisse, divitesque ipsa non obligari constat. — Sophistae autem ab initio suos nacti sunt adversarios. Huius ratio est, quod Athenis res innovare, summamque plebi tribuere volebant. Quisquis paternas traditiones sectabatur, sophistarum studia oppugnabat. Ex his Aristophanes primas partes obtinet, eiusque asseclae, qui vero in Socrate caput sophistarum videbant, et Cleonem ducem daemagogorum habebant. Utrumque Aristophanes carpsit. Sed Socrates princeps est eorum, qui absolutismum propugnabant. Contra Protagoram statuit, cognitionem nostram esse intellectivam nec solum sensum aliquem

altiore. Contra „physiologos“ dictos docet, nos non esse idem cum natura (pantheismum), sed esse vere obligatos ab altiore principio, esse culpae subnoxios (cf. Arist. Metaph. I., 6). Simile simili cognosci; universale eo percipi, quod particulare, accidentale, individuale omittatur (*ἐπαγωγή*, inductio Socratica). „Animadvertis“ ita Socrates apud Aristodemum „in te rationale aliquid esse (*τι φρόνημον*), et alibi nihil rationale esse putas?“ Socrates denique ab utraque parte, et Aristophanis et sophistarum damnatus est. Platon systema Socratis magistri sui perfecit, absolvit colligendo systemata priora philosophica in harmoniam. Laas (Idealismus und Positivismus) systema Platonis ad esse absolutum tendere affirmat idque eius radicem esse („Drang zum Unbedingten, Absoluten“). „Omnis cognitio scientifica et omnis activitas moralis in principiis absolutis fundatur, immo in una sola idea seu principio, quod ex altiore principio deduci non potest neque debet“ (l. c. S. 100). Utique semper schola opposita, relativismum propugnans habebatur, praesertim tempore post Aristotelem, ex quibus Stoici et Epicurei nominandi sunt. Per scholam Stoicorum empirismus antiquus in aetatem christianam transiit (Tertullian.), postea in Anglia potissimum florebat Roger Bacon XIII. saec., Wil. Occam XIV. saec., Fr. Bacon, Locke, Berceley, Hume, Mill, Spencer. Modo in Germania non in Anglia empirismus floret. Lange, Laas, Richardus Avenarius et Ernestus Mach („Erkenntnis u. Irrthum“), omnes hi empiriocriticismum copiose propugnant. Illud in Machii et Avenarii operibus a modernis laudatur, eos nihil absoluti existere demonstrasse. Utique operam perdidierunt, occidere volentes Deum, ut homines a religione et metaphysica liberarent. Plures K. philosophos modernos adfert, qui hos duos tum quoad ingenium tum quoad novitatem doctrinae maxime extollunt et inter primos huius temporis philosophos ponunt. Hinc factum est, ut systema empiriocriticismi modo dominetur. Quod meritum triste est horum duorum, empiriocriticismum extremis consequentiis ad ultimum terminum perduxisse.

V. D. Popov, Apostolskij simbol (De symbolo Apostolico). I., pag. 207—224, 378—404.

Symbolum apostolicum et a catholicis et a lutheranis summo habetur honore; discrimina textus minoris sunt momenti. Protestantes iegunt pro: „ad inferos“ „ad infera“, omittunt „credo“ ante verba: „sanctam ecclesiam“, addunt „et“ ante „vitam aeternam“ et concludunt: „Amen“. Primus de symbolo Apostolico Tyrannius Rufinus (370—410) sacerdos Aquileiensis testimonium reliquit. Scribens commentarium de symbolo, ipsum ad apostolos ut auctores reduxit tribuens ei dignitatem apostolicam, scilicet ipsos apostolos, priusquam ad gentes discederent, in unum convenisse, et symbolum ut normam praedicationis suae communem omnes una composuisse. Rufinus de symbolo loquens, ipsum cum muro comparat sed quo longe emineat, cum sit ex lapidibus vivis et verbis Christi Domini compositum. Dein ipsum cum tessera seu signo bellico electo ad dignoscendum hostes a suis componit indeque, ut occultetur, scripto consignari non debuisse demonstrat. Huius symboli verus et genuinus sensus in ecclesia Romana certe servatus est; symbolum ecclesiae Aquileiensis adiecta quaedam exhibet. Rufini commentarius iuxta Wiegand (Die Stellung des apost. Symbols im kirchlichen Leben des Mittelalters. Symbol und Katechumenat. Leipzig 1899) lapis angularis in historia huius symboli evasit. Post Rufinum apostolicam originem symboli defenderunt: s. Hieronymus, Rom. Pontifices scil. Caelestinus I.

(422—431), Sixtus III. (431—440), Leo I. (440—461); dein Venantius Fortunatus, episc. Pictaviensis († 660). Clare ortum apostolicum symboli „Explanatio symboli“ exhibet, quae de „collatione“, sicut Rufinus, apostolorum loquitur et probabilius s. Augustino et Maximo Turonensi adscribitur. Falso a Rufino *σύμβολον* et *συμβολή* sicut collatum et collatio synonyme usurpata sunt et ita apostolos in unum convenisse dictum est. Auctor „De temporibus sermonum“, quem s. Augustinum fuisse negant, singulis 12 apostolis distincte articulos fidei adscribit. Item s. Bernardus Clar. originem symboli ad apostolos distinctis articulis fidei pro singulis apostolis refert, quod passim medio aevo factum est. Primum tempore sic dictae reformationis dubium de authentica origine symboli moverunt et quidem Laurentius Valla et Erasmus. Quorum prior in symbolo hoc editionem diversam symboli Nicaeno-Constant. cognovisse se affirmat, prior critice processit ortumque negavit apostolicum, licet argumentum eius s. scripturae responderet. Ex quo tempore copiosius pro authentia et contra ipsam scriptum est; eam defenderunt Zahn, Kremer, Kattenbusch aliique; oppugnabant Harnack etc. Si quaeritur, utrum Rufinus pro vera origine symboli aliquod testimonium sufficiens adferat, potius negative respondendum est (ita *P.*). Nam „maiores tradiderunt“ adhuc ulterius probandum est. Sed verum est, licet *P.* neget, id quod Rufinus pro se allegat, ecclesiam Romanam symbola genuine et vere custodisse. Quod argumentum Rufinus pro silentio antiquae traditionis refert, symbolo rationem tesseræ convenisse, cum *P.* obici recte potest, apostolos debuisse rem adeo gravem scripto concipere et in traditione sequenti symbolum saltem existere debuisse. Sed neque in s. scripturis neque in monumentis trium priorum saeculorum hoc invenies. Quod apostolis singulis distincte singuli articuli fidei ortum debeant, ad confusionem *σύμβολον* cum *συμβολή* a Rufino iam facta a *P.* aliisque reducitur. Ergo, quis dicet, Rufinum mentitum esse? Ipsum de suo fecisse symbolum, atque ut ab apostolis traditum edidisse? Dein admittendum est, omnes ipsi credidisse (iam pontifices Romanos paulo post Rufinum viventes, supra allatos) quin contra eiusmodi commentum ullus scripserit? Quod certe reiциendum est. Hinc certo concluditur a Rufino symbolum in aliqua sibi suisque lectoribus nota formula fundatum esse, de qua ultra investigandum nobis est. Ad hoc symbola ecclesiarum diversarum sub Rufini temporibus ad nos allata perscrutanda sunt.

Agitur deinde de terminis „symbolum“ et „regula fidei“ in traditione; de eius origine ex confessione fidei in baptismo et in s. scripturis (Act. apost. VIII., 29—40; 1. Tim. VI., 12).

Primum de valore termini symboli in monumentis ecclesiasticis etiam in s. scriptura (Act. apost. VIII., 29—40; 1. Tim 6, 12) disseritur; dein de origine symboli a Rufino traditi aliisque postea receptis sermo instituitur.

Basiliius Myšcyn, Устройство христианской церкви въ первые два вѣка. (Ustrojstvo hristianskoj cerkvi v pervye dva veka.) **Quae forma christianae ecclesiae fuerit duobus primis saeculis.** Moscovia. 1909. VIII. + 475. rubl. 3.

E quaestionibus, quae ad ecclesiae historiam eiusque constitutionem spectant, una ex difficillimis atque intricatissimis illa est, quae organizationis ecclesiasticae primordia enarrat. Quam ob rationem iam nemini singulare videri debet, quod auctores de hac materia disputantes, in diversas abeunt partes, praesertim cum documenta, quae

nobis ecclesiae primaevae fata enarrant, non multa inveniantur cumque critici, tum catholici tum protestantes, non omnes de earum genuinitate atque chronologia conveniant.

Diverso tamen modo atque diversa methodo tractari solet quaestio laudata a dogmaticis atque historicis. Historicus enim organizationem christianam secundum generalia principia historica, secundum quae aliarum organizationum historiam conscribit, tractare potest, immo et tenetur. — Institui nempe potest quaestio a historico, num Christus societatem, quam fundaverit, mediis aptis adornaverit, utrum hierarchiam, a populo vulgari diversam instituerit necne; deinde stabilita hierarchiae a Deo-homine institutione ulterior quaestio poni potest, num hierarchicorum graduum: diaconatus, presbyteratus, episcopatus, qui nunc existunt, discrimen ad immediatam Christi voluntatem referri debeat.

Cum critici etiam protestantes alii ut probabile alii ut certum teneant, diaconos et presbyteros primis ecclesiae exordiis exstitisse et inter se diversos fuisse, quaestio de horum graduum existentia et differentia non magnas creat difficultates. — Verum gravissima oritur difficultas, cum de episcopatus origine eiusque divina institutione inquiritur. Quam difficultatem peritus hac in re de Dunin-Borkowski hisce proponit: „Über den Diakonen und dem Presbyterium (secundum s. Ignatium) steht an der Spitze der Gemeinde ein einzelner Bischof. Aus den früheren Quellen wird sich, wenigstens solange man sie isoliert beobachtet, ein Unterschied der Presbyter und Episkopen kaum mit Gewißheit erkennen lassen. Die großen Briefe des hl. Paulus enthalten nur spärliche und sehr allgemeine Äußerungen über Vorsteher in den christlichen Gemeinden. Es erhebt sich nun die wichtige Frage, ob man aus diesem fast vollständigen Schweigen des Apostels über eine Gemeindeleitung auf deren Existenz schließen darf. — Die Pastoralbriefe, die Apostelgeschichte und die übrigen Schriften des Neuen Testaments, mit Ausnahme der Evangelien, bieten schon mehr Nachrichten über Kirchenvorsteher. Hier erwächst die schwere Aufgabe, diese Berichte mit den älteren Paulinischen einerseits und andererseits mit den Angaben der Didache des Hirten des Klemensbriefes, des Schreibens Polykarps an die Philipper und der Ignatianen zu vergleichen. In der Didache wird der Hauptnachdruck auf die Geistbegabten als die führenden Personen in den Gemeinden gelegt; die Episkopen und Diakonen werden nur einmal, allem Anschein nach als neue Einrichtungen erwähnt. An einige Äußerungen des Klemensbriefes und des Hirten des Hermas knüpft sich wieder die Kontroverse, ob hier Episkopen und Presbyter irgendwie unterschieden sind, und ob der monarchische Episkopat wenigstens angedeutet wird; ähnliche Fragen ruft Polykarps Brief hervor“. (Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats von Stan. v. Dunin-Borkowski S. J., Freiburg im Breisgau. 1900. S. 2.)

E Russis primus A. Lebedev, bene de historia ecclesiastica Russiae meritis, in suo opere: Духовенство древне-вселенской церкви (отъ времяя апостолскихъ до IX. в.) Москва, 1905. de prima ecclesiae constitutione disceptavit. Verum Lebedev ut historicus potius

brevi manu quaestionem nostram tetigit. — Alter, qui iam ex professo rem tractavit, est V. Myšcyn, qui a. 1909. opus citatum pro doctoratus laurea obtinenda edidit. *M.* in dicto opere praeprimis de hierarchiae, ac maxime de episcopatus origine (c. I.—VI.) deque huius hierarchiae ad instituta iudaica et gentilia relatione (c. VII.) quaerit.

Ut autem ad finem propositum perveniat, methodo historico-critica procedit, quae scilicet in critica documentorum analysi consistit. Quaerit de documentorum chronologia et originis loco eorumque ad eventus historicos contemporaneos aliaque documenta relativi temporis nexu.

1. Primi christiani efformabant societates non democraticas sed theocraticas, in quibus licet omnes ob Spiritus St. inhabitationem in Ecclesiam influxum habuerint, non omnes tamen eiusdem auctoritatis fuerunt, sed Apostoli specialem a Deo missionem specialesque praerogativas acceperunt (p. 94.). Ad apostolatam autem stricte dictum secundum auctorem requiruntur: a) immediata a Christo Domino legatio et missio (p. 94—96), b) unio atque conexio Evangelii Apostolorum cum Christi doctrina (p. 97).

Quod traditionis principium nempe unio atque conexio doctrinae christianae cum Christi Evangelio tum verae fidei discernendae criterium apud posteros exstitit tum ad societatem christianam organizandam multum contulit (p. 98). — Dein Apostoli, munus sibi a J. Christo commissum explentes, non solum evangelizabant, sed etiam ecclesiam organizabant, sacramenta administrabant, praesertim augustissimum Eucharistiae Sacramentum conficiebant, atque societatis christianae iudices et rectores exstabant (p. 99). Quare Apostoli non societatis christianae legati et repraesentantes fuerunt, sed a Christo electi (etiam Paulus) eius locum tenebant eiusque legati erant. Atamen, licet ipsorum auctoritas absoluta fuerit, minime Apostoli se solos iudices reputabant, sed cum societate christiana consilia conferebant. Societas enim christiana ut traditionis testis, licet Apostoli in rebus fidei specialem influxum et auctoritatem habuerint, Apostolorum tamen agendi modum atque fidei doctrinam diiudicare atque inquirere potuit (p. 18 squ.). — Quae Apostoli ut Christi voluntatem proclamabant, fideles obsequi tenebantur — quae vero ut sua ipsorum consilia proponebant, quivis e christianis, quod placuit, eligere potuit (p. 101, 104). — Imperare Apostoli non potuerunt nisi societatibus a se fundatis (p. 105). — In apostolatus formationem, qui Christi positiva voluntate institutus est, etiam Judaeorum influxum, apud quos Apostoli ultimis temporibus exsistebant, *M.* admittendum esse censet (p. 110).

2. Prophetae non solum praedicabant, sed etiam sacramenta administrabant et ecclesiam regebant (p. 112 squ.), didascali vero, quae tradita erant, explicabant (p. 119). At cum Apostoli essent et prophetae et didascali, quo Apostoli, prophetae et didascali inter se differant, e documentis ecclesiasticis clarum non est (p. 116).

3. Quod ulteriorem ecclesiae formationem spectat, *M.* rem chronologicè et methodo inductiva tractat. Incipit ab ecclesiae ierusalemitanæ organizatione, in qua primis eius temporibus nulla formalis organizatio

aderat. Eam soli duodecim Apostoli regebant. Verum tempore procedente cum fidelium numerus crevisset, et christianorum e gentilibus conversorum oppositio quaedam adversus Judaeo-christianos exorta esset, ab Apostolis septem diaconi instituti sunt, quorum originem non sine quadam contradictione et e judaico influxu (p. 26) et ex hellenistico (p. 36) *M.* pependisse dicit. Qui diaconi non communium trapezarum, sed Eucharistiae atque verbi divini ministri erant (p. 25—27), ideoque et ipsorum institutio e voluntate Divina pendere dicenda est. Nexus autem diaconatus ecclesiastici cum illis septem, quamquam ipsi et aliis praerogativis ornati erant, quam maximus est: aequales enim in utrisque functiones aequalisque in organizatione ecclesiastica condicio atque status (p. 28).

4. Presbyteratus christianus et nomine et condicione sua in ecclesia judaici presbyteratus imitatio et accommodatio fuit; — quae accommodatio paulatim atque pedetentim locum habuit. Etsi fortasse dies nativitatis eius nemini notus fuerit, sed primus tamen annus, in quo ipse in historia apostolica apparet, est annus (circiter) 44. Presbyteri simul cum Apostolis ut eorum coadiutores ab ipsisque instituti Ecclesiam jerusalemitanam regebant (p. 74). Quod testimonium de presbyteris in Ecclesia jerusalemitana cum ab Actuum auctore, Pauli coadiutore, procedat, ideo de eius veracitate dubium minime esse potest. — Qui tamen presbyteratus, prout Ecclesiae necessitas postulabat, paulatim evolvebatur; immo ut probabile admittit auctor, presbyteros initio ordinatos non fuisse (p. 39, 41, 43), quod et textus slavicus videtur innuere, cum terminum „presbyter“ (Act. & Gal.) verbo „старцевъ“ vertat, dum aliarum epistolarum presbyteros iam proprie dictos sacerdotes intellegit (p. 43). Dein cum numerus christianorum auctus est, presbyteri ab apostolis instituti fideles regebant et Eucharistiam conficiebant (p. 45—47).

5. Eodem tempore simul cum presbyteris ob eadem adiuncta Jacobus, qui ad duodecim non pertinebat, ob cum Christo consanguinitatem, specialem auctoritatem in Ecclesia jerusalemitana nactus est eamque cum presbyterio ut monarchicus episcopus regebat (p. 74, 60, 67, 45 squ.).

6. Tempore ab anno 52—63 iam antistites apparent, (1. Tess.: *προϊστάμενοι*; 1. Cor. XII. *κνβερονήσεις*, Rom. XII. *προϊστάμενοι* Ephes. *ποιμένες*, ad Philippenses adducuntur *ἐπίσκοποι καὶ διάκονοι* ab apostolo electi (p. 122 squ.), qui pascere gregem eique fidem divinam promulgare ecclesiamque Christi per salutaria praecepta regere debent (p. 156—162). Admonitiones, quas Paulus ad Thessalonicenses et Corinthios dirigit, ut suos antistites colant eisque oboediant, ne minimum quidem dubium relinquunt antistitum munus ab apostoli dispensatione atque voluntate ortum esse (p. 127). Si vero ulterius ex Pauli epistolis pastoralibus, ad Rom., Ephes., Phil., Act. XX. de antistitum munere quaeratur, iam certum est ideam pascendi episcoporum officio competentem ab ipsis Apostolis derivari (p. 147—160).

7. Cum ex documentis christianis episcopus post annum 63. existisse certum sit, iam de episcopatus ad presbyteratum relatione

atque distinctione *M.* tum per totum librum, ubi singula documenta analysi subicit, tum separata paragrapho de episcoporum a presbyteris distinctione disputat (p. 372—404); — quam distinctionem iam saeculo I. locum habuisse asserit.

Secundum auctorem:

a) presbyter apparet in Palaestina circiter an. 44.; extra Palaestinam circa 66. annum (p. 154).

b) Si documenta I. saeculi, immo et II. saeculi inspiciuntur, termini (non res ipsa): „ἐπίσκοπος“ et „πρεσβύτερος“ indeterminati sunt (p. 153, 373—375); quapropter *M.*, textibus, in quibus hi termini occurrunt, perlustratis, concludit: inde, quod episcopi etiam presbyteri nomen gerebant, minime efficitur, omnes presbyteros fuisse etiam episcopos, qui hierarchiae gradu ab episcopis non differrent (p. 379).

c) Cum vero Actuum scriptor antistites ephesios et episcopos et presbyteros appellat, non eo ipso putandus est dixisse omnes presbyteros etiam episcopali caractere insignitos fuisse. Etenim ex eo, quod in re publica Romana idem et senator et magistratus appellatur, non sequitur omnes senatores fuisse etiam magistratus; nam magistratus fuit eodem tempore senator, sed non quivis senator eo ipso magistratus fuit (p. 375 sq.).

d) Argumenta quoque, quae ex historicis monumentis petuntur, id solum demonstrant, episcopos etiam presbyterorum nomine insignitos esse, non vero presbyteros eo ipso episcopos fuisse (p. 376-379).

e) Cum et critici recentiores consentiant initio saeculi II. in syriacis et asiaticis ecclesiis episcopatum a presbyteratu omnino distinctum extitisse, — et ad eius formationem multa decennia necessaria sint, inde *M.* concludit: iam 1^o saeculo in Oriente episcopatum a presbyteratu diversum adfuisse. De pugna enim, quae necessario orta esset, si aliter res se habuisset documenta christiana ne minimum indicium nobis perhibent (p. 380 sq.).

f) Immo et positiva adsunt e saeculo I^o. argumenta, quae episcopatus et presbyteratus discrimen probant (p. 380—385) Firmissimum argumentum praebent nobis quae in Actibus et I. Tim. perhibentur (p. 380 sq.).

8. *M.* episcopatum monarchicum iam saec. I. perfecte evolutum esse existimat (p. 405—411). Argumenta enim, quae in contrarium afferuntur, non sunt firma. Etenim silentium apud Ignatium et Clementem R. de R. episcopo monarchico, itemque apud Polycarpum de Philippensium episcopo non magnam praebet difficultatem (p. 208 sqq., 308 sqq., 322 sq.); optimeque apud Ignatium ex ipso epistolae ad Romanos tenore et apud Clementem et Polycarpum ex terminologiae ambiguitate explicatur (p. 406). Hermas vero ostendi, quam periculosum sit ex usu terminorum „πρεσβύτεροι, προϊστάμενοι, προηγούμενοι“ in plurali adhibitorum de episcoporum collegio coniecturam facere (p. 337). Didache, licet de pluribus episcopis loquatur, cum tamen ad plures ecclesias destinata sit, non potest ut argumentum contra episcopatum monarchicum afferri. Dein licet Ignatius et Constitutiones de pluribus episcopis loquantur, tamen nemini dubium esse potest

quin et Ignatius et Constitutiones episcopatum monarchicum admiserint (p. 281 nota). — Act. XX. 17, 18, et Philem. I. 1, de diversarum regionum episcopis intellegenda videntur esse (p. 406, 149 sq.).

Adsunt et positiva e saec. I. argumenta, quibus episcopatum monarchicum inde a prima ecclesia adfuisse efficitur. Nam iam apud s. Paulum indicia quaedam sunt: in primitiva ecclesia chr. etsi plures fuissent presbyteri, personas singulares peculiari officio pastoralis ornatos exstitisse. Huiusmodi fuit: *σὺζυγος*, Phil. IV. 3; Archippus in ecclesia Colossensi, Col. IV. 17 (p. 144 sq.); Corinthiacus Stephanus (p. 132, 128). Dein continuus usus in epistolis pastoralibus in singulari termini: *ἐπίσκοπος*, dum termini *πρεσβύτεροι* et *διάκονοι* in plurali adhibentur, optime episc. monarchico explicatur (p. 236 sq., cf. 256, 260 sq.; 407).

Quae argumenta, licet ex se ad assentiendum non cogant, vim tamen ac robur ex comparatione cum Ignatii epistolis accipiunt, quae episc. monarchicum, initio saec. II. extitisse argumento sunt. Etenim si episcopi monarchici origo ex unius presbyteri super alios elevatione ac iurium cum aliis presbyteris communium usurpatione repetitur, pugnam adfuisse necesse est, quae, si fuisset, documentis innotesceret. Cuius tamen pugnae nec apud Ignatium nec in prioribus documentis ullum vestigium inveniri potest. Insuper Ignatius episcopatum monarchicum ut aliquid constans, universale, antiquum exhibet: immo ipsa eius dogmatica in intimo nexu cum episcopatu monarchico esse cernitur (p. 407 sqq.) Quare iam diu ante Ignatium episcopatus monarchici institutionem absolutam esse dicendum est (p. 408, 146).

9. In ultimo capite *M.* de ecclesiae christianae autonomia disputat, atque ecclesiam numquam „suprematiam“ proprie dictam habuisse demonstrat. Quod gentilium et judaicarum institutionum in ecclesiam influxum attinet, solus exterior, si documenta christiana atque ipsarum institutionum natura spectatur, admittendus est.

10. Quaedam de ipsius auctoris methodo. Qui de primae ecclesiae formatione et temperatione quaerit, duplici ratione procedere potest. Vel enim scriptorum, qui hac de quaestione egerunt, opiniones recensentur atque quid solidi et certi sit, statuitur; vel singula documenta analysi subiciuntur ex iisque conclusio deducitur. Auctor altera via, utpote securiore, procedit. Singulis documentis perlustratis, iisque et inter se et cum historicis relativi temporis eventibus, comparatis, suam sententiam statuit.

Alterum, quod auctori laudi venit, illud est, quod ipse secus atque alii Russorum theologi, maxime dogmatici, posito hierarchicorum graduum substantiam esse a Christo Jesu institutam, progressum quandam atque externarum rerum ad ipsos momentum admittere non dubitat.

Praeterea *M.* aliorum scriptorum, qui de prima ecclesiae forma scripserunt, opera perlustravit eorumque studiis atque conclusionibus usus est.

11. Quaedam tamen animadvertenda videntur. Secundum *M.* in primis ecclesiae christianae exordiis, presbyteri (seniores) etiam non ordinati in disciplina tuenda, in evangelizatione atque in custodienda

fide apostolorum vices gerebant (p. 45). Confusa quoque sunt, quae *M. Jac. V.* 11, 15. explicans dicit (p. 61—67).

Praeterea opera catholicorum, maxime Dunin-Borkowskii, facile hac in re principis, inspicere neglexit. Nominatus enim scriptor non solum opus proprium et plurimas commentationes de primae ecclesiae forma composuit (cf. *Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopates*, Freiburg im B. 1900; *Die Interpretation der wichtigsten Texte zur Verfassungsgeschichte der alten Kirche*, *Z. f. kath. Theol.* 1903, I., II.; *Studien zur ältesten Litteratur über den Ursprung des Episkopats*, *Hist. Jahrb.* 1900, S. 221—224) sed etiam methodum atque praecepta, quae in ecclesiasticae formae primordiis enarrandis servanda essent ducibus: Rubino, Mommsen, Herzog, Ed. Meyer, Willems, proposuit atque explicavit (cf. *Methodologische Vorfragen zur urchristlichen Verfassungsgeschichte* *Z. f. kath. Theol.*, 1904, II., 1905, I. — *Die Methode bei Erforschung alter Institutionen* (*Z. f. k. Th.* 1905, II.).

M. s. Ignatium nec de episcoporum successione, nec de nexu, quo omnes ecclesiae constringantur, quidquam loqui existimat. Qua ratione id dicere potuerit, minime intellegitur saltem de episcoporum successione (cf. 304). Idem argumentationes Ignatianas non tam theologicis, quam polemicis, immo et privati rationibus niti statuit (p. 313).

Eius sententia ordinaria ecclesiae potestas i. e. hierarchia a charismatis eo differebat, quod illa (hierarchia) necessaria, haec (charismata) libera erant; — quare fideles cum charismatica potestate, prout placuit, consentire vel dissentire poterant (p. 158 sq. et passim). Qua scriptoris sententia quoad primam eius partem clariora invenimus apud Bruders, qui ait: „Sonach antwortet Clemens im J. 96 auf die Frage nach dem Unterscheidungsmerkmal zwischen Amt und bloß charismatischen Vorzügen dahin, daß auf Amtsbefugnisse nur der Anspruch hat, auf den die äußere Sendung übertragen wurde.“ (*Die Verfassung der Kirche bis zum J. 175. n. Chr.* Mainz, 1904; S. 80) cf. Brudersii caput quod sequitur, ubi B. ostendit eandem differentiam in omnibus documentis christianis occurrere (cf. 81 sqq.).

Quae non obstant, quominus scriptoris opus et ob ipsam methodum, et ob operum perlustratorum copiam atque criticas in eadem animadversiones, et ob multas quaestionis illustrationes, quae rei, de qua agitur, novam lucem affundunt, — laudemus omnibusque hac quaestione occupatis, quam maxime commendemus.

M. Haľuščyňskij OSBM.

Bulgarica.

M. S. Drinov: Съчинения (Съчиненія). **Opera** (іздава Българското Книжовно Дружество въ София подъ редакцията на Профес. В. Н. Златарски). Том I. (Трудове по Българска и Славянска история). София, Държавна Печатница 1909. 688. р. + X.

D. societati Sophiensi, quae eius opera edit, multos annos prae- fuerat. Quae primo operum volumine ea quae de rebus Bulgarorum et Slavorum, altero quae de rebus ecclesiae Bulgarorum de moribus litteris et sim. scripsit, tertio reliqua colligi voluit. Insunt praeter alia haec capita in I. vol.:

Otec Paisij, negovogoto vrěme, negovata isto- rija i ućenicitě mu. De Paisio hieromonacho, scriptore Bul- garico saec. XVIII., cuius opera, etsi in iis doctrinae nonnihil deside- ratur (hausta enim sunt e fontibus haud idoneis), tamen magni momenti sunt ad litteras Bulgaricas. Commentatio scripta est a. 1871.

Južnye Slavjane i Vizantija v X. věkě. Commen- tatio scripta russice a. 1875. Praeter alia agitur de patriarchatu Bul- garico instituto, de Bogomilis seu Manichaeis Bulgaris (p. 443—448), quos negat tales fuisse, quales eos adversarii effinxerint, eosque magno- pere vexatos (cum etiam in re publica novis rebus studerent) valde pro- pagatos esse dicit; de quodam Bogomilorum conventu saec. XI. Anna Komnena quaedam memoriae prodidit; tempore Nicephori Botaniatae (1077—1087) conventus, cui praeerat Dobromir cum Pečeněgensibus et Polovecensibus necessitudines iniit. Similes conventus in Macedonia a militibus rei christianae adversus Mahumedanos propugnatoribus in- venti sunt, quorum praesidium ceperunt. Bogomilorum vis erat aliqua adversus byzantinismum; nec tamen omnes byzantinismi adversarii bogomili erant.

O někotoryh trudah Dimitrija Homatiana, kak istoričeskom materialě. Etiam hanc commentati- onem *D.* Russico sermone scripsit (a. 1894). Maxime agitur de huius archiepiscopi litteris ad Gregorium Camonam, ad Ioannem Plytum, ad episcopum *Κροῶν*, ad Stephanum Nemanič, ad Manuelem Comnenum Ducam, de Apologia episcopi (oppidi) Serbiae (in Macedonia) ad Ger- manum patriarcham, de tractatu de iure hereditario. Unde eum usque ad 1234 (circitei) archiepiscopatum tenuisse colligit.

A. Špaldák.

Croatica.

Dr. *Svetozar Ritig*, **Povijest i pravo slovenštine u crkvenom bogoslužju sa osobitim obzirom na Hrvatsku** I svezka od 863—1248 (Historia et ius linguae Slovenicae in li- turgia ecclesiastica Croatiae praesertim re- spectu habito tomus I. ab anno 863—1248) Zagrabiae 1910. Pr. cor. 3:20, p. 224 + X.

Magni revera momenti opus, cuius primum tomum ad manus habeo.

Quoniam litterae Slovenicae a Constantino philosopho inventae ab eiusque fratre Methodio propugnatae et propagatae sunt, aptissime auctor clarissimus ab his verbis incohat: Clavem ad cognoscendas litteras Slovenicas et praecipue Slovenicam linguam liturgicam historiam Cyrilli et Methodii nationis Slavicae apostolorum esse statuens eorum

vitam singulaque facta, recentissimis etiam scriptis non neglectis enarrat.

Rostislaus Moraviae princeps ad Michaellem III. imperatorem fidei christianae praedicatores postulaturus nuntios misit, qui ad opus hoc magnum perficiendum Constantinum philosophum eiusque fratrem Methodium elegit. Constantinus litteris Slovenicis inventis voluntati imperatoris obsecundat, et Moraviam ingressus liturgiam Slovenicam introducit, clero Germanico illi frustra obsistente.

Sancti fratres a Nicolao I. papa Romam vocati sed ab Hadriano II. eius successore propter sancti Clementis, quas secum ferebant, reliquias honorificentissime recepti sunt. Constantinus ritu Latino sed pro ritu Graeco episcopus eiusque discipuli presbyteri et lectores ordinati sunt. Verum Constantinus morbo consumptus supremum diem obiit Romaeque in sancti Clementis basilica summis cum honoribus sepultus est. Cum vero nec Methodius reverteretur, Kocel Pannoniae, ut eum papa remitteret, per nuntios postulavit. Hadrianus ergo II. tradens ipsi litteras apostolicas „Gloria in excelsis Deo“ incipientes eumque magnis facultatibus legati a latere imbuens ad Kocelum direxit. Qui deinde rationibus ecclesiasticis et politicisulantibus Romae episcopus consecratus est, sede illi metropolitana Syrmienti assignata. Mox captivatus et in ius vocatus et condemnatus a iudicibus, quibus non licuit, ad summum pontificem appellavit, qui cum eos Romam citasset, venire non sunt dignati. Quapropter Paulum episcopum Anconitanum legatum in Germaniam misit, qui Methodium e captivitate liberaret et in praelatos tanti facinoris reos ius diceret. Cui simul iniunctum est, ut eidem Methodio lingua vulgari sacra peragere penitus interdiceret. Archiepiscopus vero non oboedivit, iure remonstrationis usus, sed etiam deinceps slavice celebravit non tantum ritum Graecum observans sed etiam Latinum.

Methodio remonstranti nihil respondens papa liturgiam Slavicam approbavit, sed postea complures fabulas novas de eo audiens, praesertim cum iam Svatopluk princeps clero Germanico obsecundans de eius orthodoxia dubitaret eius remonstrationem insufficientem esse cognovit et tali famae auditum praebuit. Quapropter anno 879 ei exprobrans eum Romam in iudicium vocavit.

Triplex fuit causa citationis: quaestio de orthodoxia, de liturgia Slavica et an iuste metropolita constitutus sit. Quoad primam se iuxta sententiam ecclesiae occidentalis, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, quae expressio ab ecclesiae Graecae modo loquendi *διὰ τὸν* modaliter tantum differt, tenere Methodius confessus est. Quoad secundam Joanni VIII. ita persuasit, ut non solum liturgiam Slavicam confirmaret, sed etiam eadem lingua orationes et ritus fieri iuberet. Quoad tertiam vero causam Methodius papam adegit, ut Wichingum, quem ecclesiae Nitriensi episcopum praefecit, una cum clero nationis Germanicae ipsius iurisdictioni subiceret. Quapropter etiam Methodio capitula quaedam dedit Svatopluk tradenda, fors collectionem Angilramni, quibus qualiter adversus clericos et episcopos procedendum

statuebatur vel Pseudoisidori, quem respiciens Joannes VIII. in episcopos Methodii hostes ius dicebat (pag. 74 sequ.).

Neque Svatopluk princeps cum effectu suae accusationis contentus erat, eo minus Wichingus eiusque factio. Praesertim episcopus Nitriensis nec a taeterrimis incriminationibus abhorruit, favente sibi principe. Quales fuerint, indicare non possumus, quoniam Joannis papae VIII. epistula de 23. Martii 881 eas obiter tantum tangit, neque caput 12 vitae Methodii accuratius de eis refert. Litterae tantum, quas diximus, iniurias — Methodio vix in Moraviam ingresso illatas esse narrant, quae Wichingum causam primariam fuisse aperte docent. Ex verbis illarum „neque aliae litterae nostrae ad eum directae sunt, neque episcopo illi palam vel secreto aliud faciendum iniunximus et aliud arte faciendum decrevimus“ Wichingum litteras quasdam supposititias, instructiones quae cum Methodio datis minime consentiebant continentes Svatopluk tradidisse noster auctor iuste concludit, imo hic episcopus nequam ad molestias metropolitanae suo faciendas iureiurando se pontifici obstrinxisse asserere non dubitavit. Ioannes papa Methodium verbis scripturae sacrae (Iac. 1, 2. Rom. 8, 31) consolatur eique se, cum ille reversus fuerit, causam eorum legitimo fini traditurum Wichingique enormia crimina iusto iudicio correpturum promittit.

Verba epistulae „cum Deo duce reversus fueris“, quae ego de Methodii reditu Romam interpretatus sum, Dr. Ritig de itinere ipsius in Bulgariam ad Michaellem principem exponit, nam „Constantinopolim proficisci ibique suae orthodoxiae documenta quaerere non potuit, quoniam si a patriarcha Constantinopolitano rehabilitatus esset, multum ex hoc detrimenti cepisset neque fieri potuisset, ut in cura Moravorum in posterum operaretur, principe una cum incolis Romae adhaerente“. Methodius nequaquam Constantinopolim, certissime vero in Bulgariam iter conficere potuit, quam propositionem e capite legendae Bulgaricae ex una et e capite 13 vitae Methodii, quod de ipsius itinere Constantinopolitano agit, probare se posse auctor noster autumat. Neque enim, ait, ut Methodius e Moravia Constantinopolim usque proficisceretur, imperator postulare potuit, sed cum iam in Bulgaria degeret, invitatus imperatorem facile adire valuit. Hoc tempore etiam iuxta caput 16 suae vitae Hungarorum regem visitavit.

E Bulgaria et Constantinopoli reversus, finem vitae suae appropinquare sentiens opus suum litterarium ad finem perducere contendit, sicuti capite 15 eius vitae narratur. Sacram scripturam novi et antiqui testamenti exceptis tamen libris veteris foederis deutero-canonicis e Graeco idiomate, dein patericum et nomocanonem vertit, et cum Gorazdum presbyterum suum in throno archiepiscopali successorem nominasset, praenuntiato dominica palmarum mortis suae die 6. mensis Aprilis anni 885 defunctus in ecclesia sua metropolitana sepultus est.

Nunc itaque Svatopluk princeps, quantum in eo fuit, adversus metropolim Slavicam agere coepit. Wichingum enim Romam misit, qui Gorazdi loco thronum metropolitanum ascenderet, cui vero non omnia bene successerunt. Summus enim pontifex Slavicam quidem liturgiam

interposita excommunicationis sententia interdixit, Methodium haericum pronuntiavit, neque hac in causa sententiam definitivam tulit, sed Gorazdum Romae audiendum citavit; ergo Wichingus metropolita Moravorum non statim constitutus est, qualem eum interpolatae ab eo Stephani VI. litterae dicunt. Etiam verba in clericos inobedientes comminativa ab eo interpolata sunt.

Complures causae sunt, cur Stephanus VI. Wichingus aures praebuit. Primo Photius tunc temporis summam auctoritatem potestatemque adeptus est. Deinde Romani pontifices a diuturno iam tempore principes Germanos in turbis Italicis auxilium sibi laturos speraverunt. Neque ergo mirum, quod Stephanus VI. summus pontifex Wichingi sententiae assensum praebuit, praesertim cum eum a Moraviae principe fulciri videret. Nunc opportunum fuit, Moraviam Francorum potestati ecclesiasticae subdere, secus timendum fuit, ne Methodii discipuli Photii doctrinae adhaerentes Byzantinae se iurisdictioni subicerent. Pontifex iamiam credit, Methodium et non Svatopluk principem una cum Wichingo barbarum in Moravia exortarum causam fuisse, persuasum habens, Pannoniae archiepiscopum quoad doctrinam de sancti Spiritus processione a Photii partibus stetisse et doctrinam catholicam Romanam reiecisse.

Methodium nec in fine vitae suae Photii dogma secutum esse annotare auctor superfluum censet. Nam apostolum nostrum sicut symbolo vocem Filioque addere non permisit, ita etiam de sancti Spiritus processione doctrinam cum sanctis patribus ecclesiae Romanae explicuisse Ioannis VIII. litterae anni 880 probant. Clerum Francorum, qui symbolo vocem a septem conciliis oecumenicis non traditam inseruit, non leviter vituperavit. Quamvis nequam dubitandum, quin Methodius de sancti Spiritus ab utroque processione orthodoxe tenuerit, tamen Wichingi assertio, Methodium propter vocem Filioque symbolo insertam Francorum clerum excommunicationis sententia percussisse, reicienda non videtur.

Stephanus VI. liturgiam Slovenicam in suis litteris et in communitario iisdem fere verbis categoricis prohibet, excepto quod in litteris excommunicationis poenam minatur. Ex quo locos omni dubitatione excepta authenticos auctor iuste colligit. Huius edicti severissimi ratio non nisi summi pontificis intima persuasio fuit, Methodium quoad dogma haereseos et quoad liturgiam periurii reatum incurrisse. Cui accedit, Stephano Ioannem VIII. anno 879 ipsam prohibuisse, non incognitum remansisse. Quaestio de Methodii successore Romae quidem definienda statuitur. Wichingo vero, ne Gorazdus Romam ire possit, prohibere contigit, non enim frustra in extrema epistula Stephani constitutum, clericos inobedientes et contumaces excommunicari et a regni Moraviae finibus excludi debere. Pulsis itaque cum Gorazdo presbyteris aliisque clericis Slavorum Wichingus Methodii cathedram ascendit.

Methodii discipuli in Bulgaria discesserunt, ubi hierarchi Graeci cum suo clero liturgia Graeca usi operaverunt. Clemens primo fidem christianam praedicans libros conscripsit, a Symeone vero rege episcopus

Dembicae nominatus est, a Velica fluvio saepius Velicensis dicitur, cuius cathedra non est alia, quam metropolis Achridana. Cum suis collaboratoribus litterarum Bulgaricarum aetatem auream constituit. Proh dolor sicut litterae Graecae huius temporis etiam eorum labores a genio populi prorsus alieni et non intellegibiles erant, quapropter Bulgari haeresin Bogomilorum, quae ipsorum intellectui magis arridebat amplexi sunt.

Methodio adhuc in vivis existente liturgia Slovenica in Croatiae regionibus introducta est, quaedam enim earum partes eius regimini ecclesiastico suberant, imprimis quae Posavina dicitur cum titulo sancti Andronici universoque districtu ad metropolim Sirmiensem olim pertinente. Nullum ergo dubium, quin Methodii discipuli Croatis septemtrionalibus fidem christianam praedicaverint, unde liturgia Slovenica in Dalmatia inter Croatas qui Albi vocantur propagata est. Verum nec in Moravia et Pannonia penitus exstincta est. Constantino enim Porphyrogeneto imperatore testante Slavi etiam ad Croatas confugientes complures presbyteros secum ducebant. Croatae quidem baptismo a Roma suscepto saeculo nono inter Romam et Constantinopolim ancipites haeserunt. Branimiro dein regnante, excepto districtu metropolitano Spalatensi, ad oboedientiam ecclesiae Romanae redierunt. Quo schismatis tempore Theodosius episcopus Nonensis Romae consecratus a iurisdictione metropolitanae Spalatensis exemptus est. Hic prima radix diuturnarum litium, quas postea episcopatus Slavicus cum metropolita Latino habuit, qui interea ad pacem ecclesiae Romanae redierat.

Ioannes enim X. (914—928) cognita Methodii doctrina (disciplina) missae lingua Slovenica celebrandae, anno 925 metropolitam Spalatensem una cum eius suffraganeis ac Tomislao rege, ut missa lingua Latina et non barbara Slavica celebraretur, etiam atque etiam admonuit, et missis Ioanne Anconitano et Leone Praenestino episcopis legatis synodum Spalatensem convocari fecit, quae candidatis Slavicis ordines conferri et presbyteros Glagolitis, non concessa a summo pontifice licentia speciali celebrare vetuit. Verum Gregorio episcopo Nonensi appellante canon 10 de liturgia Glagolitica per pontificem suspensus est.

Eodem modo etiam alia in synodo Spalatensi anno 928 celebrata actum est, sed an idem Gregorius episcopus decreto eius obtemperaverit, nobis traditum non est. Anno 1059 in synodo Spalatensi praesidente Maynardo cardinali iterum decretum est, ne quis in posterum slavice celebraret, neve candidati Slavici nisi Latine didicissent, ordinarentur. Attamen quamvis decretum hoc a Nicolao II. et Alexandro II. successore eius confirmatum esset, liturgia Glagolitica penitus non interiiit. Etenim ipsi episcopi Latini ne Croatarum populus ipsis subiectus spirituali auxilio privaretur, presbyteros Glagolitas suo idiomate officium peragere permiserunt, et liturgia Glagolitica asyla invenit, ubi nec synodorum Spalatensium decreta quidquam valuerunt, neque summorum pontificum vetita observabantur.

Clarissimus auctor deinde de liturgia in genere et de eius origine loquitur. Liturgiam in ritu non in lingua consistere statuit.

Quando vero de liturgia Slavica sermo fit, non ritus sed lingua respicienda est. In ecclesia aevi antiqui et medii ius liturgicum nullum extitisse neque legem liturgicam codici insertam esse docet.

Sanctum Cyrillum linguam Slavica in ritum Graecum introduxisse censet, Methodium vero, fontium respectu habito, etiam in ritum Romanum, quin tamen ritum Graecum omnino neglexisset. Clerus etiam Methodianus utrumque ritum alternatim usurpabat. In Croatia quidem Neretva et Vrbae fluvii utriusque ritus fines constituerunt. Dioecesis Bosnensis primo ritum Graecum observabat, advenientibus vero monachis Dominicanis Latinum paulatim recepit.

Slavorum apostoli in lingua Slovenica introducenda primo tempore auctoritate accepta a patriarcha Constantinopolitano, postea etiam apostolica sede Romana fulti esse videntur. Confirmatio Hadriani II. et Ioannis VIII. legem particularem liturgicam constituit, quae in Methodii legati pontificii potestate fundatur.

Lingua Slovenica in liturgia praeter ius ecclesiasticum progressus permagnos fecit. Lex vero particularis liturgica, quam supra dixi, Stephano VI. liturgiam Slavenicam penitus prohibente abrogata et extincta est, quamvis enim falsis Wichingi informationibus insistat, vis legis omnino illi deneganda non est. Lex est universalis, nec tantum pro Moraviae regionibus lata. Liturgia Slovenica in Croatia speciatim praeter voluntatem superiorum ecclesiasticorum introducta, per ius consuetudinis, ex parte per viam conniventiae territorium suum conservabat et ampliabat, tandem praescriptione iuris valorem obtinuit.

Ab anno tandem 1248, quo Innocentius IV. summus pontifex Philippo episcopo Segniensi Latino origine tenus, cuius universa dioecesis litteris Glagoliticis utebatur petenti eodem idiomate celebrare permisit, nemo dubitat, quin liturgia Glagolitica legitima sit. Idem Innocentius IV. Daniele Russorum principe postulante, Russiae presbyteris ut panem fermentatum consecrare aliosque ritus, qui fidei catholicae non obviant (ergo etiam usum linguae Slavicae in sacris) observare lege speciali lata die 3 Maii anni 1246 expresse permisit.

Opus clarissimi nostri auctoris magni momenti esse dixi. In prima quidem parte (caput I.—VIII.) Francisci Račkii aliorumque virorum doctorum auctoritati innixus legendas quas Pannonicas vocant singulaque earum data fide digna esse asserit. Multas theses proponit, quarum viri critici examen instituere debent. Sententias aliorum profert, deinde sibi permultum confisus Catonis ἔπος πτεροέν „Ego vero censeo“ usurpans, quid ipsi de singulis rebus videatur, dicit, vix unquam solidis argumentis sententiam ipsius probantibus propositis.

Historica vel potius, si mavis, critica operis pars, quamvis permultas theses novas afferat, si verum dicere licet, minus mihi fundata videtur. Altera vero (caput

IX.—XVI.) in qua summa operis consistit, quae eius liturgicum et canones nec non decretales summorum pontificum exponit, stilo eleganti perspicuoque subtiliter exarata est: pro hac operis parte clarissimo auctori gratulari liceat.

Unum alterumve tamen mihi minus placet. Dr. Ritig Methodium mox Graeco mox Romano ritu celebrasse aliasque functiones peregrisse affirmat, quod vix aut ne vix quidem credere possum. Quisquis enim more ecclesiae Romanae celebrat, totam vitam suam iuxta leges Romanas instituat necesse est. Idem etiam de ritu Graeco valet. Qua ex causa Methodium nostrum quoad ritum, si barbara voce uti licet, utraque fuisse, minime admittendum censeo, neque enim apostolum nostrum hodie ecclesiae Romanae leges, cras vero Graecae, quae a Romanis eo iam tempore non parum differebant, observasse cogitare possum.

Alio loco (pag. 73) scribit auctor noster: „Difficile dictu, quid per privilegium archiepiscopatus intellegendum sit? Forsan totus eius honor archiepiscopalis omniaque iura ei adhaerentia, quae Methodius in sua consecratione ab Hadriano II. recepit. Huc etiam character metropolitae Pannoniensis tamquam pontificii legati a latere. Cf. Snopek, List Hadriana II., str. 15 seq.“

Citato vero loco quid per privilegium archiepiscopatus Methodii sit intellegendum, prolixius disserui et collatis Ioannis VIII. epistulis quas in Methodii causa anno 879 scripsit cum celeberrima ipsius bulla Industriae tuae anni 880, id quod praeterius commune hoc in documento conceditur, liturgiam scilicet Slovenicam, huius privilegii partem, quae dicitur, integram esse probare studui, quod Dr. Ritig nulla huius meae hypotheseos mentione facta omnino negat. Etenim pag. 202 ita loquitur: „Hadriani et Ioannis confirmatio non habet privilegii characterem, sed legis.“ Suae enim opinioni, Hadriani, quae in Methodii vita legitur, epistulam omnino integram ac fide dignam esse, insistens ipsam et quoad argumentum et quoad formam litteris, quae in curia Romana scribebantur, correspondere docet.

Quos iam ante tria lustra in tractatu de ipsa Hadriani II. epistula lingua Bohemica scripto collatis Gregorii Magni aliisque ipsius Ioannis VIII. litteris defectus detexi, hic proferre longum est. Mihi enim constat, auctorem vitae sancti Methodii singularum epistulae sententiarum ordinem logicum invertisse, verba nonnulla, quae in originali inveniri nullo modo potuerunt, ipsi inseruisse, immo, quod maxime dolendum est, verba Hadriani II. quibus liturgiam Slovenicam directe approbavit, de industria omisisse. Argumenta minime spernenda in tractatu, quem in Sborník velehradský tom. VI. publici iuris feci, pag. 78 et sequ. invenies.

Quoniam vero e datis epistulae Hadriani II., quae non integra in sua primitiva forma et lingua nobis conclu-

dere minime licet, eum lege lata de liturgia Slovenica eam in Methodii districtu introduxisse, e bulla Industriae tuae eum tale privilegium eidem dedisse docui, quod Ioannes cognitis a Methodio rationibus anno 880 apostolicae suae auctoritatis praecepto confirmavit et in perpetuum Deo iuvante firmum manere statuit. Insuper inferius in lingua Slovenica Christi Domini nostri praeconia et opera enarrari, hoc est eadem lingua, prouti locum iam anno 1897 explicui, liturgiam sacram celebrari expressis verbis iussit, vel quod idem est, ut cum Dre Ritig loquar, legem particularem de liturgia Slovenice in terris eiusdem idiomatis celebranda tulit. Novo ergo praecepto opus fuit, ut Svatopluk principi eiusque optimatibus missa idiomate Latino celebraretur, ita ut quod alibi de iure communi fiebat, ipsis per quoddam privilegium liturgia Latine celebraretur.

Nonnulla quidem hic et in aliis commentariis adnotavi, nihilominus tamen eximium opus clarissimi auctoris etiam atque etiam legendum pro mea mediocritate optime commendandum esse censeo.

Kroměříž, 12. Maii 1911.

Fr. Snopek.

Vrhbosna. Praeest Dr. Ivan Dujmušić. Sarajevo. 1909. Pg. 396. Pret. 10 Cor. *Ivan Jablanović: Srpski patrijarhat i bulgarski eksarhat u Turskoj.* (De patriarchatu Serborum et de exarchatu Bulgarorum in imperio Turcico.) Fasc. 2.

Anno 1870 post diurnas pugnas imperium Turcicum agnovit exarcham Bulgarorum in finibus suis. Hoc exemplo fretus Novaković, rei politicae in Serbia dux, proprium Serborum in imperio Turcico patriarcham constituere conatur, idque restituto vetere patriarchatu Ipecensi (Peć), qui anno 1348 sub auspiciis Romani Pontificis constitutus anno 1460 primum et 1766 iterum suppressus est. *J.* argumentis allatis conatus Novakovicii reprobatur.

Msgr. Dr. *Karlo Horvat: Razvitak papinske kancelarije od najstarijeg doba do Inocenta III.* (Historia cancellariae Sedis Apostolicae ab antiquissimis temporibus usque ad Innocentium III.) Fasc. 9—16.

H., Rector collegii s. Hieronymi Romae complures annos degens, optimam notitiam scrinii et bibliothecae Vaticanae acquisivit, cuius fructus haec quoque commentatio est. Quattuor partibus constat. In p. 1. de registis et formularibus s. sedis antiquissimis agitur. Forma mutatioque regestorum exemplis allatis illustratur, specialis vero cura „Libro Diurno“ seu „Diurno Pontificum“ impenditur. P. 2. de signis praecipuis documentorum Sedis Apostolicae usque ad IX. saec. loquitur, prouti sunt intitulatio, inscriptio, salutatio, narratio, dispositio, comitatio, benedictio, datum et subscriptio. P. 3. de documentis summorum Pontificum a saec. IX.—XII. adhuc exstantibus ac de eorum notis palaeographicis disserit. Parte hac multa continentur de nomine documentorum („bullae“), de materia, modo scribendi, sigillo, subscriptione, forma etc. — P. 4.

de personis scrinio s. Sedis addictis seu notariis ab antiquissimis temporibus usque ad Innocentium III. loquitur.

Ivan Jablonović: Patrijarhi i patrijaršije katoličke crkve. (De patriarchis et patriarchatibus ecclesiae catholicae.) Fasc. 11—12, 15—16.

Primo loco scriptor diligenter in originem patriarchatum antiquae Ecclesiae inquirat, eamque in suprema potestate s. Petri invenit. Secundo loco patriarchas veteres seu magnos enumerat eorumque iura determinat. Tertio et ultimo loco patriarchas recentiores seu minores recenset non solum catholicos sed etiam orthodoxos, qui neglecto proprio fine artioris unitatis ecclesiasticae unitatem diruperunt imperioque civili subiecti sunt.

Dr. *Fran Binički: Novi silab pape Pija X.* (De novo syllabo Pii Papae X.) Fasc. 5—8, 10, 13—16.

Delineata causa, ansa ac fine syllabi *B.* singulas res ordine explicat afferens ubique falsas doctrinas Loisyanas.

O. Urban Tališa: Euharistija u II. i III. vijeku crkve i netrijezna kritika. (De doctrina ecclesiae catholicae saec. II. et III. de ss. Eucharistia eiusque adversariis.) Fasc. 18—19.

In commentatione doctus scriptor quaestionem explicat, utrum doctrina Christi de ss. Eucharistia tempore procedente philosophiae auctoritate mutata sit, uti Harnack asserit necne.

Dr. *Mato Končar D. J.: Što se ima uraditi za promicanje unije?* (Quid agendum sit, ut unio ecclesiarum promoveatur.) Fasc. 19—20.

Magna dexteritate *K.* numerum gravitatemque impedimentorum unionis delineat. Gravissimis impedimentis alienationem animorum adnumerat, quae tamen paulatim minui videtur; exemplo sunt ecclesia orthodoxa Atheniensis, conventus archaeologicus anni 1906, faustus eventus laborum Solov'evii in Russia. Cum primatus quoque Summi Pontificis praecipuum impedimentum unionis constituat, theologi catholici huic praeprimis doctrinae illustrandae dare operam debent, utique veritate duce. Iis, quibus unio periculum propriae constitutionis ecclesiasticae videtur esse, historia duce demonstrandum est, Sedem Apostolicam optimum esse verae libertatis iuriumque acquiritorum propugnaculum. Vis veritatis et piarum precum omnia impedimenta removebit.

Dr. *Svetozar Ritig: Solovjev i Hrvati.* (De relationibus Solov'evii ad Croatas.) Fasc. 20—21.

Praelectio habita in II. conventu Velhradensi et in actis eiusdem conventus typis expressa.

J. Lovriček.

Fran Plevnjak: Prilozi za kulturnu poviest hrvatskog svećenstva. Rad svećenstva na školsko-prosvjetnom polju. (Additamenta ad historiam animi cultus a clero Croatico promoti. Cleri de scholis litterisque

promovendis merita.) Zagrabiae 1910. Pg. VIII. + 500. Pret. 6.60 Cor.

Ecclesia catholica fidelem populum quoque tempore non solum religionem verum etiam litteras artesque humanas edocebat, iure merito mater litterarum scholarumque exinde nuncupata. Quae ubique reperiuntur, ea etiam in regionibus Croaticis fuisse, praesens liber testatur. Diligens scriptor, qui nuper praemature vita functus est, in animo habebat omnem cleri Croatici operam libris exponere, et eam quam aiunt socialem et politicam et litterariam; in praesenti tamen libro de solis litteris scholisque promotis loquitur.


Initio libri *P.* refert, quinam primi fuerint Croatarum magistri, quales primae scholae et a quibus institutae (23—69). Deinde historia seminarii Zagrabiensis, Segniensis et Diacovarensis enarratur simulque externa cleri Croatico educandi collegia celebria describuntur, inter quae „Collegium Germanico-Hungaricum“ Romae, „Collegium Illyricum“ Bononiae, „Collegium Croaticum seu Napulianum“ Viennae, „Collegium Illyricum Lauretanum“, „Seminarium Centrale“ Pestini, „Pazmaneum“ et „Augustineum“ Viennae. Uniuscuiusque historia breviter conspicueque exponitur (69—100). Deinde copiosa ordinum religiosorum in scholis litterisque promovendis opera adumbratur. Opera haec ex multis gymnasiis et academiis a religiosis institutis et administratis (Zagreb, Lepoglava, Varaždin, Osijek, Požega, Rijeka. Križevci, Ruma, Bjelovar, Senj, Karlovac) elucet (100—149).

A p. 150—489. *P.* merita cleri Croatici saecularis in scholis instituendis, regendis, donandis, in disciplinis artibusque liberalibus promovendis, quattuor partibus enarrat. Parte 1. tempus ut aiunt „regenerationis Croaticae“, 2. vero tempus quod appellatur „absolutismi“; parte 3. legem de scholis ab an. 1874, 4. denique legem de scholis ab an. 1888 et quae eam consecuta sunt tractat.

Scriptoris meritum est, quod ex variis libris, et commentationibus editis et nondum editis industria et diligentia magna vitas, res gestas litteras plurimorum sacerdotum qui in Croatia proprie appellata ultimo saeculo fuerunt et de scholis ac disciplinis aliquo modo meruerunt collegit. Saeculum XIX. tam copiose et diligenter tractatum est, ut vix quisquam alicuius nominis ex iis, qui ante 1880 ordines sacros susceperunt, omissus sit. Libro plurimae imagines sacerdotum et collegiorum insertae sunt. Methodus exponendi omnino positiva est seposita omni disputatione polemica.

Liber, etsi fontes non indicantur neque doctrinae speciminis exhibendi causa scriptus est, historiae tamen ecclesiasticae particulari notabile incrementum affert, utpote qui primus hujus speciei sit.

Dr. Kam. Dočkal.



Relatio de conventu.

In praeparando tertio conventu Velehradensi magnae difficultates inde ortae sunt, quod viri docti ad quaestiones in conventu explicandas litteris invitabantur. Ex quibus nonnulli sero, alii ambigue, multi nihil responderunt — neque ante eorum responsa alii commode invitari poterant. Ita factum est, ut illud, quod hac de re a conventu II. decretum erat, effectu careret.

Modestia, qua hucusque utebamur in studiis nostris vulgo commendandis, servata, omnes tamen, quorum intererat, e nuntiis ab ephemeridibus allatis de conventu futuro certiores fieri poterant. Orthodoxis, quorum multi studia nostra in suspicionem vocabant, data opera paucis expositum est, eadem ipsis probanda esse.*) Praeterea libelli missi sunt omnibus, qui vel prioribus conventibus interfuerant, vel his rebus studere existimabantur.

Convenerunt autem circiter ducenti viri, quorum nomina, quantum colligi poterant, hic enumerantur:

Ant. V. Adam, katech., Pardubice

Joseph Allonti, missionarius dioecesis Thessalonicensis, fundator Sororum Ss. Euchar.

Anonymus ex Hungaria.

*) Kolokol 1911 No. 1491 (16/III): Почему недовѣріе у православныхъ къ Велеградскимъ сѣздамъ? Они занимаютъ обыкновенно въ этомъ дѣлѣ сѣдующую точку зрѣнія: такъ долго должно не довѣрять, какъ долго не будетъ съ совершенною точностью объяснено, къ какому опредѣленному, конкретному единенію христіанъ на этихъ сѣздахъ стремятся. Но въ чемъ же здѣсь сущность дѣла? Участники на Велеградскихъ сѣздахъ могутъ быть православные, могутъ быть католики, никто не исключаетъ и не ограничиваетъ, почему количество той или другой стороны зависить отъ ихъ воли. У обѣихъ сторонъ разное мнѣніе, какъ осуществить воссоединеніе. Одни думаютъ, что православные должны сдѣлаться католиками, другіе думаютъ, что римская церковь должна сдѣлаться православною. Но обѣ стороны сходятся въ томъ, что разьединеніе плохое, пагубное дѣло, которое должно прекратиться. Все эти три мнѣнія не могутъ быть вмѣстѣ правдой. Слѣдовательно, какое-нибудь изъ этихъ мнѣній ошибочно. Должны ли мы сначала прослѣдить, которое мнѣніе о способѣ соединенія вѣрно и уже послѣ только стремиться къ соединенію? Я думаю, что это по малой мѣрѣ не необходимо для нашего условія, хотя необходимо для дѣйствительнаго соединенія. Но положимъ, что на самомъ дѣлѣ такъ; — все такъ и тогда слѣдовало бы по крайней мѣрѣ усердно стараться выяснить, что вѣрно насчетъ способа воссоединенія церквей, причемъ знающіе наилучшій къ сему путь должны убѣждать несогласныхъ съ своимъ мнѣніемъ. Но какимъ способомъ это убѣжденіе возможно? — Научнымъ путемъ! — Пусть это достоянно: — все же на-

Anonymus Petropolitanus.

Celsissimus D. Dr. Fr. S. Bauer, archiep. Olomucensis.

Cyrill Bilík, nadační kaplan, Mor. Budějovice.

Dr. Mirko Boić, bogoslov, Zagreb.

Dr. Ivan Borković, Rector Ecclesiae S. Hieronymi, Romae.

Dr. Jos. Breitenbach, prof., Kroměříž.

Tom. Bufk, farář, Rejstýn na Šumavě.

Al. Bukowski, prof. theol. dogm., Widnawia, Siles. Austr.

Jos. Cejpek, farář, Nosislava.

Dr. Čarneckij, prof. theol. v eparh. liceě v Stanislavově.

Ant. Čihal, koop. v Horní Rudě.

Marko Čunko, bogosl. Zagreb.

Ioann A. Davidovič, nastojatel' Preobraženskoj Cerkvi v L'vově ot-
poručnik Obščestva im. sv. Ioanna Zlatoustago v L'vově.

Vincenc Dědek, farář, Sebranice (Br.).

Deutsch Jarosl., bohosl., Praha (Těšňovice u Kroměříže).

Dr. Kamillo Dočkal, nadstojnik nauka u nadb. sjemeništu, Zagreb.

Ant. Dokoupil, koop. Kvasice.

Frant. Dolanský, tajemnik Matice Cyrillo-Met., Olomouc.

Stefan Donarovycz, dec. et par., Borynyči.

Dr. Dorožynski, catech. gymn., Leopoli.

Dr. Jos. Dosoudil, prof. arc. gymnasia, Kroměříž.

Arnošt Dostál, far. Veřovice.

prelát Drápalík, opat z Nové Říše.

I. Drašar, far., Lipůvka (Drásov).

Drbohlav Jos., boh., Hradec Král.

Msgr. Dr. Lad. Dvořák, c. k. dv. kaplan, direktor Frintanea ve Vídni.

E Dymrak, bogoslov zi L'vova.

Dr. Frant. Ehrmann, prelát a kanovník, Olomouc.

Karel Fadrus, prof., Zábřeh nad Mor.

вѣрно было бы полезно, если бы въ этомъ развыскываніи обѣ стороны соединились; при этомъ многое бы оказалось непрочнымъ изъ того, что одна сторона представляетъ неизблемымъ, а многое очевидное другимъ было бы принято всѣми. Однимъ словомъ, познаніе правды было бы этимъ существенно облегчено! Но кажется мнѣ, что это познаніе только, тогда было бы морально возможно, если бы мы всѣ пошли указаннымъ ниже путемъ. Почему? То, что кто-нибудь согласится съ нашимъ мнѣніемъ и свою ошибку признать, это есть психологическій актъ, который зависитъ отъ точныхъ психологическихъ условій. Мы не должны этимъ психологическими элементами пренебрегать, думая убѣдить отвлеченными доводами. Такъ на самомъ дѣлѣ этого не бываетъ. Поученіе должно быть доступнымъ способомъ представлено. Два человека, которые другъ друга ненавидятъ, никогда взаимно не признаютъ свою ошибку, исключая, что эту ошибку можно доказать математически. Но если оба противника другъ друга любятъ, тогда соединеніе скоро возможно и навѣрно осуществится. Такимъ образомъ все доказываетъ то, что должно привѣтствовать учрежденіе, которое такія мѣры принимаетъ. Такъ долго не довѣрять этому учрежденію и оставлять его до тѣхъ поръ, пока оно измѣнитъ свою сущность и перемѣнится въ исключительно конфессіональное, о которомъ ясно, къ какому определенному единенію оно стремится,—это значитъ сложить руки, и со сложеными руками ожидать отъ Бога, къ чему Онъ желаетъ нашего содѣянія,

- Dr. K. Farský, katech., Praha-Vršovice.
 Leonid Fedoroff, Lvov.
 Alois Filip, farář ve Štítné na Válsě.
 Jan Flašar, farář, Vlčnov.
 Foltýn, farář, Holič.
 Štefan Fridrichovský, administr. z Veľkých Bošian, Uhry.
 Karel Frydrych, katecheta, Krnov.
 Jan Gabmayer, farář, Dalešice.
 Frant. Gája, katech., Zábřeh n. O.
 Hieromonachus Sofronius Gasisi, Albanus ex laura Grottaferratensi.
 Frant. Gebauer, koop. v Běhařovicích.
 Frant. Géduš, far. v Lipovci.
 Ant. Guidovec, theologus, Labací.
 Emilian Gorčýnskyj, theol., Lemberg.
 Dr. Alphonso Greco, praelatus curiae Romanae et caeremoniarius
 in Vaticano.
 Dr. Franc. Grivec, professor, Ljubljana.
 Dr. Julius Hadzsega, professor studii biblici in Ungvár.
 Juraĵ Hanževački, bog., Zagreb.
 M. D' Herbigny S. I., Paris.
 Aug. Horák, novokněz z Topolné.
 Hornáček Pavel, far. v Uníně, Uhry.
 Jak. Hrabinský, coop., Zborovice.
 Dr. Fr. Hrachovský, katech., Kolín.
 Baltazar Hříva, kaplan v Napajedlích.
 Dr. Tomáš Hudec, prof. boh., Brno.
 Jakub Hudeček, exposita v Huštěnovicích.
 Fr. Husička, farář v Černotíně.
 Pavel Hristov, Assumptionista Bulgarus, hegum. de Mostratli in Turcia.
 Martin Chudoba, kapl., Kopřivnice.

хотя оно и самое ничтожное. Всякое недоверіе, которое способно препятствовать нашему участию, несомнѣнно должно основаться на какомъ нибудь подозрѣніи зла, которое бы могло насъ застать. Въ этомъ случаѣ, какое зло бы это было? Развѣ прельщеніе деньгами, достоинствами или ласкательствомъ? Боюсь, что, когда я это (ради полноты) произношу, то можетъ быть, меня будутъ въ этомъ русскіе упрекать, что ихъ въру я считаю за столь непрочную. Или насміе? Но Велеградъ находится въ цивилизованномъ государствѣ. Или клевета или оскорбленіе чести? Противъ этого они бы, вѣроятно, еще зацѣпились; и наконецъ, какая изъ этого бы была польза для другой стороны? Достаточно прочесть «Труды второго велеградскаго богословскаго съѣзда, изданныя въ Москвѣ 1911 г.» Но, можетъ быть, безуспѣшность нашего участія насъ отталкиваетъ? Тогда еси у кого-нибудь лучшее предложеніе относительно стремленія къ воссоединенію церквей (говорю о стремленіи, а не о молитвѣ и вздыханіи), пусть онъ покажетъ намъ этотъ лучший путь по сравненію съ тѣмъ, что можетъ быть сдѣлано на съѣздѣ велеградскомъ. — Но пока нѣтъ ничего лучшаго, каждое стремленіе въ этомъ отношеніи, хотя намъ и кажется, по человѣчески, безуспѣшнымъ, должно почитаться за не безуспѣшное стремленіе къ этой цѣли и полагаться въ числѣ условій къ тому, что увѣнчаетъ Богъ. Пбо отъ насъ зависить не успѣхъ, но успіе. Надѣюсь, что эта наша точка зрѣнія исключаетъ поводъ всякаго подозрѣнія. (См. «Колоколь» № 1472.)

- Jos. Chytil, farář v Bránkách.
 Iščak Andreas, stud. theol., Innsbruck.
 P. Antonín Janda, professor, Kroměříž.
 Adolf Jašek, katech., Kroměříž.
 Al. Jašek, bohoslovec (Ol.), Dol. Studynky.
 Fr. Jemelka, katech., Val. Meziříčí.
 Pavao Jesih, bogosl., Zagreb.
 Martin Jugie, Assumptionista, Constantinopoli.
 Vinko Jurković, bogosl., Zagreb.
 Alois Kalmus, nadační kaplan, Vyškov.
 Caesar Kayser, procurator Assumptionistarum, Dinsheim in Elsass.
 Antonín Keller, kapl., Letovice.
 Fabián Keppert, far. Lipov (Hroz. Lhota).
 Dr. Josef Klapetek, prof. kn. arc. gymn., Kroměříž.
 Jos. Klečka, koop., Fryšták.
 Josef Klos, koop., Pitín.
 Msgr. Klug, caeremoniarius, Olomouc.
 Polyeuktos Kmiť, professor gymn., Drohobyč (Halič).
 Viliám Kolář, ref., Čhovice.
 Ant. Kolísek, koop., Vel. Karlovice.
 Dr. M. Končar, Viennae IX, Canisiusgasse 16.
 Jar. Konečný, far. Vel. Újezd.
 Kossielek, farář v Łące, Prus. Slezsko.
 Theofil' Th. Kostišn, kandidat duhovnogo sanu Arhieparhii L'vovskoj.
 V. Kotrch, probošt z Roudnice.
 Jan Kouřil, far., Rataje.
 Ed. Krajnák, prof., Prešpurk.
 Ioannes Králiček S. I., Slovacus, Travnici.
 Frant. Krčma, koop., Kvasice.
 Dr. Petrus Krypiakiewicz, catech. gymn., Leopold.
 Frant. Křeháček, boh., Olomouc (z Březové).
 Gilbert Cyrill Kříkava, C. R. Praem., farář, Mladé Břístě u Humpolce
 Otokar Kubát, I. koop. v Karlíně Č.
 Dr. Jan Kubiček, prof. univ., Olomouc.
 Kučera Jan, bohosl., Praha (Týn nad Vltavou, Čechy).
 Hynek Kuhn, koop. v Pitárné, Rak. Slezsko.
 Ludvík Kuksa, kaplan, Trnávka.
 Alois Kusala, farář, Dolní Bečva.
 Method Kvetomyl z Uhorská (Kecskemét).
 Josef Kyselka, canonicus, Vyšehrad.
 Josef Lakota, far., Nemořice.
 Karel Látal, koop. v Skřípově.
 Josef Lepka, bohóslovec, Brno.
 Petr Lička, koop., Mladěnov.
 Dr. Gregorius Litwinowicz.
 Lopčina Vasiliij, okončennyj bogoslov iz L'vovskogo general'nago
 seminarija.
 Ivan Krst. Lovriček, predsjudnik „Zbora duhovne mladeži zagrebačke“.

- Msg. K. Lysý, Buchlovice.
 Dr. Nicolaus Malyniak, par. e dioec. Premysl. — Galic.
 Karel Mensinger, farář, Hronov (d. Kr. Hrad.).
 Ant. Mlčoušek, řed. kůru v Koryčanech.
 Frant. Mokroš, kapl., Marian. Hory.
 Tomáš Motálek, bohoslovec, Hradec Král.
 Dr. Titus Myškovskij, profess. universitatis, Leopold.
 Dr. Frant. Nábělek, prof. gymn., Kroměříž.
 Richard Němčák, prof. Buchlovice.
 Ig. Němec, katecheta, Zábřeh n. O.
 J. Fr. Němeček, redaktor Hlasu.
 Ignát Nepustil, farář, Zlín.
 Neužil Innocenc, kapl. u sv. Magdal., Brno.
 Dr. Joannes Nevěřil, c. k. prof. rel., Uh. Hradiště.
 Dr. D. Njaradi, rektor grkokat. sjemeništa u Zagrebu.
 Dr. Innocenc Obdržálek, far., Bílovice.
 Jos. Ocetek, far. v Hevlíně na Dyji.
 Frant. Okrouhlický, děkan, Kopidlno.
 A. Ostrčilík, S. I., Sv. Hostýn u Bystřice p. H.
 Páleník Jos., koop. na dov., Velké u Strážnice.
 Aur. Palmieri, O. S. A. Roma.
 Praelat Dr. Ig. Panák, farář u sv. Michala, Olomouc.
 Šebastián Páral, far. v Pozořicích.
 Bedřich Pátek, koop., Louka u Znojma.
 Dr. Jos. Pazman, Canonicus Ecclesiae Colleg. S. Hieronymi Romae,
 o. prof. theol. mor. in universitate regia Zagrabiæ etc., delegatus
 Excell. archiep. coadiut. Dr. Ant. Bauer Zagrab.
 Vincenc Pecháček, far., Újezd.
 Pechuška Fr., kapl., Hostivař.
 Josef Pejška C. Ss. R. Obořiště.
 Jos. Peksa, farář, Jaroměřice.
 Reverend. Dom. Abbas Arsenius Pellerini e laura Grottaferrata (Roma).
 Jos. Pilát, bohosl. Praha (Tatouňovice u Benešova Č.).
 Ferd. Plachý, far. v Trčicích.
 A. Pospíšil, far., Fryčovice u Brušperka.
 Fil. Pospíšil, far., Kopřivnice.
 Frant. Pospíšil, spirituál kněž. semináře, Olomouc.
 Dr. Jan Pospíšil, kanovník prelát, Olomouc.
 Potáč Karel, bohoslovec, Brno.
 Emil. Procházka, prof. nábož., Brno.
 Jos. Rampulla, kaplan, Vel. Pavlovice.
 P. Ant. Rejzek, Velehrad.
 Miroslav Ripecký, stud. theol., Lemberg.
 Dr. Rostworowski, profess. universitatis Krakov.
 Ioannes Samsa, prof., dioec. Labacensis.
 Alfons Sauer, prof., Uh. Hradiště.
 Nikola Segedi, grkokat. župnik, Petrovci (Hrvatska).
 Dr. Jan Schneider, kap. děkan, Kroměříž.

- Ferd. Schubert, far. v Pruchné.
 Josef Skopal, far., Žitovice.
 Frant. Slepíčka, koop. v Březolupech.
 Smolík Franciscus C. Ss. R. Červenka na Mor.
 Snoj Andreas, Slovenus, Labacensis.
 F. Snopek, archivář, Kroměříž.
 Sopúch Ant., far. z Bratřejova.
 Fr. Stelè, Vídeň.
 Robert Stračka, far., Koryčany.
 Dr. Ant. Cyr. Stojan, probošt a posl., Kroměříž.
 Jaroslav Streit, novokněz, Studnice.
 Václav Strmiska, farář, Provodov u Luhačovic.
 Tomáš Strupek, kaplan v Semilech Č.
 J. Stryhal S. I., Hradec Králové.
 Dr. Georgius Suba, Capellanus Suae Sanctitatis ad hon., assessor
 S. Sedis Consistorialis, professor theologiae, delegatus Exc. Rev. D.
 episcopi munkacsensis r. g.
 Frant. Světlík, red. „Našince“, Olomouc.
 Rev. Dom. Epiphanius Šanov, episcopus Thessalonicae et vicarius
 apostolicus Macedoniae.
 Vincenc Ševčík, děkan a poslanec z Černé Hory (M.).
 Ign. Šidlík, koop., Hluk.
 Josef VI. Síma, boh., Praha.
 Dr. Janko Simrak, duhovnik u grčkokat. sjemeništu, Zagreb.
 P. Ad. Špaldák S. I., red., Praha.
 Doc. Jan Šrámek, poslanec, Brno, bisk. seminář.
 P. Frant. Šrom, coop., Prostoměřice.
 Josef Štastný, far. z Rozsoch (Bystřice).
 Kašp. Stojdl, prof. paedagogii, České Budějovice.
 Theo. Štrommer, coop., Těšnovice.
 Jos. Stříž, vikář, Olomouc.
 RR. D. Dr. Fr. Šulc, prof. theol. Hradec Králové, za nejd. bisk. Král.-
 Hrad.
 Prokop Šup, ř. sv. Ben., Rajhrad.
 Trdan, prof. Slovenus.
 Leonard Turdy, Assumptionista.
 Jan Urban S. I., Kraków.
 Rudolf Urban, novokněz z diec. Br.
 Metod Ustičkov, bulg. monach., professor in Fanaraki (Constantinop.),
 Turcia Asiat.
 Fr. Vaculík, kanovník, Kroměříž.
 Vincenc Vaněk, koop., Uherský Brod.
 Alois Vojanec, zámecký kaplan v Židlochovicích.
 Fr. Ser. Vojta, k. a. vikář a farář, Zlíchov u Prahy.
 Leontij Woronin, journalist, S. Petersburg, Newsky 153.
 Antonín Votoupal, boh., Brno.
 Ant. Vrtička, bohoslovec, Hradec Král.
 Jan Vychodil, assessor a děkan z Choliny.

Jos. Vychodil, farář, Oujezd u Luhačovic.

Jos. Vyvlečka, vikář, Olomouc.

Dr. Fr. Závrbký, kaplan u sv. Mořice, Olomouc.

Ig. Zavřel, far., Přerov.

Josef Zika, Ord. Crucig. delegatus, Hödnitz.

Zimola Karel, koop., Vážany.

Frant. Žaluda, farář v Dalečíně (Jimramov).

F. V. 27. Iulii h. 2³⁰ post meridiem invocato in ecclesia Spiritu sancto et animis bohémico cantu (Veni Creator a Chmelíček composito, Hvězdy dvě z východu a Křížkovský) delectatis Msg. Dr. Stojan, praepositus capituli Kremsiriensis, praesentes salutavit.

„Magno, inquit, gaudio affectus saluto tertium conventum unionisticum in locum ss. Cyrilli et Methodii sacrum congregatum. Utinam adimpleatur in hoc III. conventu proverbium illud: Omne trinum perfectum! In studiis nostris finem semper respicientes omnia evitabimus, quae impedire nostros conatus possunt. Excludimus omnem politicam, omnes quos vocant „panslavisticos“ conatus, excludimus qualemcumque formam modernisimi et, exemplar priorum conventuum Velehradensium, quorum formam et spiritum omnes noverunt, secuti sincere in opus sanctissimum incumbemus. Deus det nobis intercedente B. Maria V. et ss. Cyrillo et Methodio incrementa.“

Quae praefatus proposuit, ut Celsissimus archiep. olomucensis dr. Fr. Bauer, protector conventus appellaretur, ut Excellentissimus ac Illustr. D. Andreas Szeptycki, metropolita Galiciae r. g., morbo, quominus huic conventui interesset impeditus, honorarius praeses constitueretur; item ut Illustrissimus ac Reverendissimus D. Šanov, episcopus Thessalonicensis, honoris causa praesideret; porro, ut praeses, qui res conventus regeret, ipse proponens crearetur, cui ut negotium gerentes adiungerentur RR. DD. Špaldák, Fedoroff, Jašek.

Quibus rebus approbatis Celsissimus ac Reverendissimus Protector verba fecit.

„Laudetur Iesus Christus! Illustrissimi ac reverendissimi Domini, perdicti fratres mei sacerdotes! Qua episcopus loci omnibus Slavorum gentibus pretiosissimi, utpote sanctorum Cyrilli et Methodii vestigiis sacri praeprimis meum esse puto salutare vos, qui et dolore de Slavorum in re sacra scissione pulsati et studio reunionis eorum acti ex dissitissimis regionibus huc convenistis, ut unusquisque pro modulo suo conferat ad exsequendas illas communis nostri pastoris preces, quibus aeternum Patrem suum precatus est, ut sit unum ovile et unus pastor et ut omnes unum sint. Quapropter salvete, et iterum dico: salvete! Dum autem saluto vos, nihil magis exopto atque efflagito, quam ut Spiritus S. intercedente beatissima virgine Maria et ss. apostolis nostris Cyrillo et Methodio, mentem vestram illuminet, animos vestros confortet, numerum vestrum adaugeat, consultationes ac studia vestra dirigat et ad felicem exitum maturime perducatur. Dixi.“

Post haec Illustrissimus D. Šanov haec fere dixit:

„Excellentissimi et reverentissimi Domini et spectatissimi auditores! Nos omnes, qui gratia Dei in hoc conventu collecti sumus, venimus quærere illa media scientifica, moralia, practica et opportuna, quae ad unionem ecclesiarum restituendam valide deservire queant. Omnes itaque, Domini illustrissimi, conatus nostros publicos et privatos sub auspiciis B. V. Mariae ac ss. apostolorum Cyrilli et Methodii ponamus. Hi, qui ex Macedonia profecti purissimam fidei lucem ad Moravos attulerunt, nostri etiam protectores sunt et nobis obtinebunt, ut nobilem finem, quem nobis proposuimus, paulatim consequi possimus. Hic noster finis ad tria reducitur: ad unitatem in catholica fide, ad caritatem in dissensionibus, quae ad ritum et disciplinam tantum pertinent, ad bonum exemplum et orationem. Finis autem, ait Apostolus, caritas de corde puro et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium: Omnia itaque nostra plena esse debent spiritus ecclesiae, cuius spiritus spiritus Domini est, a quo tantum inspirari debemus in omnibus dissertationibus et deliberationibus nostris. Perspectum mihi est, vos omnes posse sincere Paulo dicere: nos sensum Christi habemus. Idcirco certus sum, hunc Christi sensum ex omnibus in hunc conventum collectis, quorum et anima una efformatur, spirantem omnia caelestia charismata ad bonum et aeternam salutem nostrorum Slavicorum fratrum necessaria obtenturum esse.“

Tertius locutus est Reverendissimus D. Arsenius, abbas cryptoferratensis:

„Una Vobiscum, Excmi Domini, RR. Patres. Catholicae fidem Ecclesiae profitentes, in ritibus orientalibus adservandis ferventes, unanimiter erga Orientalis Ecclesiae dissidentes fratres in caritate sentientes, eodem quo Vos ut Christi preces et vota, ut omnes unum sint compleantur desiderio fragrantés, Venerabilis Coenobii nostri Cryptoferratensis S. P. Basilii asseclae in hoc spectabili tam eximiorum Patrum conventu repraesentari laetantur et gaudent, et per me ac per confratrem meum Sophronium Vos, Venerabiles Patres, omnes Cryptoferratenses monachii salutant et Dei auxilia, fructumque cumulatam labores vestros allaturos esse adprecantur.

A Nilo Rossanensi sanctissimo viro e Graeca gente nato et catholicae orientalis Ecclesiae filio, Monasterium Cryptaeferratae conditum antequam Orientalis Ecclesia ab unitate dominica divelleretur, eo tempore quo orientales ritus in unitate fidei et caritatis quamplures Italiae regiones, ipsamque Romam exornabant, nunc unum prope suam sanctissimam aeternamque sedem Ecclesia Romana habet; tum veluti monumentum orientalium Ecclesiarum dignitatis tum veluti divinae Providentiae, quae sanabiles nationes fecit, pignus quod et animum Summorum Pontificum in adlaborando ut regnum Christi ubicumque terrarum in unitate restauretur, et spem sustineat quod tandem aliquando fiat unum ovile et unus Pastor.

Et Coenobio nostro, tot tantaque passo, decies saecularis existentia a Deo mirabiliter largita in bonum Ecclesiarum Orientalium, ut operam demus nobis suadet, cui accedit et exemplum Patrum nostrorum, qui nonnulla a Romanis Pontificibus mandata pro Ecclesiis orientalibus explevere, tum eorundem Pontificum paterna sollicitudo in iuribus Coenobii tuendis, in ritibus servandis.

Ex quo factum est, ut omnibus orientalibus eniteat sanctitatem eorum rituum et Ecclesiae Orientalis disciplinas et consuetudines integras in eis Romanam Sedem custodire ac tueri: Et merito; haec omnia unitati fidei minime adversantur, immo dum ornamento Ecclesiae Christi ipsa sunt, fidei catholicae divinam unitatem adfirmant; prout ipsemet Leo XIII in sua admirabili pontificia Bulla „Orientalium dignitas“ auctoritate amplissima adseruit et confirmavit.

Proximis vero hisce temporibus ut Monasterium nostrum causae Unionis sese magis ac magis devoveret, studium ac sollicitudo aucta sunt. Ex his integritas sacrorum rituum orientalium omnino restaurata, diligentia submovendi omnia, quae dissidentium fratrum sive scandalo sive admirationi favere possint, in rebus liturgicis ordinandis praesertim in ἀκολουθίαις ad genuinam formam revocandis sedula investigatio: et ipsa monastica Constitutio ad praecepta et regulas S. P. Basili proprio modo adaptata, et ad usus orientalis Ecclesiae quo fieri potuit modo revocata, Summo Pontifice Leone XIII auctoritate suprema sua adprobante. -- Huius repristinati vigoris initium fuit S. Iosaphat Unionis Martyris sollemnis in Sanctorum numerum adscriptio. E coenobio enim nostro tanta gloria Ieromartyri invicto promota fuit tum studiis, tum opere, tum stipe. Et repristinati vigoris semperque crescentis pro sancta Unione adlaborandi extrema monumenta sunt et Typographica Orientalis officina in Coenobio nostro fundata, et Periodicum „Roma e l'Oriente“ institutum, quod dum dissidentes fratres caritatis et veritatis stimulis ad unitatem revocare studet, Romae et catholicis latinis pariter, quae ad orientales Ecclesias spectant subministrare, ut sive ipsi in memoriam revocent sive et agnoscant et discant non omnino frustra conatur. Quod opus Vobis, RRm̄is Patribus, omnibusque Orientalibus sive nobiscum consentientibus in fide sive dissidentibus fervide commendamus ea praecipue causa, quia et in Graeco monasterio, et prope Romanam Sedem ipsum extat, quo fieri potest, ut Coenobium illud multiplicis actionis in bonum Ecclesiarum Orientalium activum centrum non immerito, omnibus adiuvantibus, evadere possit.

Haec de Monasterio nostro Cryptoferratensi in memoriam brevi expositione reduxi, ut Vobis patefiat quo animo, qua mente, quanta laetitia Velehradiensium Conventuum operam admiremur et quo eandem ferventissimo plausu prosequamur. Inter enim hos fraternos conventus et Coenobium saeculare nostrum maxima est convenientia. Unum desiderium, unum votum, unum propositum, una adlaborandi cum caritate voluntas, una in adlaborando constantia: agitur enim de causa tot tantisque rationibus quam maxime laboriosa, et quam plurimi temporum circumstantiis adiuti aut tamquam desperatam despiciunt aut sive ignorantia sive malitia plus minusve adversantur.

Ultro igitur ad Congressum istum convenimus, et nobis ac nostro Monasterio perillustris est gloria una cum Vobis Sanctae Unionis invictis propugnatoribus minimam operam saltem cum praesentia nostra Vobis praebere, ita ut una simul et proposita renoveantur et studia multiplicentur, et nostris dissidentibus fratribus novum testimonium demus quanto affectu, qua caritate illos omnes in unitate Christi et Ecclesiae suae amplecti desi-

deremus: et quanta diligentia et cura ut quam primum regnum Christi inter omnes adveniat nihil intentatum viribus collatis a catholicis relinquatur.

Hanc unitatem interim spectantes et in quantum est nostri operibus et votis eam maturantes adprecor, ut acceptare dignemini. Votum quod huic tertio Velehradensi Congressui submitto; cuius executionem unitatis in fide praecursorem futurum esse speramus.

Quod votum est:

Desideratur aliquod monasticum Institutum (potissimum Graeci ritus) cui munus attribuitur, traditionibus liturgicis et vetustis monumentis diligenter et sanâ criticâ perpensis, unicum, tum quoad preces tum quoad caerimonias Euchologii textum redigendi, ita ut - sublatis omnibus quae ritus integritati aut proprietati adversantur - omnes Ecclesiae ritum Graecum sectantes, unitatem et uniformitatem habeant in sacris peragendis et in omnibus iis quae ad cultum divinum spectant.

Hoc votum senatui Academiae Velehradensis deliberandum demandatum est.

Quo facto telegramma Excell. metropolitanae Andreae „morbo detenti“ lectum et responsum conventus a Celsissimo Protectore propositum ei missum est.

Deinde lecto telegrammate R. D. Goeken, parochi, („Confirmet hoc Deus, quod operatus est in nobis“), qui se conventui excusavit, R.D.Dr. Fedoroff legit, quae ille composuerat et conventui miserat quaerens „*Possitne fieri unio inter ecclesiam Romano-catholicam et Orientalem.*“

Quibus lectis R. D. Spaldák pro R. P. Claeys Bouuaert exposuit „*Quae sint psychologicae condiciones concordiae eorum, qui inter se de doctrina contendunt, restituendae.*“

Postea partibus conventus deliberaturi constitutis theoretica, cui R. P. Palmieri praeesset, et practica, quam Msg. Stojan moderaretur, spatium semihorae ad recreandos animos interpositum est.

* * *

Hora 5³⁰ pars theoretica convenit. Tum R. P. Palmieri hoc modo orsus est:

Praeter lectiones, ut fructus habeatur ex nostro conventu, necesse est tractentur quaedam quaestionēs particulares. Huiusmodi quaestiones necessariae sunt, ut penitus cognoscamus theologiam orthodoxam et, praesertim quod cuilibet liberum est verbum, maxime conferunt ad progressum scientiae et ad nostrum scopum. Quaestiones nostrae his diebus diligenter tractari incipiuntur et conventus Velehradenses haud minimam habuerunt partem in hoc progressu. Dantur quaestiones de theologia generali et has tractavimus in dogmatico opere nostro. Sed praeter hoc opus multae quaestiones particulares sunt, quae a viris doctis et eruditis, qui adsunt, tractantur. Inter huius modi opera satis habeo afferre praeclara studia de B. Mariae V. immunitate a peccato originali, quae R. P. Jugie scribit; datur praeterea praeclarum opus de Vladimiro Solov'ev, quod R. P. d'Herbigny scripsit; datur aliud opus, quod nunc R. P. Salaville absolvit, quod est de epiclesi;

de satisfactione P. Bukowski scripsit. Huiusmodi opera clarissime demonstrant nostros conatus praeclarum fructum tulisse. Sed, ut melius huiusmodi quaestionum intimam naturam cognoscamus, necesse est, quasdam quaestiones particulares familiari modo tractemus.

Prima quaestio proponitur de methodo tractandi quaestiones theologicas controversas atque inculcatur: protestantium modo non esse argumentandum. Quam exponet R. D. Fedoroff, qui ut Russus et propter studia sua optime cognoscit has quaestiones.

Tum A. D. Dr. Fedoroff *protestantium modo non esse argumentandum* his verbis explanavit:

Quaestio a me proposita est, ut aliquo modo enucleemus theologis orthodoxis, quam male iis sit, protestantico modo argumentari contra ecclesiam catholicam. Abhinc 40-60 annis in omnibus seminariis Russorum etiam latine inter se loquebantur alumni, quia habebant catholica manualia latino diomate conscripta, studia igitur aliquo modo characterem catholicum habebant. Sed postea versus 1860, cum seminaria in Russia reformari coepta sunt, superiores seminariorum et synodus petropolitana censuit valde periculosum esse, si seminaristae Russici libros catholicos in manibus haberent. Quare ex illo tempore malebant eos studere libris protestantium, ut haberent arma contra ecclesiam catholicam; neque enim tum eorum studia ita evoluta erant ut nunc. Quo factum est, ut non solum in seminariis, sed etiam in academiis spiritus ille protestanticus in dies cresceret. Brevi etiam Russici scriptores, ut Homjakov, Samarin, intellexerunt magnum illorum studiorum periculum, quia Russi, cum se ad sententias protestantium inclinarent, paulatim semet ipsos vulnerabant. Sumebatur enim aliquod argumentum contra ecclesiam catholicam, etsi hac ratione corruebat traditio, quod commune est ecclesiae catholicae et orthodoxae dogma. R. P. Palmieri in ultimo opere suo optime hanc rem illustravit; eius tentamen est singulare, pauci catholici hoc argumentum primis labris attigerunt. Necessarium igitur mihi videtur esse hoc periculum theologis orthodoxis a catholicis quam apertissime ostendi, id quod variis modis fieri potest. Ostendamus illis studiis protestanticis labefactari fundamenta theologiae ipsorum; velut cum in doctrina de gratia et de peccato originali, ut se aliquo modo distinguant a catholicis, verterunt se ad systema baiianum, ut Matulewicz ostendit in libello de doctrina Russorum de statu iustitiae originalis. Quam maxime autem ostendamus iis quam perperam sequantur protestantes, cum ut impugnent v. g. primatum Romani Pontificis, explicent eventus illos historicos primorum saeculorum et etiam ss. patres et illos summos pontifices, qui ab iis sancti habentur, tractent modo omnino protestantium proprio. Ut exemplum afferam, ostendendum est iis hoc modo: si ita procedunt, tacite agnoscunt, ecclesiam suam quae antiquitus erat pars ecclesiae universalis, per longum tempus fuisse in communionem cum illis patribus occidentalibus et illis pontificibus Romanis, quos nunc putant haeretica protulisse; tum autem contra talem haeresin ubivis diffusam orientalis ecclesia nihil conclamabat. — Similiter, ut quaedam argumenta de epiclesi sua vi privent, accurrunt ad criticam protestantium, etiam rationalistarum. Quae cum ita sint, theologo catholico, qui contra orthodoxos scribere volunt, primum fontibus studeant oportet, ex quibus illi argumenta contra ecclesiam catholicam sumpserunt, libris protestantium, ut

R. P. Palmieri in libro, quem scripsit, observavit. Hoc modo facile nonnullis persuadebimus, ita orthodoxis argumentandum non esse. Magnum certe emolumentum est, si ostenditur iis vel esse arma abicienda vel, si iis uti velint, protestantium principia esse amplectenda. Multi sunt, qui hoc ultimum certe non facient. Ergo iam aliqua ratio est, unde propius accedatur ad ecclesiam catholicam.

Ad haec R. P. Palmieri quaedam adnotavit:

Permitto mihi quasdam observationes. Dicitur protestantium modo non esse argumentandum. Protestantium methodus in hoc praecipue consistit, quod negat traditionem patrum et scripturam acceptat. Sed videntur mihi orthodoxi theologi etiam illi, qui liberales sententias proferunt, nullo modo hac protestantium methodo uti. Quapropter potius loquendum esse puto de solo influxu protestantico. Dictum est ab anno 1860 minui influxum aut usum linguae latinae in theologia russica. At iam multo ante a. 1860 exul facta est ex russicis seminariis. Manualia catholica initio saeculi XIX in usu fuisse. At contra mihi videtur esse, quod Antonius, Silvester, alii, qui 1805. 1826 manualia theologica orthodoxa ediderunt, innixi sunt scriptoribus protestanticis. Omnis schola theologica Russorum a Theophane Prokopovič, qui nihil aliud expressit quam protestanticas sententias Gerardi et Callisti, profecta est. Quod dictum est theologos orthodoxos in doctrina de gratia sequi protestantes et declinare a catholicis verum est. At non agitur solum de baianismo; theologiae catholicae exprobratur etiam quod infecta sit pelagianismo, sicut praedicat Běljaev. Etiam de quaestione primatus, in qua orthodoxos sententias et methodum protestantium sequi dicitur, quaedam adnotanda sunt: Eadem sunt argumenta in theologia orthodoxa nova atque in antiqua: eadem, quae protestantes adhibuerunt argumenta, semper in usu fuerunt: verba Scripturae ad primatum pertinentia perperam explicabantur, testimonia patrum in sensum a scriptoribus catholicis diversum trahebantur. Quapropter non videntur mihi theologi orthodoxi sequi methodum protestantium, sed dicendum est: 1) propter magnam copiam librorum, quibus protestantes abundant et 2) propter neglectam a Russis theologiam speculativam nostra aetate protestantes influxum exercent in theologiam orthodoxam, tamen hic influxus nunquam tantam vim habebit, ut illud, quod vitale est in theologia orthodoxa et vinculum cum catholica doctrina, destruat. Nam supremum principium theologiae orthodoxae est: praeter Scripturam datur alter fons: theologia patristica. Verum est Theophanem Prokopovič hoc negasse, solam Scripturam admisisse. Sed etiam eius discipuli, ut Silvester, hoc reiecerunt. Datur igitur influxus protestanticae theologiae, sed non datur usus methodi.

Ad haec R. D. Fedoroff respondit:

R. P. Palmieri theologos Russorum primatum ita tractare existimat, ut influxum subeant, methodum protestantium non sequantur. Sed satis est inspicere opera a Lebedev conscripta, qui de divisione orientalis ecclesiae ab occidentali et de conciliis oecumenicis exponit, ubi s. Leonem M. omnino ut merum hominem tractat, non proprio Marte, sed re a scriptoribus protestanticis petita. Aliud opus prof. Myšcyn de evolutione dogmatum tempore conciliorum oecumenicorum plenum est sententiarum haustarum e fontibus protestanticis et sequitur rigorosam methodum protestantium liberalium ita,

ut aliquos sanctos patres non modo non honorifice tractet sed carpat, ut protestantes facere solent. Tales scriptores non admittunt amplius pragmatismum theologicum, maxime cum agitur de ecclesia et Romano pontifice. Ibi nihil aliud vident nisi luctam historicam neque ss. pontifices aliter tractant uam ut meros homines. — In doctrina de gratia catholicos ab orthodoxis accusari etiam pelagianismi verum est; at hoc non exclusi. — In manualibus Silvestri et aliorum nego adhibitos esse solum auctores protestanticos. Velut Silvester allegat etiam s. Thomam, Bellarminum, Petavium, alios, etsi non ita sicut ii, qui exeunte saec. XVII et ineunte XVIII fuerunt, velut Demetrius Rostoviensis, qui fere solum catholicos auctores adhibebat. Quae de influxu priore protestantium dicta sunt fortasse distingui possunt: etiam s. XVII - XVIII in lucta illa inter Graecos catholicos Ruthenos ac Polonos et inter Russos iam videri potest, quomodo Russi orthodoxi argumenta sua petant a protestantibus; sed ibi non potest videri influxus perpetuus; petunt ideo tantum, ut respondeant difficultatibus; sed contra nunc evasit hoc iam quasi principium, ut more protestantium catholicis respondeant; velut in doctrina de gratia, quae naturalisticae explicationi appropinquat. Deinde theologi nonnulli, cum ex Germania revertuntur, ubi instituuntur in universitate protestantium, non solum sentiendi et loquendi modum illorum secum afferunt, sed etiam illorum principiis imbuti sunt. Si verbum methodi non placet, fortasse dicam esse inclinationem, instinctum, quo feruntur, ut more protestantium nobiscum agant. — Quod linguam latinam attinet fortasse non ita bene expressi quid sentiam. Modo „officiali“ iam antea sublata erat; sed remanebat in usu privato, velut in discursibus, qui latina lingua scribebantur et ab alumnis pronuntiabantur in sessionibus. Etiam hi discursus tandem sublatis versus a. 1890 sicut et studium linguae latinae valde diminutum est. — Quare si non possumus loqui de methodo protestantica, acsi nunc a Russis recepta sit, tamen quod teneo est: inveniri inclinationem more protestantium argumentandi, quae invasit nostris temporibus.

R. P. Jugie haec animadvertit:

Hanc controversiam facile posse componi puto: In ecclesia russica adsunt, qui methodum protestanticam sequuntur. et adsunt, qui magis catholicae fidei appropinquant. Non adest magisterium ecclesiasticum et sunt ibi quasi tot sensus quot capita. Ideo cum loquimur de theologis Russicis, non possumus loqui in globo; sunt magnae differentiae inter eos propter magnam libertatem quam habent de rebus theologicis loquendi. — Quod dixit R. P. Palmieri de influxu protestantico s. XVIII. verum est; credo minorem esse nunc quam saec. XVIII. et initio s. XIX. Nunc enim habemus praeter protestantizantes etiam catholicizantes.

Ad haec R. P. Palmieri respondit:

Tota causa videtur esse haec: methodus protestantica est negatio traditionis. Atqui non datur ullus theologus Russus, qui audeat typis mandare opus, ne latenter quidem, ubi illud principium neget. In corde illi quidem sunt protestantes, sed de hac re non possumus iudicare.

Tum R. P. d'Herbigny haec monuit:

Fortasse quaestio clarior fiet, si distinguemus varia genera theologica: vel agitur de exegesi vel de dogmatica. Puto multos sequi methodum prote-

stantium in exegesi; item in critica patrologiae; indicio est quod multi professores in Russia nunc de dogmate non curant, sed solum de expositione exegetica vel patristica; et sic sequuntur methodum protestanticam non antiquam sed recentem. Etiam ii, qui dogmatis student, potius quam ad aliquid firmum stabiliendum nitantur, methodo protestantium utuntur, quae destruit. Sed nunc pauci student dogmatis.

Post haec acrius disputatum est.

R. P. Palmieri: Sed haec, inquit, dicenda sunt de provincia exegetica et patristica. Sed ne in his quidem scriptis unquam negant traditionem.

Tum R. P. d'Herbigny: Sed silentio praetereuntes ea quae necessario sunt e traditione explicanda, efficiunt acsi traditio non sit; cum de modo argumentandi protestantice in variis disciplinis loquimur, animadvertendum est etiam exegesis esse disciplinam theologiam; in ea autem methodus protestantica magis elucet.

Ad haec R. P. Jugie addidit: Si de influxu protestantium in dogmaticam agitur, non possumus eum influxum restringere ad solam dogmaticam disciplinam, sed ad omnes disciplinas theologicas pertinebit. Nam apud Russos quid in theologia dogmatica habetur nisi compendia aut aliqua opera specialia, ubi positivo modo aliquod dogma tractatur. Ut opiniones eorum theologicas cognoscamus, quaerendum est etiam in exegeticis et historicis libris.

Tum R. P. Palmieri: Hoc dixi, inquit, : speculativa theologia non datur.

Quare? inquit R. P. Jugie. Propter pericula, quae imminent ex his rebus tractandis. Cum sit protestans in corde — non potest scribere dogmaticam et negare infallibilitatem conciliorum. Sed cum leguntur opera eius exegetica vel historica, bene perspicit lector eum protestantica sentiendi ratione esse imbutum.

Ad haec R. P. Palmieri: Tota quaestio videtur mihi esse de verbis. Praefero ut loquamur de influxu theologiae protestanticae non de methodo protestantium, saltem in theologia dogmatica.

Tum R. D. Fedoroff: Volo, inquit, hoc animadvertere: optima videtur esse distinctio R. P. d'Herbigny. Theologi Russorum aliquando sequuntur protestantium methodum vel se positivo modo inclinantes ad protestanticam sentiendi rationem vel nihil dicendo de traditione, ubi dicendum. Sed si R. P. Palmieri insistit in hoc, quod numquam negatur a Russis principium traditionis, — nuper denuo editum est opus, quod multum divulgatum est in Russia, celeberrimi professoris Tarëev, de fundamentis religionis christianae, ubi traditionem omnino negat, nec solum traditionem sed etiam ullam partem scripturae, quae sit extra quatuor evangelia, esse fontem religionis christianae.

R. P. Palmieri: Tarëev nunc iam non est professor.

R. D. Fedoroff: Sed influxum habet.

R. P. Palmieri: Videndum, quomodo iudicet ecclesia: Synodus Petropolitana iudicavit opus Tarëev non esse orthodoxum. Sed etsi ecclesia non iudicasset, ex uno non potest iudicium in genere fieri.

R. D. Fedoroff: Sed si ipse unus ausus est rem proponere clare et aperte, multi hoc faciunt alio modo: tacent omnino de traditione, ubi est necessarium eam afferri; velut in exegesi multo maiorem vim tribuunt disquisitionibus historicis et aliis quam patristicis.

R. P. d'Herbigny: Nonne influxus protestantismi magis sentitur in Graecia quam in Russia? -- Ibi maior libertas, maximus influxus.

R. D. Fedoroff: Diomedes Kyriakos!

R. P. Jugie: Graeci parum student dogmatis; unum compendium de theologia dogmatica est compositum; professores sunt plus minus protestantes. Sed de influxu protestantismi in ecclesia graeca non est ita timendum: non curant de his rebus. Aliud est in Russia.

R. P. Palmieri: Dicendum credo: Desiderandum est, ut in theologia polemica nos ipsi ostendamus methodum protestanticam esse contrariam doctrinae orthodoxae; debemus iis ostendere, dum more protestantico contra nos argumententur, destruere eos principia sua.

R. D. Malinjak: Facta non fingenda sed probanda sunt. Hic multum dictum est sed parum concrete et antiqui scholastici hoc scite dicebant: latet dolus in generalibus, nihil perfectum nisi in particulari. Et hic de particulis admodum parum allatum est. Deinde scholastici dicebant: Distingue et bene docebis: distinguendum inter academias et doctores: in Russia sunt academiae, quae admodum inclinabant ad catholicismum, aliae vero versus protestantismum. Talem distinctionem facientes non erimus iniuriosi in ecclesiam russicam. Notemus auctores et locos et videamus utrum protestanticam rationem sentiendi exhibeant an solum minus exacta locutio adhibeatur.

Post haec R. P. Palmieri conclusit: hanc rem esse in votis et transitum est ad illud: *diversitatem inter systemata et dogmata esse ostendendam*, quod sic exposuit R. D. Fedoroff:

Ob brevitatem temporis solum hanc rem notare volo: apud theologos orthodoxos nonnumquam confunditur systema cum dogmate catholico. Cum agitur de gratia et praedestinatione et de illa lite, quae inter duas scholas: Iesuitarum et Dominicanorum intercedit, has sententias tractant ut expressionem dogmatis catholici. Quare illi, qui favent magis systemati Dominicanorum ecclesiam catholicam pelagianismi accusant uti Dominicani hoc crimine Iesuitas accusare consuerunt. Illi, qui magis favent systemati S. J. ecclesiam catholicam calvinismi accusant. Proinde, ut res magis enucleetur, ostendendum nobis est, in ecclesia catholica liberum esse in rebus, quae ab ecclesia definitae non sunt, loqui; id quod illi aegre intellegunt.

Ad haec R. P. Palmieri animadvertit:

Sed haec non solum theologis Russis exprobranda sunt, sed etiam occidentalibus, qui inter se pugnantibus varia systemata pelagianismum vel calvinismum vocant. Russi haec eadem sumunt e catholicis.

R. P. Jugie monuit:

Dicendum mihi videtur haec non fieri in genere: aliqui theologo Russi confundunt systemata et dogmata, alii non confundunt.

R. D. Fedoroff utrique occurrit:

Discrimen est inter catholicos inter se proeliantes et orthodoxos pugnantibus cum catholicis. Illi sententiam suam non putant esse dogma definitum, hi sententiam theologorum pro dogmate habent et ipsi ecclesiae ascribunt, non scholae soli. Praeterea licet sint etiam orthodoxi, qui optime intellegunt

hanc distinctionem, confusio aliorum, qui rem non intellegunt vel intellegere nolunt, adeo excrevit, ut etiam in manualibus theologiae polemicae, quibus Russi in seminariis utuntur, eiusmodi capita iam ponantur ut discrimen inter orthodoxos et catholicos, velut de peccato originali. Igitur systema et dogma confundunt.

Cum iam sero esset, aliae quaestiones in posterum dilatae sunt.

* * *

Postero die, hora 6. sacro sollemni celebrato, h. 8. conventum salutaverunt R. ac magnif. D. Dr. Jos. Pazman (qui 1. nomine ordinarii sui Exc. D. Posilovič, qui ut conventum iuaret, centum coronas*) donavit, et eius coadiutoris Ant. Bauer, 2. nomine collegii professorum Zagrabiensis facultatis theologiae Francisci Josephi Imperatoris, 3. nomine societatis catholicae [Hrv. kat. kasino] Cels. Protectorem et Exc. metropolitam Andream omnesque socios laboris, eorum amorem et zelum laudans, salutavit atque omnia caelestia dona, maxime fructum conatibus respondentem conventui exoptavit) et Msg. Dr. Šulc (qui ut ordinarii sui, ep. reginohradecensis Dr. Jos. Doubrava delegatus, cuius benedictionem conventui detulit quemque simul excusavit, atque etiam nomine collegii professorum seminarii reginohradecensis largam benedictionem conventui apprecatus de Bohemorum, ad quos Fratres thessalonicenses venerunt, munere ac momento in unione ecclesiarum praeparanda – Dominum enim regere nationes – verba fecit.)

Postea R. D. Malinjak legit *de ecclesia Russa-orthodoxa a Ruthenis adiuvanda et quid hac in re sit sperandum et desiderandum.*

A lectione R. P. Palmieri interim abstinendum esse Msg. Stojan dixit, cum materia sit ea, ut audientium animos nimis defatigaret; eam tamen typis mandatum iri in Actis conventus.**) Quaerendum sibi ille proposuerat *num doctrinae catholicae de satisfactione iuridismus esset obiciendus.*

Post R. D. Malinjak R. P. Jugie legit *de precibus pro ecclesiarum reconciliatione fundendis.*

Animorum recreandorum causa lectae sunt postea salutationes conventui missae.

Conventum salutarunt litteris:

Em. Leo cardinalis Skrbenský, princeps archiepiscopus pragensis, epist. et telegr. (excusat se).

Exc. archiep. zagrab. coadiutor Dr. Ant. Bauer (excusat se).

Exc. archiep. Albae Iuljensis (Blasii) Victor Mihályi (excusat se).

*) R. D. J. Vychodil mille, prael. Pospíšil mille, Celsiss. Protector tribus milibus coronarum conventum donarunt.

**) In epistula 5/X missa P. Palmieri scribit: „De illa dissertatione nihil amplius habeo. Melius est, si non edatur, eo magis, quod valde displicuerunt mihi novae quaedam tendentiae.“

- Exc. episc. ragusinus Iosephus.
 Exc. episc. brunensis Paulus (excusat se).
 Exc. episc. segniensis Rochus (excusat se).
 P. Matthaeus Kordum O. F. M. episc. electus antibarensis et primas Serbiae (Sebenici).
 Ant. Papp, protonotarius apost., vicarius episc. munkácsensis (excusat Exc. episc. munk. Iulium Firczák).
 Jos. Šnidaršić, Vicarius generalis (excusat Illustr. D. Rochum Vučić, episc. segniensem et modrušienssem).
 RR.D. Wołoszyński pro Consistorio episc. Premisliensis (excusat Exc. episc. Constantinum Czechowicz).
 Capitulum segniense et modrušiensse (Praepositus segniensis: Šnidaršić, modrušiensis Cvetko; canonici Lorbek, Vidas, Vršić, Crnobrat; consiliarius Kugler; prof. Dr. Starčević).
 Collegii Germanici et Hung. alumni (Ios. Matocha archidioec. olomuc., Jan Ševčík archidioec. olom.; Stjepan Sakač archidioec. zagrab.; Georg Hofmann archidioec. bamberg.; Petar Brandt; Andr. Živković dioec. bosn. syrm.; Boh. Petrželka dioec. brunensis).
 Katolický národní klub (Hruban, Kadlčák).
 Krainburgenses: Koblar decanus; prof. Dr. Fr. Perne; E. Rakovec; Sitar (excusant se).
 Kružok sv. ap. Pavla sacerdotum Olescensium.
 Luhačoviciensium thermarum hospites: Ludv. Kirsch, prof. ve Znojmě; Ant. Faltýnek, kaplan v Pípeřích u Turnova; Kašp. Štoidl, katech. česk. paedag. v Č. Budějovicích; Al. Hlavinka; Karel Král, farář v Lužci; Jos. Barták, děk. v Uh. Ostrohu; P. Frant. Hoppe Ord. Crucig. farář v Praze; Dr. Fr. Teplíček, far. v Břestě; P. Gerard Pospíšil O. S. B. farní administr. v Orlové, diec. vratisl.; Ig. Milčinský, kaplan v Dobrovici, diec. litom.
 O. Minorum provincialatus, Zara (excusat se).
 Posonienses: F. Juriga, F. Skyčák, Fl. Romanek.
 Singuli: F. J. Antl, parochus americanus, Thermis Carolinis
 Dr. Bocian, Leop. (excusat se)
 Nicolaus Ma Dobrecich, parochus Cetinii, Montenegro.
 Alexander Dombrovski, s.theol. magister, periodici lithuanici „Dran-gija“ moderator (excusat se)*)

*) Ex eius epistula haec afferimus: Proh dolor hoc anno gravibus negotiis impeditus Congressum Velehradensem adire corporaliter non potero, quamquam animo omnibus in Congressu Velehradensi unioni Ecclesiarum adlaborantibus intime unitus esse non cessabo. Volvens enim memoria praeclarum Christi mandatum, „ut omnes unum sint“, Christianismi unitatem semper censeo esse illud „unum necessarium“, quod Christus expresse docuit, quod tantopere desideravit, quodque a Patre suo caelesti ardenti oratione imploravit. Unde quod plures in mundo christiano divisiones oriri conspicio, eo major mihi videtur unionis Ecclesiarum necessitas. Nam si omnia ad majorem Dei gloriam a nobis facienda sunt, certe christiani, uti Christi non divisi sequaces, semper studere debent, ut et ipsi per fidem uniti una voce et uno corde laudent et confiteantur suum summum Pontificem, Regem et Prophetam, Christum Dominum. Etenim Christum unam Ecclesiam τὴν Ἐκκλησίαν instituere voluisse etique firma fundamenta personaliter posuisse, vix est hodie inter Christianos non modernistas qui id neget. At cum Deus ordinarie agere in mundo non solet nisi per ho-

- prael. Gerzabek, Kramsach in Tirol (excusat se).
 Vas. Goeken, parochus.
 M. Hališčyňskij O. S. B. M. (Zakopane)
 Dr. Hohnjec (Marburg)
 prael. K. Jaenig, Praga, Skalka (excusat se)*
 prof. Dr. Janežič, praeses Apostolatus Slovenici
 Ks. J. Londzin (Wien, Reichsrat)
 Kolísek (Blansko) (excusat se)
 Juljen Kozak, Innsbruck, Maximilianstr. 28 (excusat se)
 P. Iacobus Kukliński Rector C. R. Viennae III Rennweg 5 (excusat se)
 prof. Dr. Lukman (Marburg)
 Jan Motl, farář, Velhartice
 Dr. Leon. Puciała, Roma, Colleg. Germ. (excusat se)
 Grigorij Račinskij, predsědatel' religiozno-filosofskago občestva pamjati
 Vl. S. Solov'eva (excusat se)
 Rihar decanus Lítiae (Carnioliae)
 P. de Rosière, secretaire du Conseil Central de Lyon (excusat se)
 protoier. Ryžkov, Thermis Carolinis (excusat se)
 Dr. K. Slavík, prof. bohosl., Č. Budějovice (excusat se)
 Fr. Stadler, parochus, Gross-Wetzdorf
 Ks. Jan Stefanowicz, Leipzig, Alexanderstr. 15/IV.
 Dr. Basilius Suciú, Blasii (excusat se)
 Dr. Ottoc. Tauber, catech. Friburgi in Helv.
 prael. Dr. Jos. Tumpach
 Dr. Jos. Vajs, kaplan v Týně (Praga) (excusat se)
 Ig. Wurm (Olomouc)
 prof. Dr. V. Zapletal O. P. (Friburgi)

Horum salute nuntiata prof. Dr. Šimrak legit *de impedimentis unionis graeco-orientalium cum sede romana in regno Croatiae et Slavoniae*.

Postea Msg. Dr. Stojan Celsissimo Protectori abituro gratias egit et ut favorem suum in conventus velehradenses conservaret,

mines, et cum tali pacto in Ecclesiae aedificatione partes haberet non solum omnipotentia divina, sed etiam fragilitas humana, ideirco non defuerunt causae, quae praeclearam Ecclesiae Christi ideam sensim sensimque obscuraverant occasionemque haud raro dederant quam plurimis iisque dolendissimis discordiis divisionibusque. Unde iis qui hisce divisionibus tollendis ac pristinae unioni restaurandae operam dant, ante omnia incumbit onus solvendi fundamentale christianismi problema, videlicet — Quid est Ecclesia iuxta mentem Christi? Estne illa ens quoddam in esse, absolute perfectum, nulla ulteriore perfectione egens, semper in eodem statu permanens, adinstar cuiusdam petrae immobilis absque ulla vita et incremento, aut quoddam corpus mysticum, realem vitam habens et abundantius habens — et proinde ens simul in esse et in fieri, nondum omnibus numeris absolutum, sed qua tale continuo ad „aetatem plenitudinis Christi“ sensim sensimque progrediens, uti duplici principio — statico et dinamico subiectum. Quodsi haec ultima consideratio vera esse agnosceatur, inquirendum erit ulterius, quid adhuc Ecclesiae desit, ut illam supradictam aetatem plenitudinis Christi assequi queat? Quae sunt viae ad hanc plenitudinem ducentes, quaeque historica, canonica, dogmatica aliaque obstacula hanc

*) Plura hic quoque conventui scripsit. Quae ut minus apta omittenda esse RR. aep. Ordinariatus pragensis iudicavit.

rogavit totusque conventus eum salutavit. Ipse Cels. Protector conventum valere iubens haec dixit:

Illustrissimi Domini ac praecari omnes, qui hic praesentes estis. Prima verba mea ad vos erant verba salutationis; salutavi vos ex intimo corde et magno cum gaudio. Verba quae nunc proferre volo, pronuntio cum quodam dolore. Discedendum est mihi ex hoc conventu, quia praesentia mea necessaria est Olomucii, ubi, prout scitis, paratur maximus conventus catholicorum ex Bohemia, Moravia, Silesia — eorum, qui sunt linguae bohemicae. Conventus hic proxime incipiet et die Assumptionis finem habebit. Discessurus e toto pectore et ex intimo corde gratias innumeras ago omnibus, qui conventum huncce tertium unionisticum praepararunt, qui ad eius, ut puto, non inanem exitum adlaborarunt et qui parati sunt in futuro quoque adlaborare. Inter media ad finem audivimus esse praecipue preces, quas pro hoc eminenti fine faciemus ad Deum et per varias congregationes, variis modis, variis locis Deum precabimur pro felici exitu. Inter haec media nominatus est etiam Apostolatus ss. Cyrilli et Methodii. Eum in finem Apostolatus suo tempore creatus est — maxima opera praesentis Msg. Dr. Stojan — ut inter Slavos quoad regionem dissitos unio tandem instituat. Apostolatus hicce, diffusus iam per aliquot dioeceses, consistit in oblationibus, attamen maxime in precibus ad B. Virginem et ss. Apostolos nostros. Propterea loquor de hac re, quia Apostolatus etiam variis facultatibus a Sanctitate sua instructus est, quibus sacerdotes possunt devotionalia varii generis benedicere; et heri accepi prolongationem huius facultatis iterum ad triennium. Bene congruit hoc medium nobis commendatum cum suis facultatibus, quae studium et zelum imprimis in sacerdotibus excitant, ne unquam a precibus desistant pro fine tam eximio.

His dictis omnes praesentes ad conventum universalem catholicorum Bohemorum olomucensem invitavit et momentum eius explicavit. Benedictione impertita discessit.

Hora 11 pars de quaestionibus in agendo positis deliberatura convenit.

Ac primum R. P. Špaldák proposuit, ut *in propositis exsequendis ab ipso conventu ordo aliquis statueretur*, quid primum,

plenitudinem retardantes aut plane impediens. En, ni fallor, quaestiones praecipuae et solae, a quibus plane pendet successus in suscepto a vobis praeclaro Christianae unionis restaurandae labore. His quaestionibus feliciter solutis, reliqua omnia sua sponte adicientur. Et e contrario hoc fundamentali problemate, uti decet, non dilucidato, grandis Congressuum Velehradensium labor inutilis et vanus remanebit. Et reapse, quomodo unio Ecclesiarum perfici poterit, si ipsius Ecclesiae conceptus alius est apud orientales orthodoxos, alius apud occidentales protestantes, alius denique apud nos catholicos. Immo etiam inter ipsos theologos catholicos nondum viget plena atque perfecta hac in re unitas, cum fere unusquisque eorum alias atque alias in suis tractatibus definitiones Ecclesiae proponat. Prae tanta Ecclesiae definitionum varietate, maxime apud heterodoxos, labor, dieatus aedificationi Ecclesiae venturae, plenitudini aetatis Christi plenius respondentis, nonne similis erit labori eorum „filiolum hominum“, qui turrim babelicam construere conabantur? Quapropter, ut Congressuum Velehradensium laudabiles conatus felici coronentur fine, mea opinione, iterum iterumque recurrendum est ad illud supradictum fundamentale problema: Quid sit Ecclesia? Quae sit eius natura, notae, jura etc. Estne possibilis vera Ecclesiae definitio, nullo habito respectu historiae, orientalis orthodoxismi, occidentalis protestantismi etc.

quid post esse exsequendum. Nam non omnia eiusdem momenti esse et facile fieri posse, ut ea, quae maximi momenti essent, neglegerentur, si omnia exsequi vires collegii delegatorum superaret. Hoc propositum sine disceptatione approbatum est.

Deinde prof. Dorożynskij proposuit, *ut nostrorum conatuum ac laborum fructus, quos ad id temporis adepti essemus, i. e. reales condiciones, sub quibus nostra quidem sententia unio inter Occidentem et Orientem ad finem perducī posset, in unum colligerentur et una cum litteris ad id consilium accommodate confectis, singulis ecclesiis orientalibus mitterentur atque ab iis peteretur, ut quid hac de re sentirent, aperirent.* Quod propositum hac ratione explicavit:

Quattuor anni praeterierunt ex eo tempore, quo quaestio Ecclesiarum unionis scientificis disputationibus in Velehradensibus conventibus tractata est. Reapse per exiguum esse videtur illud spatium temporis, si cum eo comparatur, quod necessarium est, ut haec tam gravis quaestio ad finem perducatur ac decernatur; ut Ecclesiarum discidium pluribus saeculis factum est, ita pluribus quoque saeculis opus esse videtur, ut eadem uniantur. Nihilominus tamen, ut posteriores labores nostri meliores ac maiores fructus ferant, iam hodie disquiramus necesse est: 1^o qui sint ad id temporis nostrorum contentionum ac laborum fructus, 2^o possintne Velehradenses conventus areopagus existimari, qui viam inveniat atque monstret ad unionem Orientis et Occidentis ducentem?

Quod priorem, quam posuimus, quaestionem pertinet, affirmative respondendum est. Quod Actis primi et secundi Velehradensis conventus probatur, in quibus ratione scientifica nec non vero cum caritate ac tolerantia omnia illa quibus Ecclesia orientalis et occidentalis inter se discrepant plus minusve explicata sunt — quin etiam definitae condiciones allatae sunt, sub quibus unio cum Ecclesiis orientalibus fieri possit.

Quod vero posteriorem, quam supra protulimus, quaestionem attinet, non sine quadam dubitatione affirmative respondendum esse puto.

Iam unionis definitio desiderat, ut non una sed duae partes proportionalem in modum repraesentatae illas condiciones discutiant, sub quibus unio inter eas fieri possit, ut non una sed utraque pars viam quaerat, quae ad unionem perducatur. Iam vero primo conventui interfuerunt catholici, orthodoxi aberant; in secundo conventu catholicorum numerus fuit 180, orthodoxi vero aderant solum duo iique non ex Russia sed e Germania; hodie sumus circiter 200, ex altera parte — nullum videmus theologum! Qua de causa quid aliud Velehradenses conventus reapse esse videntur, nisi catholicorum congressus, qui de unione orientalium sine orientalibus disputant, de iis sine iis deliberant? (Orator deinde queritur neminem ex Russia venisse quia haec res impedimento est, quominus maior fructus ex conventibus capiatur. Praeterea queritur in invitandis theologis ad conventum solum Russorum habitam esse rationem, alias ecclesias orientales esse neglectas. Pergit autem sic exponere).

Ex eo, quod *solum* Russiam adhuc respeximus, multa alia mala secuta sunt. Etenim non recte intellecti sunt conatus laboresque Velehradensium conventuum, qui Ecclesiarum unionem spectant. Auditae sunt opiniones.

quae falso nostram actionem explicant, non modo orthodoxorum, sed etiam -- quod maxime dolendum est -- catholicorum. Sic e. gr. in russica ephemeride „Strannik“ ex anno 1909. scriptum est, Velehradenses conventus finem sibi unicum proposuisse mutuam Slavorum necessitudinem, unionem autem modo medium esse, quo ille assequendus esse putetur; aliae ephemerides plenae sunt adhuc admonitionum et opinionum, Velehradensium conventuum finem praecipuum esse, orientales in ritum latinum convertere; sacerdos catholicus in polonica ephemeride „Świat“ ausus est contendere, nos panslavismum promovere et Slavos russificare nobis proposuisse (!).*) Quae omnes criminationes cum ab Excellentissimo Praeside secundi conventus satis refutatae sint, supervacaneum est de illis plura disserere, potius ad rem ipsam transeamus.

Etsi verum est, post casum Constantinopolis maxime respiciendam esse in decernenda unionis quaestione Russiam, cui Солов'ев partem arbitri destinavit, tamen illud negari non potest, omnem, rerum Russiae ecclesiarum peritum, fateri oportere, donec russicae nationi ibi nulla sit potestas in rebus conscientiae suae decernendi, tam diu defuturam esse ibi gravissimam condicionem ad quaestionem unionis diiudicandam necessariam, quia non edictis imperii, sed „corde creditur ad iustitiam“ (Rom. 10, 10)!

Nolumus fratres nostros caros accusare eoque minus, quod hic absunt, silentio tamen praetermittere nonnullas res non possumus, quae historia nituntur: a. 1839 sublata est unio Bresciensis; a. 1878 adductus est noster graeco-catholicus episcopus Chelmensis, ut episcopalem sedem suam relinqueret vi, quae ultimum unionis propugnaculum evertit; accedit, quod etiam ad hoc tempus Russi ex protestanticis fontibus catholicismum noverunt, in quibus vox veritatis odio obtunditur. Vox clarissimorum virorum ut Gagarini, Galicini, Solov'evii, qui Ecclesiam suam solum per unionem cum Roma renasci posse opinabantur, fuit illius „clamantis in deserto“ (Marc. 1, 3).

Nonnulli occidentales putant quidem, vocem illorum primorum unionis praekonum haud irritam fuisse, immo vestigia in magno imperio reliquisse, nam permultae illustriores familiae russicae ad catholicismum se applicaverunt. Haec autem opinio opinio erroris est, nam illae familiae, postquam in catholicismum transierunt, non retinuerunt orientalem ritum suum, sed eum in latinum mutaverunt -- huius vero ritus mutationes, quae extremis temporibus persaepe fiunt in Russia in amplioribus ordinibus, apud nos in Galicia in ordinibus inferioribus, ideae unionis non usui, sed detrimento sunt, quoniam fortasse etiam invitos imperitos ad illam falsam opinionem perducunt, unionem nihil aliud esse nisi conversionem in latinum ritum. Nihil autem nocentius est in decernenda Orientis unionis quaestione, quam omnia experimenta aut studia in ritum latinum converti. Quod optime Summi Pontifices intellexerunt, cum edicerent: „volumus ut omnes catholici, sed non latini fiant“, aut „Oriens Orientalibus“, id quod manifeste expressum est

*) Alius sacerdos catholicus in libello polonica lingua scripto „Na Rusi galicyjskiej schyzma się gotuje“, quem libellum rever. auctor dedicavit „catholicis et orthodoxis patribus tertii conventus Velehradensis“ (!) aperte dicit: finis catholicae propagandae non unio debet esse, sed conversio orthodoxorum in latinismum.

in constitutione Leonis XIII. de orientalibus Ecclesiis de die tricesima Novembris 1894. anni.

Forsitan futurum concilium ecclesiasticum in Russia, quod animos eorum omnium, qui reformationem Ecclesiae russicae necessariam existimant, magna spe replet, fundamentum ideae unionis ponet — sed antequam id fit, satius esse opinor nostros scientificos fraternaeque caritatis plenos conatus ac labores non ad septentriones, sed ad orientem, non ad unam, sed ad totum numerum Ecclesiarum orientalium dirigere. (Iamque ostenso numero ecclesiarum orientalium et commercio inter ecclesias concludit:).

Forsitan Velehradensium conventuum vox scientiae, caritatis pacisque facilius perveniat eo, ubi praeclari illi Ecclesiae graecae sancti propugnatores vixerunt et operati sunt ut Athanasius M., Basilus M., Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus — eo, ubi ad Domini sepulcrum primus martyrum sanguis profusus est — eo, ubi Paulus et Barnabas super paganismi ruinas christianismum fundaverunt (Antiochiae) — eo, ubi primum vita monastica floruit (in Aegypto). Ubi vincula unionis intercisa sunt, ibi facillime illa rursus copulari possunt . . .

Quam ob rem propono, ut nostrorum conatuum ac laborum fructus, quos ad id temporis adepti sumus, i. e. reales condiciones, sub quibus — nostra quidem sententia — unio inter Orientem et Occidentem ad finem perducere possit, in unum colligantur et una cum litteris ad id consilium accommodate confectis, singulis Ecclesiis orientalibus mittantur atque ab iis petatur, ut, quid hac de re sentiant, aperiant.

Uti vita religiosa, ita etiam scientia theologica in Oriente non obmutuit, quod nonnulli fieri volunt. (Hoc amplius expositum est).

Qua de causa sperare possumus fore, ut Ecclesiae orientales nostros conatus ac labores scientificos pro dignitate aestiment et responderent gravia, quae futuris Velehradensibus conventibus viam monstrant, qua cedentes, id quod sequimur, assequamur, ut nos melius cognoscamus et intellegamus et ut tandem reconciliatio concordiae inter nos fiat! Concordiae enim gratia omnia fiant, non polemicae. Namque ut res politicae et diplomaticae nunquam veri propugnatores et fautores sunt christianismi Ecclesiaeque amici, ita etiam polemica nunquam ad exoptatum finem ducit. „Omni polemicae — ut dicit professor Ehrhard — inest aculeus, qui vulnerat; in omni polemica respicit una pars se ipsam, alteram autem excludit, quo facto saepius id profert, quod dissociat, quam quod separatis commune est.“*) „Extremum igitur est tempus — verbis eiusdem auctoris uti nobis liceat — ut in polemicae locum (servatis servandis) theologia mutuae cognitionis et concordiae succedat“.

Si hoc modo altera pars, i. e. omnes Ecclesiae orientales invitabuntur, ut una nobiscum labores suscipiant et operi huic adlaborent, quo facilius quaestio de Ecclesiarum unione solvatur, fundamentum solidum Velehradensibus conventibus dabitur, quo facto et quaestio ipsa novam et fructuum plenioram viam ingredietur, qua discordia inveterata leniri vel etiam tolli poterit! . . .

De hac re nonnihil disceptatum est. Postquam is qui rem proposuerat idem brevius explicavit animadversum est a R. D. Ernesto Dostál conventum non habere auctoritatem aptam ad definiendas condiciones unionis ecclesiarum, neque ex parte catholicorum, neque ex parte orthodoxorum. Sed Msg. Šulc nostrum esse cogitare et discutere ac rem discussam auctoritati proponere docuit. Praeterea R. D. Fedoroff proponebat, ut potius tota Acta in Graecum versa singulis ecclesiis orientalibus mitterentur et ut interrogarentur quid censerent non de condicionibus statutis sed de hoc motu Velehradensi. Id aliis quoque placebat (Jugie). Alius rem post IV. conventum ad id apte praeparandum facilius fieri posse censuit. Sed postquam R. D. Dr. Dorožynskij fructus aliquos priorum conventuum variis locis iam collectos esse, velut in Velegradskij Věstnik, ostendit et pro voce conditionum (ecclesiis proponendarum) dici posse scientificas disquisitiones explicavit, a maiore conventus parte approbatum est quod ipse proposuerat.

Tertius R. D. Fedoroff proposuit, *ut verterentur in Russicum non solum Acta Velehradensium conventuum sed etiam libri, quibus opiniones eorum praecipitatae tollerentur et ut in exsequendis conventus decretis hoc primum ad effectum perduendum curaretur.* Explicato rei momento concessit pauca ab occidentalibus scripta esse modo omnino apto, ut si in Russicum verterentur, orthodoxis persuaderetur, sed saltem ea, quae sunt, velut Sintherni commentationes vertenda esse. Totum hoc sine disceptatione approbatum et postea a conventu generali Academiae Velehradensis id fieri iussum est.

Reliqua proposita in posterum tempus dilata sunt.

* * *

Post meridiem h. 2 lectum est a R. P. Meth. Ustičkov *de ecclesia bulgarica cum ecclesia romana catholica reconcilianda.*

Cum finivisset, status conventus generalis Academiae Velehradensis habitus est. Ac primum lectum est a secretario Academiae de rebus ab ea usque ad id tempus gestis:

De Academia Velehradensi.

Ut centrum et scientificum institutum nostris conatibus conderemus, propositum Dr. Grivec conventus II Velehradensis, comprobavit atque statuit ut constitueretur Academia Velehradensis, docta societas ad studia ecclesiae orientalis graecoslavicae concelebranda.

Consilium a secundo congressu electum leges Academiae Velehr. ad exemplar scientificae societatis, quae vocatur Görresgesellschaft, composuit curavitque, ut hae leges a gubernio Austriaco approbarentur.

Anno elapso praesidente msgre Dr. Stojan iuxta suas leges Academia instituta est ea condicione, ut quae in statutis minus recta vel apta viderentur, a III. conventu Velehradensi corrigerentur vel emendarentur et ut con-

silium et primum collegium interim electum suo munere usque ad III. congressum fungeretur, a quo denuo membra consilii et collegii eligantur.

Hucusque A. V. nullum socium honorarium, decem conditores, sex ordinarios, qui una pensione 250 cor. solverunt, quadraginta septem ordinarios, ^p qui uno quoque anno duodecim coronas pendunt, atque quadraginta duos adiutores habet.

Egimus atque ad finem perduximus cum iis, qui tenebant atque edebant Slavorum litt. theologicas, ut proprietates A^{ae} V^s fierent. Placuit, ut titulus commentariorum „Slavorum litterae theologicae“ in novum „Acta Academiae Velehradensis“ mutaretur.

Academia Velehradensis hucusque edidit Acta II. conventus Velehr., quae sociis conditoribus et ordinariis anno elapso gratis mittebantur, opus a Franc. Snopek compositum, „Konstantinus Cyrillus et Methodius, die Slavenapostel“ atque primum fasciculum primi voluminis Nomenclatoris a Rev. P. Palmieri concinnati.

Deinde praeter nonnullas voces sermones latini (studium rei, consilium, quae nonnullis obscuriores videbantur, quam studium de re, senatus) in controversiam vocatae sunt §§ 4. 7. 8. legum Academiae Velehradensis. In § 4 pro sociis adiutoribus benefactores tantum admittendi visi sunt, ne in suffragiis colligendis difficultates orerentur. In § 7 iura consilii desiderabantur. Nam etsi e condicione doctrinae in studiis Academiae Velehradensis propriis exhibitae colligi possit consilii esse dumtaxat de doctrina et de ratione studendi iudicare, tamen res exprimenda est. Vel sic, magis autem, si alia quoque iura, ut iudicandi de rebus agendis, iis concederentur, illud probandum esse non videbatur eligi eos in perpetuum. Maxime R. D. Šrámek urgebat facile mutatis condicionibus mutari etiam studia virorum doctorum neque naturam humanam constantem esse. Alii mediam viam proposuerunt (Dr. Zavřel), ut dimidia pars in perpetuum, dimidia ad tempus deligeretur. Tandem res ita componi posse videbatur, ut munus consilii committeretur viris in perpetuum deligendis, sed in § 9 mutaretur modus deligendi collegii praesidentis; non esse deligendum a viris in consilium delectis ex ipsis. Sed cum diu in utramque partem de hoc loco mutando disputatum esset, R. P. Ostrčilík suavit, ne leges mutarentur antequam singulis sociis litteris indicaretur quid mutandum esse videretur rationesque clare simul exponerentur, ut omnes rei momentum intellexerent et deliberare possent. Hoc propositum conventui placuit. Simul etiam § 26 complendam esse et de iis, quae academia editura esset, commendandis auctoritati ecclesiarum deliberandum esse significatum est.

Consilium cum collegio praesidenti interim constitutum est ex praeside Exc. metropolita Andrea, eius vicario Msg. Stojan, secretario R. D. Jašek, arcario R. D. Hříva ac RR. DD. Dr. Bocian, Dr. Dočkal, Dr. Fedoroff, Dr. Grivec, M. d'Herbigny,

Dr. Hrachovský, M. Jugie, Dr. Nábělek, A. Palmieri, Dr. Pazman, A. Špaldák, Pr. Sup, Dr. Tumpach, ass. Vychodil, Dr. Zdziechowski.

His rebus decretis conventus generalis Academiae Velehradensis finitus est.

* * *

H. 5 conventum est ad deliberandum de reliquis propositis, quae ad res in agendo positas pertinebant.

Ac primum actum est de proposito R. D. Fedoroff, quod his verbis comprehenderat: „*ut quarto conventui interfuturi iam nunc incipiant studere omnes uni eidemque quaestioni controversae ita, ut omnia, quae ab adversariis afferuntur, quam accuratissime perscrutentur et saltem tres vel quattuor lectiones ea de re habeantur*; propono autem quaestionem *de thesauro meritorum*, de qua et historica et dogmatica et liturgica pars propriis lectionibus exponantur“. Ad rem R. D. Em. Dostál proposuit, ut singulae partes huius quaestionis tractandae antea determinarentur et singulis conventuris ex utraque parte, litteris exponerentur. Id quod R. D. Grivec consilio Academiae committendum esse censuit. Omnia haec a conventu approbata sunt.

Deinde R. D. Grivec proposuit, ut statueretur *non esse opportunum* commentarios, qui inscribuntur *Velegradskij Věstnik edi*. Sententiam suam sic exposuit:

Velegradskij Věstnik prodit Pragae quater in anno fasciculis sat parvis, lingua russica cum transcriptione latina. Fundatum est ad divulgandam ideam unionis. Ac saepe quidem dicitur hanc editionem esse rem privatam nihil commune habentem cum nostris conventibus. Sed quandam connexionem cum Velehradensibus conventibus iam nomen eius indicat et materia confirmat. Mihi certe videtur esse inopportunum V. V. edi. Inopportunum edi illud inter Bohemos; nam potius Bohemicum esset necessarium; nam agitur de rebus, in quibus accuratissimae expressiones adhibendae sunt, quod lingua russica apud Bohemos fieri non potest. Ii tantum, qui bene iam callent linguam russicam, omnia recte intellegere possunt. Inopportunum esse puto V. V. etiam quia nobis saepe obiciuntur suspiciones panslavismi; imprimis a Polonis saepe V. V. reprehensus est. Praeterea inopportuna est transcriptio latina. Qui callere vult linguam russicam, necessario cyrillicas litteras noscere debet; ergo illo modo solum „dilettantismus“ quidam fovetur, qui in re nostra vitandus est. Porro considerandum est Russos et alios orientales cyrillicam in magno honore habere, quod in unione promovenda maxime attendendum est. Nam cyrillica cum ritu slavico intime coniuncta est. Accedit quod V. V. est quasi „concurrentia“ contra *Вѣра и Жизнь*, quod folium Petropoli editur et ab hoc anno multo perfectius adornatur.

Ad haec responsum est a R. D. Stryhal:

Contra hoc primum dico: V. V. desiderio R. D. Šauer de Augenburg a primo conventu Velehradensi approbato edi coeptus est et iam tribus milibus exemplarium diffunditur ideoque re vera aliquem influxum videtur posse habere. Deinde quod attinet ad illam obiectionem de lingua russica,

certe, si iam volumus propagare hanc ideam unionis, maxime etiam inter studiosos, quae lingua alia aptior est quam russica? Voluerunt quidam, ut omnibus linguis slavicis scriberetur; sed hoc potius esset aliquod genus panslavismi. Ceterum, si V. V. in panslavismi suspicionem vocatur, ne discere quidem russicam linguam licebit. Sed, si nos volumus excitare desiderium unionis et Russi sunt maxima pars eorum, qui conciliandi sunt, optimum est, si russica lingua scribitur et sic multa possunt edi, quae aliquando russice edenda sunt. Quodsi magis scribitur pro occidentalibus, tamen non sunt ipsi Russi excludendi a lectione, praesertim cum sic iis pateat, quidquid de nostris studiis occidentalibus proponimus et sic suspicio omnis praevinitur. Et quod attinet ad litteras cyrillicas, latinae litterae in nostris regionibus certe aliquo modo est aptior via ad addiscendam linguam russicam; etsi litteras cyrillicas discere et iis legere re vera facillimum esset, tamen commodius semper videbitur occidentalibus legere russicum litteris latinis et minus abhorrebunt a difficultatibus linguae discendae. Ceterum ipsi Russi non abhorrent ab hac re, sed quidam professor universitatis petropolitanae etiam se obtulit ad scribendos articulos in V. V.

Alius, R. D. Fedoroff, alias rationes attulit contra propositum:

Istud, quod nomen Velegradskij Věstnik putatur excitare opinionem de coniunctione huius folii cum conventibus Velehradensibus ac si eorum nomine scribatur et sententiae in eo prolatae eorum auctoritate nitantur, non videtur firma ratione niti. Certe plus non significatur hoc nomine nisi V. V. eadem studia sequi quae sequantur conventus Velehradenses. Deinde dictum est etiam „cyrillicam“ coniecti aliquo modo cum ritu ob eamque rem, si latinae litterae praeferantur, oriri posse suspicionem aliquam contemptus ritus orientalis. Sed distinguendum est inter cyrillicam civilem et ecclesiasticam, quae res omnino diversae sunt. Si a cyrillica civili abstinemus, quae solum in Russia a Petro M. viget, nemo offenditur. Neque illud adduci possum, ut credam V. V. esse aliquam „concurrentiam“ cum Бѣра и Кѣръ. Scopus enim huius folii omnino diversus est. В. и К. Russis tantum destinatur, V. V. Slavibus occidentalibus. De suspicionibus vero illis, quas Poloni movent, nihil dicendum est: semper existent, nisi folium polonica lingua scribatur, ut Swiat Slawianski . . . Itaque non video seriam causam desistendi ab edendo V. V. Praeterea allatum est Bohemis opus esse folio Bohemico . . . Gaudebimus, si omnibus linguis Slavorum occidentalium unionis studia divulgabuntur. Sed Bohemicum folium, cui R. D. Jašek praeest, habet scopum proprium, item nostrum. Neque de illa re timendum est, quod aliquae voces in hoc folio parum intellegentur: non agitur de rebus magni momenti. Scopus enim folii non est edere res, quae destinantur theologis doctissimis, sed tantum, quae omnibus pateant. Nihil igitur nocet, si quis linguae russicae minus peritus aliquam vocem cum alia commutabit. Neque „dilettantismi“ crimen videtur esse iustum; quia certe, qui vult serio studere, non folio aliquo contentus erit, sed grammaticam consuet. Sed folium hoc iuvat aliquo modo illos, qui non habent tempus [alia] faciendi. Itaque mihi videntur rationes allatae omni vi esse destitutae.

Sed denuo allatae sunt quaedam difficultates:

Si praeter bohemicum folium „Apoštolát“ videatur esse aliud edendum elegantius scriptum et viris eruditis destinatum, aptius videtur bohemicum esse quam russicum. Ex alia parte tractatio de unione est magni momenti. Pulcherrimi articuli eduntur et tamen non prosunt, quia sunt res quae accuratissime intellegi debent nec possunt ab omnibus. Quod ad illam transcriptionem attinet, qui vult discere russicam linguam, necessario debet etiam novisse cyrillicam. Qui tantum obiter callet, inutilis est in nostra re. Non est distinguendum inter cyrillicam civilem et ecclesiasticam. Cyrillica est cyrillica: serbica magis distat ab ecclesiastica et tamen acerrime eam defendunt. Si nos optamus, ut etiam linguam russicam discant, qui studiis nostris occupantur — commendemus illis folium Вѣра и Ѣднѣнь: omnino concordat cum decreto primi conventus ut edatur folium catholicum russicum in Russia. Sunt nonnulli defectus in hoc folio, sed non tanti sunt quanti in folio V. V.

De hac re R. D. Ern. Dostál censuit:

Haec res non pertinet ad conventum. Iam dictum est esse editionem prorsus privatam. Non est declarandum esse organum Academiae vel conventuum et si editor Kotrba*) edere vult hoc folium, non possumus eum impedire.

Idem R. D. Jašek sensit.

Disceptationem clausit R. D. Fedoroff:

Etsi V. V. editur a privata typographia, quam non possumus impedire, tamen agitur de me et R. D. Špaldák, qui folium adornamus. Nolumus sane aliquid facere, quod noceat ipsi rei, quod a conventu non iudicetur esse prudens. Itaque quod obicitur de erroribus vitandis, quos legentes folium V. V. russica lingua scriptum committere possint, concedo de unione loqui oportere cum magna praecisione et diligentia. Non autem agimus directe de unione, sed tantum declaramus res, quae aliquo modo possunt occidentalibus Slavis aperire indolem orientalium, non de unione disputamus, sed de excitando studio unionis solliciti sumus. Ut in Russia ipsa edatur aliquod folium, sicut statutum est in primo conventu, certe omnibus placet. Nihil repugno, ne etiam Вѣра и Ѣднѣнь commendetur — exceptis quibusdam naevis, de quibus iam cum redactore et cum aliis collocutus sum — sicut neque bohemicum folium R. D. Jašek improbo. Tantum rogo, ut V. V. in sua pace relinquatur: nihil contra unionem fit in hoc folio, neque speciem alicuius mali invenio. Scio certe etiam in Russia — praeter aliquam inanem reprehensionem a Troickio factam — omnes alios cum benevolentia hoc folium excepisse. De litteris cyrillicis addendum est in America quaedam folia ruthenica etiam latinis litteris edi.

Hoc modo re undique perpensa propositum approbatum non est.

Post haec proposita R. D. Jugie de *precibus ad unionem impetrandam fundendis* exposita et tractata sunt. Proposuit:

1) „ut precatio pro cessatione schismatis omnibus Christi fidelibus orbis catholici commendetur. Membra conventus in diariis

*) Ab hoc anno iam non editur a V. Kotrba sed a „Češsko-slavjanskaja akcionernaja tipografija“ Praga-I. 186, quae res iam ante conventum mutata erat.

publicis et periodicis articulos conscribant ad animos excitandos, ut huic devotioni sedulo incumbant. Statuta Apostolatus Sanctorum Cyrilli et Methodii inter Slavos, statuta Archiconfraternitatis B. Mariae V. in caelos assumptae in aliis regionibus, magis ac magis publicentur ac divulgentur, ut fideles iis piis sodalitatibus nomen dent.“

De hac re Msg. Kyselka sapienter monuit cavendum esse ne videremur ignorare preces faciendas de unione universae ecclesiae iam commendatas esse summa romani pontificis auctoritate, a Leone XIII., qui mandavit, ut in omnibus ecclesiis catholicis ante festum Pentecostes preces publicae fierent. Sed, ut R. D. Schneider bene intellexit, nihil aliud volebat R. P. Jugie, nisi ut etiam plures preces, quae non fierent iussu sed ultro, commendarentur.

De conatibus instituendi Apostolatum ss. Cyrilli et Methodii in Bohemia hac occasione dixit R. P. Křikava:

Pro regno Bohemiae est triste, quod in Bohemia nondum introductus est Apostolatus ss. Cyrilli et Methodii. Iam in coetu generali catholicorum, qui Pragae celebratus est, summo applausu a populo acceptum est propositum de hac re. In reginohradecensi dioecesi in publico folio ordinariatus res commendata est, ut singuli parochi habeant licentiam introducendi. Ego introduxi neque ullam difficultatem habui in hac re. Si in nostra dioecesi facultas data est, facio hanc propositionem, ut conventus unionis roget illustrissimos ordinarios Bohemiae, ut in suis dioecesibus introducant Apostolatum ss. Cyrilli et Methodii.*)

De modo, quo propositum R. P. Jugie exsequi possimus R. D. Kotrch proposuit, ut libellus meditationum componeretur, ut populus per mensem lulium meditari et deliberare posset de vita ss. Apostolorum.

Postea R. P. Jugie legit alterum propositum: „2) Haec devotio praecipue ordinibus religiosis, qui vitae contemplativae addicuntur atque aliis piis institutis proponatur ut maxime collatura ad Dei gloriam et salutem animarum“.

Etiam hoc propositum RR. D. Kyselka et post eum R. D. E. Dostál aliter intellegi posse atque probandum esse videretur monuerunt. Non enim „via officiosa“ rogandos esse ordinum religiosorum superiores; si sua sponte nos iuvaturi essent, bene futurum esse; ne nos aliis molesti essemus.

R. P. Ostrčilík prudentissimum consilium dedit: „Breviarium saepissime ad hanc intentionem nos huc congregati offeramus“.

R. P. Jugie deinceps cetera proposita legit:

„3) Cum inter cultum ss. Cordis Iesu, cuius ardentissimum desiderium est, ut omnes christiani unum sint, et deprecationem pro Ecclesiae unitate affinitas maxima existat, omnibus sodalibus plurimarum confraternitatum sub nomine Sacratissimi Cordis erectarum commendetur devotio nostra. Praecipuis moderatoribus is-

*) Responsum Msg. Stojan praesidentis RR. aep. Ordinariatus pragensis omitti iussit.

tarum confraternitatum Acta huius tertii conventus mittantur quantum fieri potest, ut ipsi in periodicis confraternitatum atque in earum piis conventibus ad hanc devotionem sodales suos adhortentur“.

4) Quamvis multa spiritalia beneficia illis qui preces pro Ecclesiarum reconciliatione effundunt, Ecclesia iam concesserit, maiora a Summo Pontifice petantur.

5) Resumatur votum secundi conventus, quod est Conventus exprimit desiderium, ut omnes sacerdotes unionis anicissimi in utraque Ecclesia, saltem semel in mense missam celebrent ad tollendum schisma cum pari intentione (saltem secunda); simul instruatur populus, ut accedat cum eadem intentione ad communionem.

6) Non solum catholici, sed etiam Orientales dissiti ad deprecandum pro ecclesiastica unione invitentur. Non desunt sane in Ecclesia separata homines pii qui sincere finem discidii ecclesiastici peroptant. Ii omnes nobis se socios addant in orando.

7) Votum exprimat conventus ut in Litanis Lauretanis addatur haec invocatio: Mater ecclesiasticae unitatis ora pro nobis.

8) Libelli precum conscribantur in omnibus linguis Europaeis, qui excellentiam supernaturalem huius devotionis vivide repraesentent.“

Haec proposita omnia approbata sunt.

Item illud, quod iis addidit R. D. Grivec: ut conventus desiderium exprimeret, ut summus pontifex ss. Cyrillum et Methodium speciales unitatis et omnium operum ad hanc rem pertinentium patronos eligeret.

Postremo agebatur de re, quae a quibusdam orthodoxis Bulgaris proposita est, quam R. D. Fedoroff explicavit:

Cum hoc anno morarer in Oriente duo viri magnae auctoritatis non rogabant modo sed obsecrabant, ut conventus Velehradenses efficerent, ut aditus alumnis orthodoxis, maxime Bulgaris, pateret in nostra seminaria et universitates theologicas. Candide dixi iis nos non posse dare theologis Bulgaris titulum doctoris theologiae, sicut iis dant universitates protestanticae, quia doctor noster iurare debet in fidem catholicam. Illi tamen mihi dixerunt se non velle, ut alumni titulos acciperent, sed ut haberent educationem christianam. (Plausum est) Valde igitur gaudeo, quod conventus hoc propositum ita benigne excipit. Sed supplico, ut unusquisque RR. DD. pro hac re faciat quidquid facere possit.

Expositis difficultatibus, quae ad rem spectant, approbatum est propositum: *Aditus clericorum orthodoxorum ad aliquod seminarium et facultatem theologicam catholicam patefaciendus est; et haec cura ponatur secundo loco in exsequendis decretis.* Atque commissum Academiae Velehradensi est, ut omnia facienda curaret, quae fieri possent.

Hoc modo ea de quibus agendis deliberandum erat absoluta sunt.

Postridie 29/VII. h. 3 legit R. P. Iristov *De Pantcleimonis monachi bulgari, ad ecclesias inter se reconciliandas momento*. Post eum R. D. Dr. Hadzsega exposuit *de discrimine inter sententiam theologorum orthodoxorum et s. Io. Chrysostomi de primatu s. Petri*.

Post has lectiones tractata est dilata quaestio *de sanctis Russorum*, quam exposuit R. D. Fedoroff:

De hac quaestione egimus aliquo modo iam in I. conventu; sed tum admodum platonice res tractata est. Nunc primum velim, ne surgant difficultates male intellecta quaestione, declarare, me nolle suggerere RR. DD. ut instituaturs aliquod collegium determinandorum eorum, qui ex sanctis Russorum sancti agnoscı possint. Hoc pertinet ad ecclesiam. Dico hoc, quia in primo conventu a quibusdam obiectum est, acsi vellemus definire qui essent declarandi sancti, qui non essent.

Etiam a saeculo XIV., cum ecclesia russica iam formaliter abalienari ab omni communione cum ecclesia catholica coepit, usque ad hunc diem apud Russos sancti inveniuntur. Iam vero non solet existimari extra ecclesiam catholicam posse esse homines qui eximia virtute excellant, qui sanctitatem habeant in gradu heroico (ut ss. Franciscus Seraph., Fr. Salesius, Vincen-tius Ferr.) Sed tamen velim ratio habeatur alicuius, ut ita dicam, circumstantiae, propter quam sancti ecclesiae russicae non sunt tantummodo boni homines in bona fide versantes. Habent enim etiam sacramenta omnia, quae nos habemus et ideo Dominus mihi videtur noluisse eam ecclesiam relinquere sine gratia sua. Frequentatio sacramentorum et alia media spiritualia, quae ecclesia orthodoxa conservavit, permıtere mihi videntur, ut exsistant in ecclesia russica quidam viri, qui sanctitatem habeant. Quodsi ita est, omnino necessarium mihi videtur esse nos in eam quaestionem incumbere, ut enucleetur qualis haec sanctitas sit et quomodo a nobis apprehendi possit. Studia de sanctis in genere, sicut omnes scitis, optime exulta sunt a PP. Bollandistis. Sed ibi de sanctis Russorum unus Martinov exposuit idque non satis ample. E saeculo XVII habemus aliquod opusculum monachi ordinis s. Basilli Kulčynskij, qui hanc rem tractavit. Sed nemo alius pennam sumpsit, ut de hac re scriberet. Videtur autem huius rei tractandae summa esse necessitas.

Nunc velim tantummodo aliqua proponere de methodo in hac re servanda. Primum dicendum est, in Ecclesia russica non esse tales processus canonizationis quales apud nos; fere nihil est, si comparatur cum eo, qui fit in ecclesia catholica. Quare colligi oportet diligentissime quae pertinent ad sanctos Russorum non tantum ex „officialibus“ foliis de processu canonizationis, sed ubicumque sunt. Multa, quae de sanctis Russorum narrantur omni fundamento destituta sunt et magna proinde cautela adhibenda est. Sed contra, ne labatur quis in alteram partem credens omnia quae narrentur de iis esse falsa. Habemus documenta et monumenta historica, e quibus cognoscere possumus sanctitatem. Ut exemplum afferam, P. N. Nilles in Kalendario utriusque ecclesiae dicit Alexium metropolitam XIV. fuisse catholicum tantum propter eam rationem, quod ordinatus est a patriarcha constantinopolitano, qui eo tempore Romae iunctus erat. Sub hoc metro-

polita ut eius sacerdos et amicus s. Sergius, hegumenus radonežiensis, vitam debebat, cuius fama totam Russiam pervasit, ut inveniri vix possit domus Russorum, ubi hic sanctus non quam maxime colatur. Eius reliquiae in Sergievo-Troickaja lavra conservantur, de quibus etiam miracula narrantur. Attuli hoc tantum exemplum. Sed sunt aliae quoque reliquiae, quibus fieri dicuntur miracula. Etiam hic cautissime est procedendum, quia nonnumquam vel ficta vel omnino falsa sunt, qua de re in „reglamento“ Petri M. mentio facta est, sed etiam talia, quae videntur esse vera. Quae cum ita sint, omnibus, qui in haec studia incumbunt, omnia aequa lance perpendenda sunt. Si tale studium modo serio instituetur, maximum illud impedimentum removebimus de sanctorum russicorum cultu retinendo. Ut de hac quoque re aliquid dicam, scimus in Gallia quidem Carolum M. et Brunegildam et aliquos alios sanctos ab ecclesia catholica solum pro regione gallica esse agnitos. Fortasse possunt quidam sancti Russorum hoc modo coli sicut hi gallici, fortasse haec erit ratio rem componendi. Attendendum est non posse nos quidem hic nomine ecclesiae agere, nullam enim in hac re auctoritatem habemus; sed velim tantum ii, qui studere volunt quaestioni de sanctis orientalibus, habeant ante oculos quae dixi. Fortasse roganda est Societas Iesu, ut societati Bollandistarum, inter quos sunt qui Russice sciunt, proponat, ut dent operam peculiarem sanctis Russorum.

De hac re multum disputatum est.

R. P. Křikava: Si historiam ecclesiasticam investigamus, invenimus etiam exempla catholicorum, qui saltem aliquo tempore stabant a parte antipapae et re vera erant sancti. Ergo etiam illi Russi, cum non essent coniuncti cum papa, poterant esse vere sancti, quia non erant haeretici, versabantur solum in errore (ignorantia inculpabili). Itaque non puto esse tantum impedimentum, quominus agnoscantur.

R. P. Jugie: Oportet exempla afferri de hac re.

R. P. Palmieri: Vincentius Ferrerus.

R. P. Jugie: Sed tum non potest equiparari sanctis russicis. Tempore schismatis occidentalis populi christiani dividebantur quoad papam, nesciebant, ubi esset verus papa, sed in Russia non est eadem res.

R. P. Křikava: Non eadem, sed similis.

R. P. Palmieri: Aliquid veri est in opinione P. Jugie: distinguendus est error personalis et error doctrinalis; sanctus ille agnoscebat romanum pontificem ut caput ecclesiae, sed nesciebat, quis esset caput; in sanctis russicis error erat de doctrina. Sunt inter eos tales, ut Alexander Nevskij, qui diserte reiecerunt primatum. Si error est doctrinalis, non pertinet illud exemplum ad rem.

R. D. Fedoroff: Concedo in illa parte non posse comparari s. Vincentium Ferr. cum sanctis russicis. Sed ex alia parte tales sancti, ut Alexander Nevskij reiecerunt, non dixerim primatum „scientificum“ consideratum, sed potestatem summi pontificis. Sed sunt sancti, qui in bona fide erant: nullam notionem de dogmate catholico habebant; a communione cum catholicis abstinebant, sed propter rationes futiles: haeresis iis videbatur esse quod catholici postquam ederunt in mensa, iisdem in vasibus canibus cibos apponerent. Talibus rationibus futilibus tum deterrebantur, ne catholicos ut

christianos agnoscerent; non habebant notionem dogmatis nec dogma tunc erat pro orientalibus satis evolutum.

R. P. Palmieri: Admittendum est in plurimis fuisse bonam fidem relate ad doctrinam catholicam. Sed etiamsi de bona fide certitudo acquiri potest, necesse est praeterea institui examen gradus heroici virtutum. Ibi est magna difficultas. De omnibus fere sanctis usque ad s. XVI. documenta historica fere omnia deficiunt. Quinquaginta sunt sancti Russorum et inter eos septem [tantum mulieres et ex his una Russa et etiam ea est dubia. Omnes sancti russici analysi psychologicae subiectae sunt a scriptore quodam in Voprosy filosofii i psihologii ita, ut ad gradum heroicum sanctitatis statuendum nullum fere fundamentum habeatur ex iis documentis, quae habemus. Non possum omnia exempla afferre, sed est tam severa analysis, ut credam sanctitatem russicam maximae partis sanctorum quodam defectu laborare.

R. D. Fedoroff: Semper illi, qui huic quaestioni studere volent, difficultatem habebunt in documentis: pauca sunt; quaedam sunt edita, multa nos latent. Multa invenire possumus apud veteroritualistas, quae fere omnia nos adhuc latent; cum vulgata erunt maiorem habebimus lucem, ut sanctorum Russorum virtutem diiudicare possimus. Illa commentatio a R. P. Palmieri allegata acriter conscripta est et eo consilio, ut sancti Russorum in luce obscuriore appareant. Poseljanin contra collegit innumera documenta ultimis temporibus, non de Russis antiquis, sed solum de sanctis Russis s. XIX, quos enumerat plus quam viginti sex. Sintne sancti magna est quaestio. Sed tamen quaedam documenta sunt, modo „officiali“ etiam comprobata, quae minime sunt spernenda. Denuo repeto: difficultas est in defectu documentorum; sed non talis defectus est, qualem R. P. Palmieri credit. Aliqua possunt revera bona exhauriri.]

R. P. Palmieri: Opus a Poseljanin editum non vitas sanctorum sed virorum virtute praestantium exhibet; unus Seraphimus sanctus habetur; alii sunt episcopi, inter quos Filaret moscoviensis, qui etiam dogmatice contra ecclesiam catholicam procedebat, et de cuius virtutibus etiam in Russia dubitatur. Quapropter opus illud, magis oratorium quam scientificum, non dat veram ideam sanctitatis russicae: non loquimur de viris piis, qui certe exstant ut ultro concedimus, sed de sanctis colendis.

R. D. Kmit: Poseljanin, cum agat de viris virtute eminentibus s. XIX, alium non potuit tractare sanctum nisi Seraphimum. Utrum reliqui habuerint gradum heroicum necne ad nos pertinet, ut examen instituamus.

R. D. Fedoroff: Non tantum de episcopis sed etiam de monachis agit Poseljanin, velut de Ambrosio Optin, de Amphilochio, de aliis, qui doctrinam ecclesiae ignoraverunt. Et licet ipse documenta sua non notet, scimus congeriem materialium eum prae manibus habere. Attuli hunc librum ut exemplum eo consilio, ut ostenderem, si saec. XIX, cum iam difficillima esset apud Russos bona fides, tamen inventi essent homines admodum pii, quos ipsi Russi credunt futuros esse sanctos, eo magis saeculo XIV, cum bona fides apud omnes fere esset, tales homines fuisse.

R. P. Palmieri: Hoc nemo negavit. Sed maior difficultas est de sanctitate probanda. Et quod dicitur scriptor ille in Voprosy fil. i psih. voluisse deturpare sanctos Russorum: certe documenta inspexit, quae iam collecta sunt.

R. D. Fedoroff: Nullo modo inspexit documenta veteroritualistarum.

R. P. Palmieri: Sed fons potissimus sunt opera Macarii moscoviensis et Demetrii rostoviensis; etiam Barsukov multa collegit.

R. P. Jugie: Debemus distinguere inter sanctitatem supereminentem, quae est quasi nota ecclesiae et sanctitatem ordinariam, quae potest inveniri in hominibus, qui in bona fide versantur. Apud dissidentes numquam invenimus similes virtutes: Deus certe non dat.

R. P. Palmieri: Hanc sententiam non possum simpliciter accipere. Revera scimus inter Russos inveniri viros eximiae virtutis. Ut exemplum afferam, Seraphimus sex annos mansit in silentio; tres annos quolibet die mille prostrationes faciebat. Sunt exempla, quae stilitarum tempora in memoriam revocant. Huiusmodi adhuc existunt: prope Moscoviam, ni fallor in Betania, sunt monachi, qui tam asceticam vitam gerunt, ut etiam apud nos raro inveniantur. Sed nescio, utrum huiusmodi exercitatio ascetismi possit haberi pro nota eximiae sanctitatis necne.

R. P. Jugie: Exercitationes asceticae non constituunt plenam sanctitatem. Veteres ascetae, quos ecclesia colit, non sunt canonizati proprie, sed permittuntur coli. Ecclesia est infallibilis in canonizatione, sed non est, ubi tantum tolerat cultum.

R. P. Palmieri: Sicut permisit cultum veterum ascetarum, potest permittere cultum sanctorum Russorum. Utique quaestio solvenda est ab ecclesia. Apud Ruthenos sunt quidam sancti russici, quorum cultus toleratur ab ecclesia. -- Non agitur tantum de ascetis; sunt etiam signa naturalia sanctitatis. In processu, quem fecit synodus de sanctitate Seraphimi, afferuntur 126 miracula. Haec non debemus omnia reicere acsi sint falsa. De veritate eorum quaestio est instituenda.

R. P. Jugie. Miracula sunt numerosiora. Legi etiam miracula de sancto, quem Russi volunt canonizare. Aliquod opusculum 244 miracula enumerat, et cum aliquis vult cognoscere, in quo consistant: consolatio spiritualis, quam aliquis orando hunc sanctum obtinuit, affertur. Deest scientifica investigatio. Credo, si instituetur scrutatio talis sicut de sanctis catholicis, nullum verum miraculum invenietur.

R. P. Palmieri: Ioasaf, de quo ista miracula narrantur, ad s. XVII. pertinet. Seraphim mortuus est s. XIX. Quapropter respectu documentorum comparari non possunt.

R. D. Schneider: In Lourdes discrimen fit inter miracula et mirabilia instituto rigoroso examine de factis non consuetis. -- Ut nos possimus aliquem ut sanctum colere, debemus certo scire, ipsum firmum stetisse in veritate et omnem possibilitatem erroris in fide excludere, ne ex hoc cultu exemplum malum procedat in periculum religionis. Sed, puto, nos etiam abstinere debemus a reiciendo cultu inter populum russicum, qui est bona fide; si inde spiritualement aliquem profectum accipit, habeat. Sed abstinere debemus ne nos ipsi eos ut sanctos recipiamus.

R. P. d'Herbigny: Puto: canon sanctorum non est series electorum. Et cum ecclesia aliquem inscribit canoni sanctorum, vult eum proponere ut exemplum et propterea vult, ut examen de fide fiat, deinde de spe et caritate. Propterea de confessoribus maxima difficultas est. Sed de illis, qui propter fidem christianam a Tartaris et Mohamedanis necati sunt, fortasse fides et

heroica virtus admitti potest. — Quod dictum est de documentis apud veteroritualistas asservatis, paucissima puto inveniri. Ante 15 dies feci excursionem ad centrum veteroritualistarum in Bělaja Krinica. Petii a monachis laicis, ubi bibliotheca esset; responderunt se nescire.*) Postea e sacerdotibus quaesivi; nihil dixerunt esse nisi libros liturgicos; „quia non indigemus aliis nisi liturgicis libris.“ Tota religio eorum est in conservanda vetere liturgia. Puto etiam in Russia paucissima inveniri posse.

R. D. Hadzsega: De sanctis in sensu catholico est vana quaestio. Ipsa sola habet ius canonizandi. Nos non possumus propagare cultum sanctorum Russorum, sed quendam honorem propagare inter homines possumus.

R. D. Dostál: Propositum est de materia inquirenda de viris, qui coluntur a Russis et de possibilitate eorum cultus. Puto hoc propositum accipiendum esse: materia inquiretur sicut Bollandistae eam inquirent. Non omnes, quorum vita narratur apud Bollandistas, sunt canonizati. Sunt tentamina, ex quibus progrediente tempore quaestio elucescet.

Hoc propositum transmissum est consilio Academiae velehradensis.

Postea Dr. Nábělek, ut laicorum pro religione certantium interpret, orationem luculentam habuit, qua, ut utrique, occidentales et orientales, in unum certamen coniungerentur summopere esse desiderandum et enitendum docuit.

Cum perorasset, Msg. Stojan rogavit, ut qui in conventu IV. aliquid exponere vel quaestiones proponere vellent iam ad finem mensis mai a. 1913 scripta sua praesidio mitterent et gratis actis et praesentibus et iis, qui conventum salutaverant et qui de fructibus eius bene merituri essent, conventum conclusit his verbis: „Deus confirmet quod operatus est in nobis — intercedente B. Maria V. et intercedentibus ss. Cyrillo et Methodio.“

A. Špaldák et L. Fedoroff.

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium.

Al. Bukowski S. I.: Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie. Paderborn. Schöningh 1911. Pr. 6 Mk. „Forschungen zur christlichen Literatur- und Dogmengeschichte“ IX. Heft 11.

In hac dissertatione dogmatica *B.* erudite atque obiective proponit doctrinam de satisfactione pro peccato, quam sive russica ecclesia in libris symbolicis i. e. Confessione Orthodoxa P. Mogilae, Confessione Dosithei et Catechismo Philareti profitetur sive theologi in operibus suis tradunt atque defendunt. Materiam tractandam, quae cum compluribus dogmatibus intimo nexu cohaeret, scriptor in 4 capita dividit. Doctrinam russicae orthodoxiae *B.*

*) Ablata est.

haurit e fontibus ipsis, quos et accurate allegat et serio perpendit. Inter libros symbolicos et inter ecclesiam romano-catholicam in hac re, si ea quae de purgatorio docet excipis, et res minoris momenti negleguntur, viget consensus.

In I. cap. proponitur doctrina Russorum orthodoxorum de primaria satisfactione Christi. Recentiores theologi russici quaedam elementa licet secundaria e placitis protestantium hausta introduxerunt uti de duplici oboedientia Christi; Christum in passione et morte obiectum irae Dei fuisse atque inferni cruciatus perpassum esse. Quae ab his theologis adversus catholicam doctrinam afferuntur, non afferrentur, si opera scriptorum catholicorum subtiliter scripta novissent. (Ut exemplum afferam, Světlov, qui est ex optimis theologis dogmaticis Russorum unum librum allegat ut fontem, ex quo catholicam depromit doctrinam „Das Lehrbuch der kath. Religion für die oberen Klassen der Gymnasien von Dr. Wappler“ et praeterea unum locum S. th. S. Thomae, quem accuratius non indicat p. 38...) Quae Světlov de ethico momento atque de caritate Dei in opere redemptionis plenius agnoscenda postulat, eiusmodi sunt, quorum et catholici theologi rationem possent habere maiorem. — Christum pro peccatis generis humani satisfactionem obiectivam vere praestitisse omnes theolog orthodoxi solo Sergio (pg. 24.) excepto pro dogmate certissimo habent.

In II. cap. explicatur doctrina de satisfactione secundaria i. e. ab ipso peccatore praestanda. Hoc cap. in duas subdividitur sectiones, in quarum prima agitur de necessitate satisfactionis ad iustificationem obtinendam, in secunda deinde de necessitate satisfactionis post obtentam iustificationem vel de momento atque fine epitimiarum i. e. operum a confessario peccatori paenitenti et confitenti impositorum. 1. Quamquam libri symbolici qui vocantur (cf. AAV VII. p. 32—33) vocem satisfactionis in doctrina de dispositione ad iustificationem obtinendam necessaria reiciunt, nihilominus tales a iustificando postulant actus, in quibus vera satisfactio cernitur. Theophanis autem Prokopović (a. 1711—16) conatus qui opinionem de sola fide iustificante introducebat, theologi orthodoxi summo consensu recusaverunt. Quae recentiores theologi contra doctrinam catholicam afferunt, falsa nituntur opinione, catholicos enim actus ad iustificationem disponentes solis facultatibus naturalibus tribuere vel eam in actionibus omnino externis ponere putant. Vocem satisfactionis etiam hi theologi Světlov excepto recusant, sed a iustificando actus qui sunt satisfactorii postulant. Unus Sergij necessitatem satisfactionis negat (pag. 81).

2. Inde a medio saeculo 19. quaestionibus inter orthodoxiam russicam et ecclesiam romano-catholicam controversis quaestio de momento et fine epitimiarum annumerari coepta est. Theologi orthodoxi Macarium secuti omnes fere A. Mal'cev excepto (p. 112) negant peccatori paenitenti poenas vindicativas a Deo vel ab ecclesia imponi Remissionem peccatorum in paenitentiae sacramento

non esse plenam admittunt — etsi quid peccatis remissis remaneat accuratius non definiunt simulque dignos fructus paenitentiae vel a iustificato postulant ad plenam remissionem peccatorum. Qui paenitenti e fructus non putantur esse opera poenalia, quibus poenarum reliquias peccator luat, sed medicinales tantum esse existimantur, quibus in peccatore excitetur vel intensior fiat contritio. Recentissimi theologi orthodoxi quamlibet satisfactionem a iustificato suscipiendam reiciunt. Tales aperte discrepant a libris symbolicis; confessio enim Dosithei non solum actus intus (contritionem) sed etiam actus externos *ικανοποίησιν* appellat et in catech. Philareti epitimias constitui, ut iniustitiam luant peccati, dicitur.

In III. Cap. delineatur polemica rus. orthod. contra doctrinam rom. catholicam de satisfactione per indulgentias complenda. Indulgentias impugnare coepit Macarius (p. 117) rationibus dogmaticis et historicis, illud potissimum urgens poenis temporalibus iustificatos non affici ad iniurias ulciscendas. Post Macarium theologi orthodoxi indulgentias oppugnant rationibus ab eodem petitis. Recentissimi theologi contra indulgentiarum in ecclesia catholica usum proferunt fabulas iam pridem refutatas (velut Malinovskij cf. p. 137 n. 1) quin etiam calumnias e corrupta et deformata doctrina sana confictas (Vinogradov, Titov). In libris symbolicis et apud theologos antiquos indulgentiae, etsi quin earum in ecclesia catholica usus orthodoxis notus fuerit, dubium non est, quaestionibus controversis non adnumerabantur.

In IV. cap. explicatur, quid russ. orthodoxia sentiat de doctrina romano-catholica statuente satisfactionem posse compleri per poenas in purgatorio toleratas. Quid Russi orthodoxi de purgatorio doceant (cf. Sl. l. th. II 158—160) exponere accurate difficillimum est. Libri enim qui symbolici vocantur in hoc capite multum inter se differunt. Ceterum ne illi quidem, qui in concilio florentino ecclesiae orientalis vice fungebantur, in hac re consentiebant eorumque modus loquendi de sorte, quae animas post mortem subsequitur, obscurus erat. Constat autem orthodoxos omnes credere animas a corpore separatas a vivis adiuvari posse ita, ut a) nonnullae animae, quae ad caelestem beatitudinem statim non admittuntur, hanc, antequam de earum fortuna in perpetuum decretum sit intercessione vivorum consequi posse existimantur; ut b) hae animae caelestem beatitudinem non obtineant nisi vivi intercedant, cum ipsae per se neque agere quicquam neque pati possint quod ad sortem suam mitigandam conferre possit. Satispati animas posse theologi orthodoxi vel diserte negant vel se non concedere indicant.

2. Unde cum ad quaestiones subtiliores accedunt, quibus animabus et quomodo haec vivorum intercessio prosit, iustigaturi, in diversas abeunt partes. Plures confessionem Dosithei secuti intercessione eorum tantum animas adiuvari putant, qui antequam mortui sunt omnibus mortalibus peccatis sincere dolu-

erunt. sed dignis paenitentiae fructibus ea perfecte non expiaverunt; tamen sunt, qui intercessionem etiam eorum animas iuvare putent qui cum mortalibus peccatis decesserunt, dummodo peccati in Spiritum s. commissi rei ne sint. Cui intercessioni vis impetrandi, quantum Dei misericordia commovetur, tribuitur.

3 De statu animarum, quae a caelo per aliquod tempus arcentur, orthodoxi etsi consentiunt igne materiali eas non puniri, tamen sententiae variantur. Modo enim antequam perfecte liberentur eadem in condicione atque damnati putantur esse, modo sors earum a damnatorum sorte prorsus differre — etsi locum inter caelum et gehennam medium esse negatur. Quem animarum statum quidam theologi aperte medium appellant.

4. Locus, in quo animae liberandae commorantur, apud theologos orthodoxos generatim hades dicitur. Cui voci varia sententia subicitur. Alias significat idem atque gehenna, sedes damnatorum. Alias, ut apud plurimos theologos sedem in plures partes divisam, ubi omnes animae in caelum non admissae commorantur, cuius pars, in qua animae liberandae sunt, hades ipsa quoque vocatur. Nonnulli autem theologi has diversam et a caelo et a gehenna sedem habere in qua purgentur, existimant. Apparet igitur theologos orthodoxos cum ecclesia rom.-catholica de purgatorio in eo consentire quod animas quasdam antequam ingrediantur in caelum poenis per aliquod temporis spatium affici atque posse a vivis adiuvari statuunt. Discedunt autem a catholica doctrina, cum his poenis ullo modo satisfieri aut ad introitum in caelum animas disponi negant et solam intercessionem vivorum ad patefaciendum caelum valere dicunt. Quod animas liberandas materiali igne puniri negatur, nihil quod catholico dogmati adversetur statuitur, cum ecclesia de natura poenarum purgatorii nihil definierit.

Ex argumento dissertationis copiosissimae apparet scriptorem multum studii et diligentiae ad rem subtiliter et accurate tractandam simulque sine ira et studio exponendam adhibuisse. Methodus, qua *B.* utitur est omnio ea, quae doctrinae propria est, genus dicendi moderatum et quietum; non tamen illud quod iam saepe desideravimus contigit, ut unde dissensio oreretur, data opera explicaret, cum psychologicae rationes in hac re minime negligendae sint. Cf. Acta II. conv. vellehr. p. 9—10. Tamen speramus non nihil profuturum esse hunc librum ad opiniones praeiudicatas diluendas ad errores in doctrina catholica interpretanda commissos corrigendos et ad veritatem plenius cognoscendam.

Dr. R. Špaček.

Revue de l'Institut Catholique de Paris. 1908. 1909.

J. Bousquet, La Renaissance de l'Église grecque catholique dans l'Empire ottoman: l'Église grecque-hellène. 1908 p. 345—372.

J. Bousquet, Quelques études récentes sur la liturgie byzantine. 1909 p. 265—271.

A. Gratioux, Un poète slavophile A. Khomiakoff. 1909 p. 148—179.

The Journal of Theological Studies IX.—XI. (No 32—48) Oxford 1908—1911.

J. H. Hardt, Cephas and Christ IX p. 14—41.

F. E. Brightman, The *Historia Mystagogica* and other Greek Commentaries on the byzantine Liturgy IX p. 248—267; 387—397.

C. Knetes, Ordination and Matrimony in the Eastern Church. I: XI 348—400; II: 481—513. Ascetismi studium apud christianos paulatim incrementa cepit. Post concilium Nicaenum contra Eustathianos, qui sacerdotem maritum spreverant similiter ac media aetate Gregorio VII ecclesiam gubernante (p. 353), synodus Gangrensis a. 342 decrevit en. 4: *εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκός, ὡς μὴ χοῖναι λειπουργήσαντος ἀδιοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω*. Concilium Carth. II. (389) voluit episcopos, presbyteros, diaconos *ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσι* et *γυναικῶν ἀπέχεσθαι*. Quibus a. 401 subdiaconi additi sunt. Exponitur deinde quid de hac re ss. Patres senserint, qui caelibatum commendabant; quid potestates civilis (Iustinianus Nov. VI 5; XXII 42; CXXIII 12 statuerit; quid in Nomocanone XIV tit. de canone Africano iudicetur; quid concilium Trullanum decreverit. Quibus rebus expositis agitur deinceps de digamia (Apost. c. 17; Trull. c. 3), de matrimonio inito cum vidua vel dimissa (Apost. c. 18; Trull. c. 3); de marito uxoris turpiter viventis (Apost. c. 18; Neoc. c. 8); de matrimonio intra gradus prohibitos contracto (Apost. c. 19; Trull. c. 26), matrimonio cum serva inito (Apost. c. 18). Postremo in priore parte quaeritur de nuptiis iis qui sacerdotes facti sunt interdictis, etsi postea sacerdotium remiserint, seu de impedimento matrimonii, quod ex „ordine“ nascitur. Altera parte de episcopis exponitur. Primis temporibus virtus sola quaerebatur in iis, qui ordinandi erant; quae rarior erat in iis, qui caelibes erant. Sed consuetudine haec res paulatim mutata est. Quod quidam afferunt (Gregorium patrem (Gregorii Naz. „theologi“) et Synesium, ut probent etiam quarto saeculo episcopos uxoribus suis usos esse, nihil efficiunt. Neque enim constat Gregorium theologum (Carm. XI de vita sua 511 et 512) natum esse, postquam pater eius ordinatus sit (325 exeunte aut 326 ineunte; Or. 18, 12). Synesium autem exsecutum esse, quae 409 fratri scripsisset, nemo docuit. Iustinianus, minus disciplinae quam rei familiari ecclesiae providens (to protect the financial interests of the Church p. 491) episcopos fieri non posse statuit, nisi *οὐδὲ γαμετὴν οὐδὲ παῖδας τις ἐξ αὐτῶν ἔχει* (Nov. CXXIII 1). Concilium Trullanum tamen non vetuit episcopos nisi *συνουκεῖν ταῖς ἰδίαις γαμεταῖς* (en. 12). Leo VI. legem civilem cum canone conciliavit, impedimento prolis sublato. Cum variae dubitationes ortae essent in explicando canone Isaac Angelus patriarchis et episcopis consultis 1187 decrevit ne quis episcopus fieret, cuius uxor ab eo separari nolisset. Episcopo consecrato uxor monacha fieri debet nec ad maritum reverti aut alii nubere potest. Exponitur deinde de episcopis e monachis faciendis. Additur conspectus patriarcharum Constantinopolitanorum (usque ad 1453), in

quo de unoquoque indicatur fueritne antequam consecraretur, laicus an clericus et quod munus ecclesiasticum gesserit.

Edm. Bishop, Liturgical Comments and Memoranda X 592—603. De epiclesi contra Buchwald.

Stimmen aus Maria Laach 1909—1911. Bd. 76—81.

C. A. Kneller S. I., Der hl. Irenäus und die römische Kirche 76. 402 ad 421.

C. A. Kneller S. I., Das Papsttum auf dem ersten Konzil von Nicäa 77, 503—522.

H. Bruders S. I., Die Andacht zur Person Jesu Christi in geschichtlichem Überblick bis zum Beginn der Herz-Jesu-Andacht 77, 373 ad 382.

C. A. Kneller S. I., Kritische Schwierigkeiten in der Apologetik 78, 486—498 (De scriptura s. primatus teste).

Historische Zeitschrift (Sybel-Meinecke) M. u. B. 102—107 (1909 ad 1911).

W. Norden, Prinzipien für eine Darstellung der kirchlichen Unionsbestrebungen im Mittelalter 102, p. 277—303. (Contra Joh. Haller, qui opus Nordenii „Das Papsttum und Byzanz“ aestimaverat).

Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques. III (1909). Kain.

A. Gardeil, Le développement du dogme p. 447—469.

A. M. de Poulpiquet, Essai sur la notion de Catholicité. p. 17-36.

F. Cabrol, Le Canon Romain et la Messe p. 490—524. (IV: Consécration et Épiclesse: 510—517).

Revue Bénédictine 1909—1911.

De Meester, Études sur la théologie orthodoxe. III Le péché originel. 1909, 81—92; IV. La Providence de Dieu 1909, 371—383.

J. Chapman, The contested Letters of Pope Liberius. 1910, 22—40; 172—203; 325—351. Liberium negat lapsum esse. Neque agnovit id unquam neque revocavit; imperator aliter egisset. si lapsus esset. Liberius non potuisset tanta severitate animadvertere in semi-arianos a. 366; debuisset paenitentiam agere certam et publicam; secretum eius peccatum manere non potuit; sed cum utrimque inimicos habuerit — Arianos, Felicianos, et res fuerit suspicionis plena mirum non est, si quid eiusmodi crimini ei verterrunt. Hilarius eum defendit. Ambrosius eum sanctum fuisse testatur. Rufinus eum lapsum esse nescit. Epiphanius eum *μακαρίτην* appellat etc.

J. Chapman, Prof. Hugo Koch on St. Cyprian. 1910, 447—464 De primatu.

M. d'Herbigny, Sur le second Qui sunt undique dans le texte d' Irenée, III, 3. 1910, 103—108. Irenaeum III 3, 2, ubi illud de primatu occurrit, scripsisse coicit scriptor: *ὅτι ἐπισκόπων ὄντων* *α* loco verborum. quae nunc leguntur iterum: ab his qui sunt undique. In qua coniectura illud minus probatur. quod interponitur

„—ils sont onze.” Tantaе duritatis exempla apud Irenaeum quaerenda et afferenda videntur fuisse. Cur non liceat coicere scriptum fuisse ἐπὶ τῶν ἀπὸ Πέτρου? Antea fortasse legebatur παραχοῦ, sub ea vero voce ἀπὸ Που — nonne etiam hac ratione fieri potuit. ut librarius verba mutaret?

A. Š.

Libri recentiores*)

- J. Bilz*, Die Trinitätslehre des h. Joh. v. Damaskus. Paderb. Schön. 1909.
Lepicier, De stabilitate et progressu dogmatis. Roma 1909.
Ferd. Cavallera, Le prétendu schisme oriental de 343 à 398. 1909, p. 15 (seorsum expressa commentatio e Nouv. Revue théologique). Contra Turmel.
Darwell Stone, A history of the Doctrine of the holy Eucharist. T. I. London, Longmans, Green and Co. 1909 XII+410 (p. 133—192 de theologia orientali a saec. VI—XX de hac re).
Martin Grabmann, Die Geschichte der scholastischen Methode. I. Bd. Freib. i. B. 1909 XIV+354.
L. Dennefeld, Der alttestamentliche Kanon der antiochenischen Schule. Freib. i. B. 1909 VI+94. 2:60 M. (rec. H. Bruders in Zk.Th. XXXIII [1909] 734).
R. Engdahl, Beiträge zur Kenntnis der byz. Liturgie. Berlin 1908. 149 pag., 6 M. (rec. Berl. philol. Woch. XXIX [1909] N. 45; Byz. Z. XIX [1910] 543—6; Echos d'O. XIII [1910] 54).
Joh. Dräseke, Analecta Byzantina: 1. Die sprachlichen Schwierigkeiten der kirchlichen Verständigung zwischen Morgen- und Abendland. Nach Johannes Bekkos. 2. Johannes Bekkos wider Nikolaos von Methone. Wandsbeck 1909 (Progr. gymn.).

.....

Miscellanea.

In canonia Siloënsi (Želiv) O. Praem. in Bohemia de conatibus unionis inter ecclesiam orientalem et occidentalem restituendae rogatus a suo Abbate Rmo. Perill. ac Ampl. D. Salesio Ios. Roubiček in conferentia pastoralis die 22. Novembris, (quae collationes pastorales ex decreto Capituli Generalis O. Praem. anni 1908 quovis mense instituuntur) eiusdem Ordinis canonicus regul. Gilbertus Cyrillus Křikava exposuit, qui interfuerat II. et III. conventui velehradensi.

.....

*) Hic nominantur solum ii libri, de quibus iam non referemus.

LITTERAE THEOLOGICAE SLAVORUM.

Conspectus singulorum operum recentium.

Bohemica.

František Pohunek, Antika a křesťanství. (Antiquitas et lex christiana). Pragae 1910 (V. Kotrba) p 116. 1·25 cor.

Liber hic editus est in Vzdělavací knihovna katolická, ubi edi solent libri, qui etsi populariter scripti sunt, tamen ad doctrinae laudem aspirant. Etiam hic liber speciem praebet hausti e fontibus doctrinae, verum eum satis accurate scriptum esse dicere non possum. Titulus scriptorem comparare voluisse priscarum gentium mores cum lege christiana indicat. Qua re suscepta primum definiendum erat, quid docere scriptor vellet; idque per partes exsequi debebat. Quod cum *P.* neglexisset, factum est, ut non intellegamus, cur nonnullae res exponantur, velut cur mulieres antiquas specula habuisse narretur. Res non videntur ab ipsis fontibus repeti, eorum autem, quae de iis scripta sunt, exigua unius generis pars adhiberi; nam ex rerum antiquarum scriptoribus solus fere Velišský consulitur, alia ab apologetis (Dupanloup, Weiss, Döllinger) petuntur. Loci, qui afferuntur, accurate non indicantur, etiam paginis omissis. Studio nostra defendendi abreptus Romanorum Graecorumque mores corruptos nimis praedicat, re non ab omni parte considerata. Neque solum perperam intellegit seu explicat (velut de servorum sorte —; quam morte meliorem fuisse scriptorem non puto negare; licuerat autem hostes occidere, qui vita donati servi facti sunt; quos pro hominum ad vitia proclivitate saepe sceleratissimos evasisse constat [Cf. Becker³-Rein, Gallus II 145]; neque quid domini crudeles fecerint, refert, quorum crudelitate humanitas aliorum non refellitur; potius leges romanae reprehendendae erant, quod nimium permisissent [cf. Fowler, Social life at Rome in the age of Cicero. 1909 p. 223], per quas tamen etiam redemptio servorum licebat [Becker-Rein 142-3]), verum etiam falso aut indiligenter refert (velut p. 62 de matrimonii romani firmitate [cf. Blümner, Die römischen Privataltertümer 362]; p. 60 de pudicitia Lacedaemoniorum [cf. Schoemann⁺-Lipsius I. 269]; p. 57 de hetaeris Graecorum [Schoemann⁺ I 563]; p. 61 de uxoris romanae et graecae condicione [Blümner 364; Fowler 143; Friedländer, Darstellungen aus d. Sittengeschichte Roms⁸, I 474 etc.; Schoemann⁺ I 558-9]; de servorum condicione [Schoemann⁺ I 367—8; Becker³-Rein 139]; p. 12 de peregrinis;

quae de Platonis aliorumque turpitudine feruntur, p. 58 pro certis habentur [cf. Michelis, D. Philosophie Platons I 57—58]; cur p. 71 illud Catonis, quod p. 64-5 allatum est, non adhibetur?). — Si *P.* nihil aliud docere voluit nisi quod p. 83 dicit, religione neglecta mores labi, satis multa collegit, nonnulla supervacanea e priscae pietatis temporibus addidit, etsi non nihil intactum reliquit. Sin ei in animo erat virtutem ab hominibus antiquis, graecis et romanis sive necessario sive casu alienam fuisse docere, res ei non contigit. Illud autem mihi quidem scriptor debuisse sibi proponere videtur (ut argumentum cum titulo — quamvis ambiguo — conveniret), ut efficeret, neque antiquis religionibus neque legibus neque mente divinitus non instituta, quam quidem apud antiquos (inter quos etiam Laotse aliique recensendi sunt) inveniamus, christianos mores cultumque compensari posse. Id quod sine maxima diligentia fieri non potuit. Ceterum, si, quae p. 11—12 scripta legimus, consideramus, scriptor nihil nisi mores antiquitatis describere voluisse videri potest, et bonos et malos, sicut rerum antiquarum scriptores. Sed hac ratione certe liber aestimari non potest. Quae cum ita sint, quoniam defensio rei non plane bona, si non noceat, saltem non prosit, maior videtur diligentia fuisse adhibenda. Tamen ad Macharii poëtae, nomini christiano infensissimi, commenta refutanda tanta doctrina opus esse non videtur.

Julius Košnář, O svatém Václavu a vývoji úcty svato-václavské. (De sancto Venceslao eiusque cultus sacri incrementis.) Pragae 1910, sumptibus V. Kotrba. Pag. 116. Pret. 1.30 Cor.

Optimis auctoribus — non tamen fontibus manuscriptis — usus *K.* eleganter exponit in prima parte libri sui de s. Venceslao infante, adulescente, rege, sancto homine, martyre. Pars altera cultum sancto Venceslao ab antiquissimis temporibus habitum summam describit. 28 imaginibus personarum, ecclesiarum, statuarum, reliquiarum aliorumque documentorum ad cultum s. Venceslai pertinentium ea, quae exponuntur, illustrantur.

A. Š.

Slovacia.

Slovenské Pohl'ady. Ročník XXVII—XXX 1907—1910. Turčiansky sv. Martin.

Dr. *Ivan Zoch*, Krtišsky glagolský pergament XXVII 19—26 Fragmentum quoddam glagoliticum editur.

Pavel Sochůň, Staré kostolné rúcha v cirkvách ev. dolno-trenčianskeho kontubernia. De sacris vestimentis quarundam ecclesiarum Hungariae slovacicae XXVII 52—62: idem, . . . horno-trenčianskeho kontubernia: 351—359; 521—530.

Fr. *V. Sasínek*, Politika sv. Štefana XXVII 580—586. De s. Stephani consiliis in re publica administranda.

Fr. *V. Sasínek*, Sv. Gerard, biskup a mučeník. XXVIII 24—35; 89—99.

- Fr. V. Sasinek*, Grécky diplom sv. Štefana XXVIII pag. 152—160. S. monachas in monasterio S. B. M. vesprimensi iam ante s. Stephanum adfuisse existimat, documentum eorum a Simone episcopo „sensualiter“ tantum esse renovatum.
- Fr. V. Sasinek*, Sobor nitrianský XXVIII 218—223; 285—290. De nitriensis monasterii s. Hippolyti quod Sobor vocatur origine.
- Fr. V. Sasinek*, Ešte raz o liste sv. Vladislava XXVIII 449—452. De epistula s. Ladislai regis Hung. a. 1087.
- Fr. V. Sasinek*, Diplom sv. kr. Štefana z roku 1001. XXVIII 610—620.
- Fr. V. Sasinek*, Tie naše legendy o sv. Štefanovi. XXIX 163—169; 291—302; XXX 35—44; 87—96. De legenda minore, maiore, Hartvicii de s. Stephano rege Hungariae exponitur.
- Fr. V. Sasinek*, Krestanstvo v Pol'sku. XXIX 480—494. De Polonia ad Christum conversa exponitur; quid s. Adalbertus egerit, qui ritus in Bohemia eius temporibus fuerit, de Dobravka, de monasteriis pragensibus, de Arone monacho etc.
- Fr. V. Sasinek*, Bulla pápeža Silvestra? XXIX 558—567; 663—668. In Silvestri II. epistulae, s. Stephano regi Hungariae missae veritatem inquiritur; quam falsam esse tenet, Karacsnyi sententias corrigit.
- Fr. V. Sasinek*, Náboženstvo sv. Štefana XXX 164—177. De ritu, lingua liturgica, de necessitudine cum romano pontifice, quae sanctus Stephanus probaverit et secutus sit exponitur.
- Fr. V. Sasinek*, Legenda o sv. Imrichovi. XXX 291—300. De iis, quae de s. Emmerico narrantur; quando composita sint etc.; quando sanctus ille adulescens natus sit.
- Dr. Dušan Makovický*, Vychádzka do Duchovského monastiera. XXX 519—525. De russo monasterio.
- Fr. V. Sasinek*, Sv. Vladislav, král' uhorský. XXX 525—533; 611 ad 624; 726—753.

A. Š.

Polonica.

Libri anno 1910 editi.

- Wl. Leon Antoniewicz*, Klasztor franciszkański w Krośnie. Lw. 1910. K 350.
- Bisk. Władysław Bandurski*, Jadwiga, święta królowa na polskim tronie. I.—III. Kraków 1910. 18 K.
- Cz. Bogdalski*, Święta Kalwarya Zebrzydowska. Z 30 ryc. Krak. 1910 str. 263.
- J. Brzeziński*, Nowy dekret stolicy św. o proboszczach. Kraków. 1910. K 150.
- Dr. Czarnecki*, Medycyna pastoralna.² Skład gł.: Księgarnia św. Wojciecha w Poznaniu (rec. Dr. med. Gantkowski in Mies. kośc. 1910 tom. IV p. 330).
- Dr. Marcin Dragan*, O filozofii dziejów św. Augustyna. Krak. 1910 str. 39. K 1—.

- Ks. *Karol Feliś*, T. J., Ostatnie dziesięciolecie archeologii chrześcijańskiej. Kraków 1910
- Ks. Dr. *Fr. Gabryl*, Filozofia przyrody. Kraków. G. Gebethner i Sp. 1910, K 9—.
- Dr. *Tad. Garbowski*, Święty Franciszek z Assyżu w świetle filozofii przyrodniczej. Krak. 1910, str. 64, K 2— (e Przegł. polski).
- Nat. Gąsiorowska*, Historia zakonów w Polsce. Warsz. 1910.
- Ks. Dr. *Gerstman*, Miscellanea pastoralne. Lwów. 1910. Gubrynowicz i Syn. Str. 101. (rec. ks. E. Gryglewicz in Mies. kośc. 1910 t. III. 492—3).
- Ks. Dr. *J. Górka*, Dziewica orleańska. Tarnów 1910.
- Ks. Dr. prof. *Tadeusz Gromnicki*, Forma zawierania zaręczyn i małżeństw według dekretu „Ne temere“ z uwzględnieniem prawa austriackiego, niemieckiego i rosyjskiego. Kraków 1910. K 7-60.
- Ks. *Charszewski*, Moderniści — Modernizanci — Antymoderniści — Nasi i obcy. Liber, antea in commentariis vilnensibus „Słowa i czyny“ editus, auctus. Sumptibus R. D. Bolesławii Skarżyński. 127 pag. Płock 1910.
- Dr. *A. Chybiński*, Materiały do dziejów krol. kapeli orantystów na Wawelu. Część I. (1540—1624). Kraków 1910. Friedlein K 2.80 (rec. Z. Jachimecki in P. pl. 1910, 232—4).
- Ks. mag. theol. *Hel. Aut. Jakubowski*, Chrystus. Jego żywot, mesyjanizm i bóstwo. Krak. 1910. str. 297. 4 K.
- Fr. Klein*, Kościół OO. Dominikanów w Tarnopolu i jego restauracja. Krak. 1910, str. 28. (E Rocznik krakowski XII; rec. F. Kopera in Kw. h. 1910, 629).
- Ks. *P. Kulwieć*, Przewodnik pracy społecznej. Druk J. Zawadzkiego w Wilnie 1910. 154 str. (rec. ks. A. Lisiecki in Mies. Kośc. t. V p. 149—150).
- Ks. *Jan Kurczewski*, Kościół zamkowy czyli katedra wileńska w jej dziejowym liturgicznym, architektonicznym i ekonomicznym rozwoju. Cz. II. Wilno 1910. 3 r. 381 pag.
- Ks. *A. Kwieciński*, Zarys Apolegityki. Warszawa 1910 str. 155. (Compilatio).
- Ks. *Teofil Łękarwski*, Katedra przemyska wraz s kościołem filialnym N. Serca P. Jezusa. Przemyśl. (1910) 85, tab. XLII. K 4-40.
- Cec. Lubieńska*, Sprawa dyssydencka na sejmie 1766. (Progr. Ursul. in Kołom. 1909/10 3—34).
- Ks. biskup *Pelezar*, Masonerya.² Lwów. Zienkowicz i Chęciński 1910. 5 K. (rec. in Mies. kośc. 1910 t. IV p. 519—20).
- St. Podworski*, Krótka historia kościoła i klasztoru Br. Mniejszych w Kalwarii. 1910 str. 20.
- P. Popiel*, Leon XIII i papiestwo w objawach zewnętrznych. Krak. 1910 (!solum in involuero! Liber est e Przegł. polski seorsum expressus a. 1904) Sumptibus scriptoris.
- H. Romanowski*, Wstęp do ekonomii społecznej chrześcijańskiej. Warsz. 1910. 3 rub.
- Luc. Rydel*, Królowa Jadwiga. Pozn. 1910 str. 338.

- Ks. *Ant. Siuda*, Sw. Stanisław w świetle Galla-Kadłuba i Wojciechowskiego. Kraków 1910. str. 94.
- W. Sobieski*, Polska a Hugonoci po nocy św. Bartłomieja. Krak. 1910 str. 231. K 4.—.
- Ks. Dr. *Szydelski*, Archidiecezja lwowska na synodzie w r. 1641. Lwów 1910, str. 184. 3 K. (rec. ks. Dr. Kantak in Mies. kośc. 1911 t. VI p. 76—77).
- Ks. Dr. *Antoni Szymański*, Poglądy demokracji chrześcijańskiej we Francji (1892—1907). Poznań 1910. Księg. sw. Wojciecha. M 0·60.
- Tomkowicz*, Zabytki sztuki u Karmelitanek w Krak. 1910. Krak. str. 22 (e XII. Rocznik krakowski).
- Ks. *T. Trzeciński*, Katalog rękopisów biblioteki kapitulnej w Gnieźnie aż do początku wieku XVI. Poznań 1910. M 2·50.
- Ks. Dr. *K. Wais*, W obronie scholastyki. Lwów 1910 str. 35 (De Twardowskii libro: O filozofii średniowiecznej).
- Ks. *St. Wysocki*, Seminaryum zamkowe w Krakowie. Jego dzieje i ustrój. Lwów, Gubrynowicz i Syn 1910 XVII 331 str. (rec. ks. Dr. R. Bączkiewicz C. M. in Mies. kośc. 1910 t. IV p. 223—9).
- Dr. *Jan Zubrzycki*, Styl nadwiślanski jako odcień sztuki i średniowiecznej w Polsce. Krak. 1910 str. 210, rys. 238. K 12.—. J. Ś.

Dr. *Michał Żmigrodski*, **Przegląd historii sztuki w Polsce. Conspectus historiae artium in Polonia.** Kraków 1911, Spółka wydawnicza polska. I. Text p. 275 II. Ryciny i tablice (Imagines et tabulae) fig. 266. Pret. 10 Cor.

Liber hic exstitit ex lectionibus, quas scriptor iam aliquot annos habere solet in „Cursibus superioribus mulierum, qui nomine Dr. A. Baraniecii Cracoviae celebrantur“. Non historiam artium in Polonia, sed huius propositi qualemcumque conspectum, via et ratione ordinatum praebere vult et praebet scriptor. Magnam ignorantiam artis monumentorum, quae in patria servantur, tollere vult, maxime in iis, qui student litteris in scholis mediis et superioribus.

Propositum exsequitur his capitibus: Tempus ante artem romanicam; tempus transitus; tempus artis goticae; (in hoc capite inter alia de vi, quam artium cultores Bohemi tempore Caroli IV. in artem polonicam exercebant loquens, de copia imaginis B. M. V. „z Brasławia w Czechach“ loquitur, Zbraslaviam ut puto significans), tempus renascentis artis antiquae; saeculum XIX., cui maiorem partem dat, quam ceteris quae diximus temporibus.

Artem, quae dicitur religiosa, plurimis locis respicit. Inter alias operis virtutes est perpetua comparatio operum artis, quae in Polonia servantur, cum monumentis optimis aliarum terrarum, quod et in textu et in imaginibus cernitur. Desiderari vix potest in conspectu quod omissa est explicatio rerum e diversorum saeculorum diversis studiis, quamquam occasio saepe aderat (videsis crucem illam pulcherrimam in fig. 136). Cum hic conspectum praebet scriptor aliqua quoque opera sua allegat, quae huic

proposito inserviunt: Krótki zarys Historji sztuki, [Kraków 1911 p. 2000 Pr. 16 Cor.]; eiusdem magnum opus plures tomos continens: „Historia sztuki“, „Przegląd Archeologii do historji religii“, „Lud Polski i Rusi - - obrzędy weselne“, alia.

Haec alia scripta sunt testimonio, eum, de quo paucis diximus, librum, quamquam stilo scriptus est fere populari, omnibus, quae via et ratio postulat, satisfacere, et externis satis prodesse posse. Addi tamen potuit index nominum et imagines perfectius exprimi.

J. Vraštil.

Marya z Pragi, Chryścianie ewangeliczni. Nowa sekta w Warszawie. Kraków 1911 p. 19. (*Christiani evangelici.* Nova secta Varsoviae.)

M. Cihlarz, Pragensis, Mariavitarum res optime cognovit. Quos, cum falsa de eorum moribus studiisque divulgarentur, defendebat. („Tak samo i Marjawitom słusznie zarzucić można, że ciężko pobrałdzili przeciwko karności kościelnej lecz dlatego dawać wiarę wszelkim choćby najpotworniejszym krążącym o nich pogłoskom, takim jak rozpusta, wyzysk i t. p. brudy szezyc jest oszczerstwem“. Myśl Niepodległa 1907, Nr. 16). Sed cum a potestate ecclesiastica repulsi contra eam in studiis perstitissent, eos, etsi excommunicationem iniuste factam esse eosque excusari (cf. Wiadomości 1907 No. 5) existimabat, cum catholica hierarchia reconciliare pro viribus conabatur. Quorum duces cum initio nulli rei nisi pietati augendae operam dantes plurimorum animos commovissent, postea, cum pecuniam quam plurimam ad sectae suae gloriam externam, colligere studerent populum piū adversarium habuerunt. Quod cum ks. Żebrowski animadvertisset, publica errorum suorum confessione facta populum maxime commovit. Verum successu corruptus etiam longius a Roma suos ducebat. Societatem enim cum baptistis Russorum (quorum Utremnjaja Zvězda Petropoli editur, studiisque honestatis pietatisque divulgandis dat operam) inire volebat. Atque certe novum indidit suis nomen: christianos evangelicos; alia autem negat et in Malinovskium aliosque culpam transfert. Pulcherrime monet eum *M.* p. 18: „A jednak dawniej, szczerem pragnieniem jego było naprawić lud, który żaden postęp duchowego i poprawy moralnej, pełen nadziei zwrócił się do niego: lecz poprawa ludu nie uda się jemu dla tej samej przyczyny, dla której nie udaje się Xx. Maryawitom. Tego powodzenia Bóg nie udziela nigdy tym, którzy od własnej odstąpili poprawy. A on odstąpił — i zamiast ze swego wpływu korzystać, by prąd garnącego się do niego ludu od siebie zwrócić ku Bogu i pełnieniu Jego Woli, — popularność swoją zapragnął wyzyskać dla siebie: moralnem kuglarstwem swoim, powstrzymuje lud od tego, czego lud ten na wpół świadomie pragnie i u niego szuka.“

Kwartalnik historyczny. Organ Towarzystwa historycznego. Wydaje Aleks. Semkowicz. Lwów. Rocznik XXII (1908)—XXIV (1910).

A. Brückner, Co sądzić o „Żywotach Cyryla i Metodego“ XXII 1—15.

Ludw. Kolankowski, Sprawy polskie przed Stolicą apostolską w okresie rewolucyi religijnej w Niemczech. Z powodu L. Pastora *Gesch. d. Päpste...* tom IV cz. I. i II. XXII. 321—343

Majer Balaban, Przegląd literatury historii Żydów w Polsce 1899—1907. XXII 496—524.

Winc. Zakrzewski, Projekt prymasa Łaskiego z r. 1516 przeniesienia z Prus do Włoch Zakonu niemieckiego XXIII 154—160.

Prof. *Tad. Wojciechowski*, Plemię Kadłubka 1—26, W. defendit se a suis criticis, idque non sine quodam successu. Quod illi obiectum est, non genuinis cum usum esse verbis, sed corruptis, prorsus refutat. W. verba Galli ex editione Bandtkiana attulit, „Non debuit christianus in christianos peccatum quodlibet corporaliter (non „turpiter“, ut falso scriptum est in Sl. l. th. V 137 vindicare“, illaque sic interpretatus est: „non debuit christianus (rex) in christianum (episcopum Stanislaum) peccatum“ etc... Interpretatio haec ob internas rationes electa ipsa nunc comprobata est, nam signa palaeographica codicum saeculi XIV.: „xpc in xm“ revera legenda sunt „christus in christum“, id quod ex imaginibus a prof. Krzyżanowski ibidem editis apparet. Hoc modo historica interpretatio prof. Wojciechowski recta dicenda est. Gallus episcopo Stanislao „traditionem peccaminosam“ tribuit, sed nulla praebet indicia, quibus genus „peccati“ cognoscere possimus. Constat autem corpus Sti Stanislai iam post decem annos (1089) honorifice in cathedram montis Wawel translatum et sub altari maiore conditum esse. Kadłubek saec. XII. de eo ut martyre loquitur. De vero cultu et martyrio traditione spectata dubium esse nequit.

Prof. Wojciechowski sententiam suam corrigit et aperte dicit, se nihil statuere nisi „ex chronicis Galli Stanislaum sanctum fuisse demonstrari non posse omnesque eiusmodi conatus irritos esse habendos, concedit autem nos ob eam rem de cultu Sti Stanislai sollicitos „fieri non debere.“ At nemo certe ex solis Galli chronicis hoc probare posse sibi videtur.

St. Krzyżanowski. Na marginesie Galla XXIV p. 27—35.

Mar. Eodyński, Węgry lennem Stolicy Apostolskiej XXIV p. 36—65 De Hungaria Sedi Apostolicae obnoxia.

Mar. Eodyński, Opat Gotfryd i biskup Chrystyan. Kilka uwag z powodu rozprawy Emila Metznera p. t. Die Identität des Abtes Gottfried v. Lekno mit Christian, dem ersten Bischof von Preussen. Graudenz 1906. XXIV p. 98—120.

Wład. Semkowicz, Nieznane nadania na rzecz opactwa jędrzejowskiego w XII w. XXIV p. 66—97.

Jan Friedberg. Zatarg Polski z Rzymem w czasie wojny trzynastoletniej. XXIV p. 422—467. De bullis Calixti III Refrigescite caritate, Pii II Nihil tam cordi nobis. Propter devotionem aliisque documentis ad res Poloniae pertinentibus exponitur.

Wł. *Konopczyński*, Do charakterystyki biskupa Sołtyka z powodu prac. Kaz. Rudnickiego. Biskup Kajetan Sołtyk 1715—1788. 1906 i Adama Skalkowskiego Biskup Sołtyk w zbiorze „O cześć imienia polskiego. Lwów 1908. XXIV 468—494. *E. Matzel.*

Miesięcznik Kościelny (Unitas). Pismo duchowieństwa archidiecezyi gnieźnieńskiej i poznańskiej. (Editur a prof. Dr. Wł. Hozakowski.) Roczn. II. tom III. IV. Zeszyt 13—24. Poznań 1910.

Adolf Pitynek, Działalność socyalna prawem i obowiązkiem duchowieństwa. III 1—17. Sacerdotibus et ius et officium esse de societate bene merendi.

Dr. *Tadeus Trzeciński*, Męczennicy w pierwszych wiekach chrześcijaństwa. III 18—26 ; 179—189; 270—281. De trium primorum saeculorum martyribus.

Alfred Einke, Morfologia scholastyczna w świetle dzisiejszej atomistyki. III 27—39. Scholasticorum de forma et materia opinionem conciliare conatur cum atomismo. Illam confirmari putat et unitate materiae magis magisque a naturae investigatoribus patefacta et convenientia vitae rerum naturae; at hac non formae, sed leges, ideae divinae, quibus omnia reguntur, efficiuntur sive sunt in rebus sive super eas, illa vero potius ad naturam alterius partis rerum creaturarum (Conc. Lat. IV. c. 1) cognoscendam valet.

St. Adamski, Stowarzyszenia Katolickich Towarzystw Robotniczych w obrębie archidiecezyi gnieźnieńskiej i poznańskiej. III 40—43. Numeris illustratur status societatum operariorum in Poznania.

Maurycy Paciorkiewicz, Z psychologii niewiary. III 89—99. Cur hac aetate animi a christiana religione aversi sint.

Dr. *St. Zegarliński*, Nowy obrońca Marxa. III 100—112. De Marxio a W. Hohoff (Die Bedeutung der Marxschen Kapitalkritik. Paderb. 1908) defenso.

Mich. Szuca, Kilka uwag o transformizmie. III 165—178. De Miwartii et Wassmanni opinionibus et quid Słowacki poeta in hac re senserit.

Karol Michalski, C. M., Episkopat i Prezbyterat w Piśmie św. Nowego Testamentu. III 245—269; 325—346; 423—442.

Józ. Goral, Gorzkie żale. III 289—295. De canticis antiquis de passione Domini, unde et quando orta sint etc.

Dr. *St. Zegarliński*, Zapatrywania, J. Duns Scotus na własność III 347 ad 358; 459—471. Quid Duns Scotus de iure proprietatis senserit.

Dr. *Kaz. Lubecki*, Chrześcijański mistrz piękna. III 372—383. Quae sit s. Augustini opinio de pulchro.

Dr. *Fr. Gabryl*, Teorya Darwina w świetle paleontologii. III 443—458. Darwinii opinionem minime confirmari palaeontologorum inventis.

Leon Rankowski, Sprawa obrazu Matki Boskiej Częstochowskiej na sejmie rozbiorowym w Grodnie 1793 r. IV 1—13. De imagine B. M. V. a. 1793 Catochovia Varsoviam non translata.

Dr. *Antoni Prumbs*, Sobór trydencki a istota łaski uświęcającej. IV

14—25; 159—165. Refertur de Hefneri libro „Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes. Paderb. 1909.“

J. M. Giżycki, Siedziby Karmelitów Trzewieczkowych na Litwie i Rusi. IV 26—42; 132—158. Exponitur de omnibus sedibus, quas Carmelitae aliquando habuerunt in Lituania et in Russia.

Kaz. Cwikliński, Codzienne czynności kapłana a prawo cywilne. IV 43—46. Quid legibus civilibus postuletur a sacerdotibus in sacris faciendis accepto stipendio et sim.

Wacł. Gieburowski, Pieśń „Bogurodzica“ w świetle dotychczasowych badań. IV 93—123. Quid de cantico „Bogurodzica“ (s. XIV) erutum esse videatur.

Wł. Stuzalek, Nauka cerkwi rosyjskiej o karze doczesnej i epitymii IV 124—131. Quid theologi Russorum de poena temporalis et de epitymia sentiant. Nova non afferuntur.

Euzebiusz Stateczny Zak. Br. Mn., Św. Franciszek z Asyżu na tle swego wieku i społeczeństwa. IV 166—177; 265—276; 379.

Dr. Fr. Gabryl, Darwinizm a stanowisko Kościoła katolickiego IV 252 ad 264; 366—378 Nec ea quae de origine vitae nec quae de origine hominis doceat ecclesia refutari probatur. Nobis plus esse efficiendum videtur, non ab ecclesia, sed a theologis in natura rerum investiganda, quam scriptor videtur existimare, ut alias monimus (de non defendendo solum ecclesiae dogmate sed explicando, de naturae studiosis non monendis tantum ne dogma negent, sed instruendis. Sl. I. th. IV 207).

W. Gadowski, Sakrament pokuty w wychowaniu IV 385—397; 479 ad 492. Quomodo catecheta et confessarius sacramentum poenitentiae ad educandorum mores corrigendos conservandosque adhibere debeant.

Dr. Michał Peckowski, Ks. Mikołaja Cichowiusza T. J. „Wizerunek nieprawdy aryańskiej“ IV 277—290; 455—467. De Cichovii libri contra socinianos scripti e litteris polemicis saec. XVII prompti scriptore et argumento exponitur.

Józ. Koterbski, Polacy a kult Świątych Polskich IV 291—302. Quomodo Poloni sanctos suos colant.

Euzeb. Stateczny, „Sillon“ we Francyi 433—443. De M. Sangnieri opinione. A. Š.

Eos. Roczn. XV—XVI 1909—1910.

T. Sinko, O rękopisach mów św. Grzegorza z Nazyanzu w bibliotekach włoskich. Cz. II; XV 83—81. Praeter italicos codices refertur etiam de moscoviensibus, vindobonensibus, monachicis etc.

G. Przychocki, Watykańskie rękopisy listów św. Grzegorza z Nazyanzu wraz z dodatkiem odnoszącym się do historii studyów nad św. Grzegorzem. XVI 100—136. De epistularum sancti Gregorii Nazianzeni codicibus manuscriptis vaticanis et quanti aestimata sunt eius scripta a posterioribus.

Kwartalnik Litewski. Petersburg 1910. Rok I (edendis his commentariis praest Jan Obst).

Wł. Zahorski, *Obraz N. M. P. Ostrobramskiej w Wilnie*. I p. 19—33. (De imagine B. M. V. saec. XVI. descendente picta) (rec. in Zap. Ševč. 1910 I 198).

Marek Gozdawa, *Mozyrz. De ecclesiis, monasteriis, scholis*.

Idem, *Kimbarówka* IV 25—41 (De monasteriis Cisterc. saec. XVIII).

M. Godlewski, *O kardynalacie Stanisł. Siostrzeńcewicza* II 13—23; III 51—59; IV 13—25 etc.

M. Gozdawa, *Wspomnienie o Pijarach Witebskich* str. 89—110.

W. Zaborski, *Kościół św. Mikołaja w Wilnie*.

Z. Dunin-Kozicki, *Szczątki kalendarza Franciszkanów wileńskich XV w.*

Krytyka 1908—1910 Miesięcznik poświęcony sprawom społecznym nauce i sztuce. Kraków, ul. Stachowskiego L. 14.

Dr. H. Biegeleisen, *Aryanie polscy* (na podstawie rękopisu Sz. Morawskiego, nie ogłoszonego w jego książce: *Aryanie polscy*. Lw. 1907) 1908, n. 3 (268—273); 4 (366—373); 6 (550—558).

Hel. Kozicka, *Religia w nauczaniu i wychowaniu* 1909 n. 2. 114—119); n. 3 (154—158.) *Libera schola, quae vocatur, defenditur*.

Dr. W. Miklaszewski, *Kobieta wyzwolona a miłość*. 1908 n. 1 (41 ad 46); n. 5 (449—454).

Dr. Stan. Kelles-Krauz, *Problemat seksualny* 1910 n. 1. 3 (p. 142 ad 148).

Prąd 1910.

Z. Fedorowicz, *Ewangielja w zyciu społecznym*. (Czerwiec).

Biblioteka Warszawska 1910.

K. Ostrowski, *Początki odrodzenia katolicyzmu w Anglii*.

Przegląd historyczny. Dwumiesięcznik naukowy, wydawany przez Towarzystwo Miłośników Historji w Warszawie. Tom. VI—VII (1908) Warszawa (Krakowskie Przedmieście 5).

Aleksander Brückner, *Cyryl i Metody*. VI 295—305; VII 159—168.

Fel. Just. Gajster, *Stosunek podania Gallusowego o Piaście do legendy o ś. Germanie*. VI 143—154. *Legenda de Piasto* (Gallus) comparatur cum legenda S. Germani.

Ks. Michał Godlewski, *Ostatnie pragnienie Stanisława Siostrzeńcewicza-Bohusza*. VI 83—99 *De Stanislao archiep. mohileviensi, qui usque ad mortem gallicanus mansit*.

Rom. Plenkiewicz, *Opactwo cysterskie w Wąchocku* VI 13—32. *De monasterio cisterciensi a. 1179 fundato quod „Cella-Mariae” (Camina Minor) vocabatur* (23. filia Morimundi).

M. H. *Ostateczny koniec Aryan polskich*. VII 84—92.

Ant. Prochaska, *Z życia biskupa Przemyskiego (Aleksandra Trzebieńskiego)* VII. 75—83; 204—211.

Roczniki Towarzystwa przyjaciół nauk poznańskiego. 1906—1907 (tomus XXXIII et XXXIV) Poznań 1907—1908:

K. Kantak, *Kronika Bernardynów Bydgoskich* p. 1—333.

St. Trąmpczyński, O życiu i działalności Fabiana Sarneckiego, malarza wielkopolskiego XXXIV 233—245.

Nikodem Pajzderski, Kościół na Zdzieżu pod Borkiem. XXXIV 247-271.
I. Warmiński, Kilka nowych kart z życia Andrzeja Frycza, zwanego Modrzewskim XXXIV 273—316.

Przegląd Powszechny 1910, Tomus CV—CVIII, Cracoviae.

Ks. *Jan Rostworowski* T. J., *Evolucya dogmatu w modernizmie* (tom. CV, pag. 1—16). Scriptor absolvit materiam inchoatam in tomo utroque proximo. Cum ibi notionem revelationis omnino aliam quam modernistae defendunt, statuisset, nunc monet, se verba „evolutio veritatis revelatae, historia et evolutio dogmatum“ intellegere tamquam veritatem logicam, quae sit cognitio veritatis; revelationem sensu obiectivo intellectam nullo modo crescere neque mutari posse. Ostendit, modernismum, qui evolutionem sibi soli vindicaverat, evolutionem dogmatum sustulisse; cum affirmaret, ea quae sunt revelationis, nulli omnino mutationi subiecta esse; ea, quae in fide christiana se evolvunt, non esse revelata, et quantum se evolvant, tantum recedere a caractere divino fierique magis naturalia et humana. Allegat verba Tyrelli quae huc pertinent. Contra quae demonstrat, naturali cuidam commixtioni (zrośnięcie) veritatum, quas revelatio praestitit, cum veritatibus, quas philosophia praebet, acceptam referri evolutionem dogmatum sensu catholico. Ecclesia accuratius determinans, quaecumque potuit, novam formulam, evolutione hac acquisitam, dogma fidei esse credidit, nequaquam interpretationem humanam, ideoque per os conciliorum et Pontificum Romanorum has formulas credendas proponere non dubitavit.

Ks. *Fryderyk Klimke* T. J., *Książka o kwestyi kobiecej*. (pag. 17.—30.) (Liber de quaestione muliebri.) Commendatur altera editio libri P. Augustini Rössler C.S.S.R. „Die Frauenfrage vom Standpunkte der Natur, der Geschichte und der Offenbarung“, qui totam quaestionem hanc sub respectu iuridico, oeconomico, paedagogico e quaestione de matrimonio pendere asserit.

Ks. *Leonard Lipke* T. J., „Civitas Dei“ w epoce Karola Wielkiego. („Civitas Dei“ tempore Caroli Magni.) Walka z lichwą (Pugna cum usuris iniustis). Tom. CV, pag. 49—65. In hac parte longae commentationis, ex proximis tomis notae, exponitur, quae Carolus Magnus contra usuram fecerit; p. 347—361 Wielkie gospodarstwa rolne, (De latifundiis maioribus). Agriculturae reformator Carolus M. duas res spectabat, alteram: incrementum reddituum regis — quod ortum est ex incremento uberrimi fontis — agriculturae; alteram: magna latifundia fieri debebant contra quaedam civilis cultus. Tom. CVI, pag. 62—74: Wielkie gospodarstwa rolne i handel. (Latifundiorum vis in commercia). Tom. CVII. p. 81—97: Handel i sprawy monetarne (Commercium et res monetaria). Tom. CVIII. p. 229—248: Teorye kościelno-państwowe św. Augustyna i pisarzy weczesnego średnowiecza. (Theoriae ecclesiasticopoliticae sancti Augustini et scriptorum aetatis mediae ineuntis.)

Perscribitur vis „Civitatis Dei“ S. Augustini aliorumque eius librorum in eccles.-politicis res mediae aetatis. Praeter s. Augustinum magnam hic vim exseruerunt scripta papae Gelasii I. (cum alia, tum tractatus IV. et litterae ad Anastasium imperatorem datae.) (Commentatio haec magnam eruditionem prae se ferens anno 1910 nondum est finita.)

Ks. *Karol Felis* T. J. Ostatnie dziesięciolecie archeologii chrześcijańskiej. (Ultimum archaeologiae christianae decennium.) Tom. CV pag. 160—178, 331—346; Tom. CVI p. 41—50.

F. recenset monumenta christiana vetera, his annis revelata: Romae sacrae „coemeterium ad Nymphas“, antiquissimum Romae templum (B. M. V. dicatum), basilicam „S. Maria Antiqua“ in foro apud Palatinum, „cryptam Marci et Marcelliani“, qua detecta Marucchi topographiam Romae subterraneae mutavit, „cryptam Damasi“ a Wilperto detectam, arcana cryptarum ss. Felicis et Adaucti a. 1904 revelata, catacumbas sub basilica s. Agnetis a. 1902 inventas; ignotum antea coemeterium christianum e IV. saeculo, in via Latina repertum. Deinde alias Italiae partes simili modo lustrat, in Austriam transit, basilicam Aquileiensem adhuc circumfodi narrat, basilicam patriarchae in civitate Grado casu inventam esse dicit, similiter basilicam s. Hermagorae in Valle Longa in Istria, ubi lipsanoteca reperta est eburnea, pulchrior inter alia vetera christianae artis opera. Similis lipsanoteca reliquiarum cuiusdam Apostoli Salonae in confessione basilicae in coemeterio apparuit. A. 1906 in propinqua civitate Spalatensi apud palatium Diocletiani crypta christiana e saec. VI. inventa est — primum his locis christianorum vestigium. Similis crypta a. 1900. Clano prope Ragusam inventa est. Moguntiae in Germania inventae sunt multae reliquiae sculpturarum et inscriptionum veterum christianorum, quae multum conferunt ad epigraphicam christianam. Similiter perstringuntur monumenta in Chersoneso. Constantinopoli. in Asia Minore. Syria, Palaestina. Aegypto. ubi Hadrumeti a. 1903 primae maiores in Africa catacumbae inventae sunt, quarum 117 galeriae cum 7300 sepulchris usque ad a. 1907 detectae sunt. Item binae christianae necropoles inventae sunt in civitate Antinoë, similiter Carthagine, ubi inventa sunt plus quam mille fragmenta inscriptionum et imaginum christianarum.

In vasta regione Lybica a. 1906 in Karm Abum inventus est locus peregrinationibus sacris in Oriente apud christianos veteres post Ierosolyma celeberrimus, basilica s. Mennae. Pag. 331—346 lactum incrementum litteraturae de archaeologia christiana depingitur. Palma traditur duobus tomis Iosephi Wilpert, Die Malereien der Katakomben Roms. (1903.) Commemoratur continuatio celeberrimi operis Rossii: Roma Sotteranea cristiana (Nuova serie); primus fasciculus (1909) datus est coemeterio Domitillae. Novissimus liber Iosephi Wilpert inscribitur: Die Papstgräber und die Cäciliengruft in der Katakombe des hl. Kallistus (1909). Multa nova affert ad explicanda singula monumenta huius coemeterii. Descriptionem doctrinae plenam nacta sunt coemeteria christiana Siciliae, quae in multis dissimilia sunt Romanis. in postumo opere Iosephi Führer († 1903): „Die altchristlichen Grabstätten Siciliens“.

quod a. 1907 Victor Schultze edidit. A Siculis haud longe abesse coemeteria christiana insulae Melitae ostendit Albertus Mayr breviore libello: „Die althristlichen Begräbnisstätten auf Malta“. Celebrerrimus vir archaeologus Kaufmann simili materiae commentationem dedit: „Ein christliches Pompeii in der lybischen Wüste“. (1902). Describit necropolim, cui nomen est El-Baghôât, horae spatio distantem ab urbe El-Kargeh.

Ultimo tempore multam operam navavit christianae Aegypto director musei a Petro M. Petropoli instituti, Vladimirus Bock, cuius postumum opus „Materiaux pour servir a l'archéologie de l'Égypte chrétienne“ a. 1901 Smirnov lingua russica et gallica edidit. Libellus hic, quamquam parvus est, secundum peritos (ut Kaufmann in opere nuper allato) idem momentum habet ad architecturam aegyptiacam, quod primi libri clarissimi Rossi ad artem Romanam attulerunt.

Africae describenque serviunt hi libri: August Audolent, „Carthage romaine“ (1901), monographia amplissima. Totius Africae christianae imaginem praebet doctissimi P. Henrici Leclercq O. S. B. liber: L'Afrique chrétienne (duo tomi, altera editio 1904). Magni quoque momenti est alter tomus operis: Stephanus Gsell, Les monuments antiques de l'Algérie (Parisiis 1901.)

Iuvat quoque mentionem facere catalogi mille monumentorum veterochristianorum musei Britici, qui totidem fere imaginibus ornatus est, ita ut sit adiumentum haud spernendum viris doctis. Hic liber inscribitur: Dalton, Catalogue of early christian antiquities and objects from the christian east in the department of british and medieval antiquities and ethnography of the British Museum. (Londini 1901.) Artem copticam complectuntur duo catalogi musei Cahirensis: viri docti Angli Crum, Coptic monuments (Cairo 1902) et professoris Vindobonensis Strzygowski: Koptische Kunst (1904). De arte coptica agit etiam liber: Gayet, L'art copte (Parisiis 1902).

Alium catalogum edidit a. 1906 Iosephus Wittig: „Die althristlichen Skulpturen im Museum der Deutschen Nationalstiftung am Campo Santo in Rom“. Aliam viam ac rationem sequitur opus Graeveni: Frühchristliche und mittelalterliche Elfenbeinwerke (Series I, 1898, e museis anglicis; series II, 1900, ex italicis). — Libellum P. Henrici Grisar S. I. „Die römische Kapelle „Sancta Sanctorum“ und ihr Schatz“ (1908) praecessit Laueri liber „Le Trésor du Sancta Sanctorum“ (Par. 1907). Inter auxilia archaeologiae christianae principem locum obtinet „Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie. Hoc opus summi laboris inde ab a. 1903 edunt Benedictini Angli.

Inter manuales quos dicunt libros archaeologicos ultimi decennii numerandi sunt: Marucchi, Éléments d'archéologie chrétienne. (Tres tomi, Romae 1900 sqq.); Dom H. Leclercq Manuel d'archéologie chrétienne. T. I. et II. Parisiis 1907; Kaufmann, Handbuch der christlichen Archäologie, Paderborn 1905; P. Syxtus O. C. R., Notiones archaeologiae christianae, disciplinis theologis coordinatae. I. II. Romae. Ad synthesim quandam adspirant monographiae: Pelka, Althristliche Ehedenkmäler, 1901; de imaginibus B. M. V. agunt: Venturi. La Madonna. Svolgi-

mento artistico delle rappresentazioni della Virgine. 1900; Jameson, *Legends of the Madonna as represented in the Fine Arts*. 1903; Munz, *Iconografia della Madonna*. 1905. De imaginibus Nativitatis Christi Domini: Dawson, *Christmas. Its origin and associations*. 1903.

De figura staturae Christi Domini agebant: French, *Christ in Art*, 1900; Bayliss, *Rex regum*, 1902; Dobschütz, *Christusbilder*, 1900; Weiss-Liebersdorf, *Christus- und Apostelbilder*.

In fine commentationis refert scriptor sententiam Strzygowskii (ex libris: Byzant. Denkmäler, I—III; Orient oder Rom; Hellenistische und koptische Kunst in Alexandria; Kleinasien etc.), artis christianae cunas in Oriente ponentem, cum viri docti Vindobonenses Wickhoff et Riegel originem eius Romae vindicaverint, Kraus vero Aegypto, maxime Alexandriae.

Ks. *Fryderik Klimke*, Darwin i jego dzieło. (Darwin eiusque studia). Tom. CV pag 313—330, Tom. CVI pag. 51—61.

Elegans lectio publica, 22. februarii 1910 in atrio Copernicano universitatis Cracoviensis habita momentum Darwini ad res naturae investigandas definit. Monet, iam S. Augustinum sublimem illam cogitationem de evolutione edixisse, cum affirmaret, totam cosmogoniam esse constantem evolutionem e „rationibus seminalibus“. Post saecula Nicolaus Cusanus, Giordano Bruno, Descartes, Kant, Laplace, Locke, Hume, Schelling, Hegel suis disciplinis cogitationem illam suo quisque modo adaptaverunt, cogitationem dico abstractam, nullo modo peritiae innixam. Empiriae hypothesin hanc Darwin superstruxit noto opere „On the origin of species“ (1859). Tum vitam, tum genesim huius libri, tum vim eius in animos et studia pulcherrime narrat scriptor, immutationem doctrinae eius ipsiusque impugnationem (cum aliorum, tum Alberti Fleischmann, professoris geologiae in universitate Erlangensi, qui quondam a Darwini partibus steterat, botanicorum Naegeli et Reinkei, maxime vero Wiegandii, viri accuratissimo opere clarissimi, porro clarissimi Caroli Ernesti von Baer, philosophi Eduardi Hartmann, Iesuitae Wasmann, virorum doctissimorum de Vries, Driesch, Strassburger, Hertwig, aliorum).

Bene distinguendum est inter opinionem evolutionis et opinionem darwinianam de selectione naturali, quam viros vere doctos „ad acta“ posuisse constat. Cogitatio evolutionis ipsa uberrimos fructus in variis disciplinis tulit, quod verum Darwini meritum est, cum novarum disciplinarum origo sit cogitatio illa divulgata, cum omnes regiones sentiendi et agendi permeaverit. Dolendum tamen urgeri eam ibi quoque, ubi desunt, quae necessaria sunt ad eam exstruendam, quod factum est in „erroribus logicis et haeresibus metaphysicis“, quas statuerunt Haeckel, Spencer, Hartmann, Nietzsche, alii.

Inter viros doctos catholicos vel saltem fide sincera et profunda imbutos a partibus evolutionis stant: G. Waagen, qui primus evolutionem ad palaentologiam applicavit, petrographus C. A. Lossen, clarissimus vir zoologus e congregatione Lazaristarum A. David, palaentologus et botanicus O. Heer, geologus F. A. Quenstedt, physiologus A. G. Volkman, botanicus Alex. Braun, Americani Dana et Gray, physicus anglicus Lord Kelvin et geologus Ch. Lyell, palaentologus Gallus A. Gaudry,

professor univ. Graecensis J. Ude, Nestor catholicae philosophiae in Germania C. Gutberlet, notus myrmecologus E. Waemann S. I. Nemo utique horum virorum doctorum defendit absolutum evolutionismum metaphysicum, qui nostro tempore inter viros doctos, fidei christianae abalienatos, multos sectatores habet et in religione pantheismum vel monismum profitetur, qui principiis causalitatis et rationis sufficientis adversatur, et notioni „absoluti“ repugnat, ad quam evolutionistae quoque volentes nolentes pervenire debent.

Ks. *K. Czaykowski* T. I., Z powodu dzieła księdza Chotkowskiego. Aestimatur et commendatur primus et secundus tomus magni operis: „Historya polityczna Kościół v Galicyi za rządów Maryi Teresy. Kraków 1909. Tom. I, pag. XXIII, 444; tom. II., p. XI, 532. 8'. (Politica historia ecclesiae in Galicia imperante Maria Theresia. Tom. CVI, pag. 9—25.)

Tad. Stan. Grabowski, Dr. Matija Murko i jego dotychczasowa działalność naukowa. (Dr. Matthias Murko et quae ad doctrinam usque ad haec tempora contulerit). Tom. CVI. p. 26—40, 206—227.

Clarus professor litterarum slavicarum Graecii in Styria a. 1908 Lipsiae sumptibus Amelangianis edidit in serie „Die Litteraturen des Ostens in Einzeldarstellungen“ partem: „Geschichte der älteren süd-slavischen Litteraturen“, quod opus multa, ut natura rei fert, de litteris theologicis Slavorum meridionalium affert. In quaestione de S. Cyrillo et Methodio non exhaustit scriptor, quae viri docti ultimo tempore ad rem scripserunt (Brückner, Potkański, Snopek, Hýbl). Digna quae hic commemorantur sunt, quae contra opinionem Vondrákii, aliorum, dicit Murko de legendis e vita s. Cyr. et Meth. Grabowski appellat opinionem Dris Murko „unam ex parte philologiae slavicae bene confirmatam.“ Ex ipsa dicendi arte Murko iudicat, utramque legendam non posse ab eodem scriptore ortam esse, sed unam s. Cyrillo, alteram Clementi, Methodii discipulo, tribuit, quem Vondrák scriptorem utriusque legendae esse putat. Frustula „Freisingensia“ Murko, laudante professore Máchal, quaedam dialectica slovenica continere putat, cum Vondrák ibidem slovacica et croatica inveniat. In alio opere cyclico: Die Kultur der Gegenwart, ihre Entwicklung und Ziele, herausgg. von Paul Hinneberg, I. Teil, IX. Abt., Teubner, Leipzig 1908, p. VIII et 396, cui parti inscribitur: Die osteuropäischen Literaturen und die slavischen Sprachen, von Brückner, Jagić, Máchal, Murko, aliis, scriptor, de quo loquimur, brevem, sed solidam partem explevit, historiam litteraturae Slavorum meridionalium, l. I. pag. 194—145. Maximum opus Dris Murko erit „Deutsche Einflüsse auf die Anfänge der slavischen „Romantik“, cuius primus tomus — alii nondum editi sunt — inscribitur: „Die böhmische Romantik“ (Graecii, Styria 1897.)

E ceteris scriptis nostra intersunt: commentatio bibliographico-critica de Vatroslavo Oblak (slovenice edidit Slov. Matica in VI. tomo „Knezove knjiznice“ 1900, p. 73; germanica editio, brevior: V. Oblak, Ein Beitrag zur Geschichte der neuesten Slavistik, Wien 1902 (Hölder), p. 62. Oblak enim studiis dialecticis innixus eam quae vocatur „hy-

pothesin Pannonicam“ Kopitari et Miklošičii, sustulit, linguam palaeoslavica in Pannoniae finibus collocantium, eique novam opinionem „bulgaricomacedonicam“ opposuit, quam hodie omnes viri docti profitentur. — Litteras bohemicas Murko commentatione „Johannes Huss als Reformator der lateinischen Schrift“ (*Στρωμάτις*, Grazer Festgabe zur 50. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, 1909) tractavit. Digna quae afferantur sunt etiam: „Zapadna epistola o nedelji v južnoslovanski književnosti“ (Zbornik u slavu V. Jagića 1908, p. 725), „Die slavische Liturgie in Adria“ (Österr. Rundschau 1905, 17. Heft.).

Ks. *Czaykowski* T. I., *Trzechsetny jubileusz Bonifratrów w Krakowie* (Jubilaeum trecentorum annorum Fratrum Misericordiae Cracoviensium. (Tom CVI, p. 144—158.) Merita et labores christianae caritatis huius ordinis per tria saecula aegrotos curantis perscribuntur.

Ks. *Jan Rostworowski* T. J., *Ważne odkrycie na polu starochrześcijańskiej literatury*. (Magni momenti documentum ad litteras palaeochristianas pertinens nuper inventum.) Tom CVI p. 288 ad 310. Tom. CVII, p. 328—349.

Celebritatem adepta est his annis quaestio de „Odis Salomonis“ quae vocantur, quod monumentum Rostworowski se litteris tribuere christianis titulo commentationis indicat contra Harnackium, qui illud a Iudaeis profectum esse existimat. interpolationem tantum christianis relinquens. Oblivioni has „odas Salomonis“ eripuit vir doctus Anglus J. Rendel Harris libro edito: „The odes and psalms of Salomon, now first published from the syriac version.“ Cambridge 1909.

„Odae Salomonis“ est corpus poematum argumenti sacri, quae in usum privatum suum et aliorum fidelium pius poeta primo tempore christiano cecinerat. Carmina haec adeo pulchra et sublimia sunt, tantumque ad cognoscendum conferunt spiritum et dogmaticas notiones veteris Ecclesiae, ut eorum cognitio, ut Harnack quidem opinatur, maioris momenti sit ad litteras palaeochristianas illustrandas, quam inventa celebris *Διδαχή τῶν δώδεκα ἀποστόλων*.

In libello „Ein jüdisch-christliches Psalmbuch aus dem ersten Jahrhundert“, Leipzig 1910, Harnack dicit: „Die... Indifferenz gegenüber dem geschichtlichen, öffentlichen und vulgären Ausdruck beider Religionen, ist um einen Grad erträglicher und verständlicher, unter der Voraussetzung des jüdischen Charakters unserer Oden.“ Tenuia esse argumenta Harnack ipse videtur sentire, cum scribit (l. l. p. 98.): „Trotz der Evidenz (!), mit der sich christliche Interpolationen ausscheiden lassen, stellt sich doch immer wieder der Argwohn ein, ob nicht doch die Mehrzahl ganz wesentlich christlich ist.“ Rostworowski tum interioribus, tum externis criteriis opinionem Harnackii refutat.

Momentum documenti huius Harnack ideo exaggerat, ut aliquomodo fulciat suam de magna distantia, inter „Christum synopticum“ et „theologiam Ioannis“, opinionem. Cum vero „Odae Salomonis“ ut Harnack ipse fatetur, testimonio sint, fuisse aliquam scholam sacram iudaicam, modo concipiendi et dicendi Ioanneo imbutam, Harnack eas appellat „eine der bedeutendsten Vorstufen des Urchristentums“, (l. l. pag. 99.)

„Problema“ quarti evangelii nunc omnino absolutum esse Harnack videt: Sobrius, simplex Christus synopticorum et mysticae litterae Iudaicae, quales sunt „Odae Salomonis“, — hanc putat esse historicam originem qua Christus deus esse creditus est.

Contra haec somnia criticae protestanticae momentum „Odarum“ Rostworowski in eo ponit, quod in iis clarissima forma inveniuntur dogmata de Trinitate, de Incarnatione, de personae Christi unitate, de opere redemptionis et gratia, eius fructu, de B. Mariae virginitate. Maioris momenti est testimonium „Odarum Sal.“ in quaestione de quarto evangelio. Viro docto catholico fontes eius non sunt quaerendi, quia ei persuasum est, fontem hunc esse hinc Christum historicum, illinc sublimem mentem et contemplationem s. Ioannis Ev. Quamquam non possumus non videre, s. Ioannem, si cum aliis evangelistis comparetur, aquilae instar elevari ad apicem eorum, quae animus christianus cogitat et sentit. Atque ob id ipsum grata venit omnis memoria e primo saeculo christiano, quae propior est cogitandi et dicendi modo s. Ioannis et quae hoc modo ostendit, quartum evangelium minus singularem locum in christianis litteris eius temporis tenere. Cuiusque saeculi eius decennio tribuendae sunt „Odae Salomonis“, semper argumento erunt, quam facili naturalique modo sine ulla reclamatione mentes christianae s. Ioannis theologiam susceperint; hoc vero interioris evangelii huius veritatis, testimonium est, quod ostendit, religionem christianam non vi externa, sed ipso doctrinae sibi propriae argumento summum contemplationis theologicae et mysticae fastigium conscendere, in quibus habitant cum s. Ioannes tum poeta „Odarum Salomonis“.

Quid multa? Monumentum hoc non luce protestantica, sed catholica — sicut omnia priora — prima tempora christiana illustravit, ut praeco Christi veri Dei, qui de caelo descendit et homines in caelum levat, non vero Christi, sobrii et cotidiani hominis, qui terram solum perlustrat neque quidquam de caelo dicere potest. Et hoc est ultimum emolumentum „Odarum Salomonis“ inventarum, polemicum dico, contra illorum commenta critica, qui ultimo saeculo antiquissimas litteras christianas falsas esse dicebant. Cum multa monumenta illius temporis, quae nuper nota facta sunt, catholicis contra rationalistas suffragentur, Harnack ipse anno 1897 in libro „Chronologie der althristlichen Litteratur“ (tom I, pag X) dicere coactus est: „dass wir in der Kritik der Quellen des ersten Christentums in einer rückläufigen Bewegung zur Tradition begriffen sind.“ Post decem annos, quamquam amici quoque in hac causa eum impugnabant, confidentius affirmavit: „dass die Kritik in die Irre gegangen ist und dass die Tradition Recht hat.“ (Lukas der Arzt, 1907, Vorrede. III.)

Ks. *Ludwik Rudnicki* T. I. Kurs instrukcyjny o sztuce kościelnej. (Institutio de arte ecclesiastica), Tom. CVI, p. 342—354. Ante saeculum Vindobonae edicta severiora proponebantur, quae splendorem cultus divini tollebant et materiam suppellectilis liturgicae praecipiebant, quae artis monumenta pulcherrima e claustris sublatis et e parochiarum receptaculis auferebant, aurum stanno, vitro, ligno compensantes ad colendum Deum Eucharisticum... Decreta haec, multis

locis Vandalorum more ad effectum perducta, artem christianam quantis detrimentis affecerint, in dies melius cognoscitur. Laudandi igitur sunt conatus, quos ad eam artem conservandam ab eodem imperio nostris diebus fieri videmus. Fructus eorum sunt institutionis cursus qui ad fovendam a clero artem christianam his annis habentur, Vindobonae a. 1908 et 1909, Cracoviae 1910, cuius acta hac commentatione traduntur, eodem anno Olomucii et Tridenti, a. 1911 Brunae, alibi.

J. Vraštil.

Ruthenica.

Dr. *Vas. Mascjuh*, Церковное супруже право. (Cerkovnoe supružje pravo.) **Ecclesiasticum ius matrimoniale** speciali ratione habita iuris graeco-catholicae provinciae Haliciensis, autocephalarum Ecclesiarum orientalium, item praescriptionum Austriae et Hungariae per Drem Basilium Masciuch, suppl. professorem iuris canonici penes graeco-cath. episc. theolog. Institutum Premisliae 1910. XVI+671 pag.

Hoc opus, utpote litteratum et accurate concinnatum cum rationi (theoriae) tum usui (praxi) convenienter accommodatum, exquisitum complectens apparatus theologicum, quam maximam meretur comprobationem, in 9 ephemeridibus huius provinciae magna cum vi suo tempore enuntiatam. Praeterea adfert illud gravia praescripta orientalis Ecclesiae et rara ad finem allegata historica, haud exiguo auctoris sumptu deprompta documenta. Quod opus eo maioris est momenti, cum in suo genere unicum reperiatur; siquidem praedecessores Dris Masciuch, munere professorum iuris canonici antea functi, in praelectionibus pro alumnis plurimum iuri canonico Sim. Aichneri innitebantur, cuius ruthena translatio usque adhuc apud nos quidem viget, quin prelo unquam fuerit divulgata. Cui incommodo occursurus Dr. Masciuch ultimis 8 annis (1903—1910) operam dedit, ut diligentia ferrea rem hanc planius pertractaret — in praesenti quidem solum ius ecclesiasticum matrimoniale; posthac reliquae quoque partes edentur, peracta demum nova codificatione universi iuris ecclesiastici ex iussu Suae Sanctitatis Papae Pii X.

Prot. Dor. Michael Ludkiewicz.

M. illud sibi proposuit, ut studiosis ruthenis et sacerdotibus qui in cura animarum sunt constituti librum quo ius matrimoniale ecclesiae catholicae accuratissime tractaretur componeret.

Totum opus tres in partes dividitur tresque appendices illis adnexas habet. In parte prima, brevi introductione praemissa, in qua ipsa notio iuris matrimonialis, eius ratio, materia ostenditur et elenchus operum, quae de eo edita sunt (1—6) exhibetur, de matrimonii definitione sive naturalis sive a Christo ad statum supernaturalem elevati, item de potestate ecclesiae in matrimonium sive fidelium, sive infidelium agitur (23—82). In parte secunda

exponitur de matrimonio ineundo, ubi de sponsalibus, de tentanda scientia eorum qui matrimonium inire velint, de matrimonii impedimentis, de sollemnitate, quae ad matrimonium ineundum sive a potestate ecclesiastica, sive civili postulatur, disputatur (83—423). Parte tertia tractatur matrimonium initum, explicatur quid e matrimonio consummato nascatur ipsis coniugibus et liberis, de matrimonio irritato, quomodo ratum fiat, de divortio, de matrimonio secundo (444—496). Sequuntur appendices. Prima — de matriculis et earum imprimis apud Ruthenos forma et usu (497—537). In secunda appendice diversa specimina testimoniorum vel libellorum petitionumque quibus in causis matrimonialibus opus esse solet exhibentur variis linguis: ruthenica, polonica, germanica, gallica, anglica, hungarica (537—567). Appendix tertia bullas Romanorum Pontificum, encyclicas praesulum ecclesiae graeco-catholicae Galiciensis, quasdam leges ecclesiae orientalis de matrimonii sacramento, instructiones congregationum romanarum et legum imperii austro-hungarici decreta continet. (567—671.)

Haec omnia utilia sane sunt, nec minus utile est quod a scriptore de iure matrimoniali ecclesiae orthodoxae quaeritur, ubi occasio datur. At hic desiderium nostrum exprimimus, ut a clarissimo scriptore accuratius de iis explicetur. Nam unam vel aliam opinionem theologorum orientalium, sive graecorum sive russorum recensere non est satis, sed, quod praecipuum est, momentum pro variarum quaestionum, quae graeco-catholicos spectant, solutione indicandum est, quod nisi fit, ea quae scriptor affert, licet optima sint, frustra afferuntur. Hoc maxime apparet in capite quo de divortio agitur (§§ 97—100 pp. 478—490); nam nihil de theologorum Russorum et Graecorum argumentis, quibus divortium probant, dicitur. Quae res in commentariis nostris saepe exposita est.

Tamen etiam theologis orthodoxis opus hoc commendamus, in quo doctrinam catholicam de matrimonio via et ratione expositam invenient.

Dr. *Leonini*.

Записки наукового товариства імени Шевченка. Zapysky naukovoho tovarystva imeny Ševčenko. (Edendis praeest M. Hruševs'kyj) R. XVIII—XIX. t. LXXXVII—XCVIII (1909/10. 1910/11.

Vol. Birčak. Візантійська церковна пісня і Слово о полку Ігореві XCV p. 5—29; XCVI p. 5—32 De Byzantinis cantionibus ecclesiasticis.

Bohd. Vučyns'kyj. Студії з історії церковної унії II. Митрополит Григорій. III Місцелів лист. LXXXVIII p. 5—22; XC pag. 5—24. De rebus ad historiam unionis ecclesiasticae pertinentibus.

Myh. Zubryc'kyj. Деканальні й парохіяльні бібліотеки перемиської єпархії XC p. 119—136. De bibliothecis parochiarum diocesis peremyslensis. Myh. Zubryc'kyj, Причинки до історії руського духовенства в Галичині від 1820 до 1853 p. LXXXVIII pag.

118—150. Ex historia cleri galiciensis a. 1820—1853 quaedam promuntur.

Jur. Кмыт, Причинки до історії руського духовного семінарія у Львові від. 1837—1851 р. ХСІ 151—158. Historia russici seminarii ecclesiastici Leopolitani a. 1837—1851 illustratur.

Ів. Кревес'кыј, Галичина в другій половині ХVІІІ ст. Огляд нових видаць. ХСІ 33—94. De libris Chotkowskii, Tokarzii, al.

Вјає. Лурьунс'кыј, Аріяпеккий соїмик в Києлині на Волини в маю 1638 р. (Причинок до історії аріяпетва на Україні) ХСVІ, 41—57. De Arianis Parvae Russiae.

Inhalt der I—LXXXVI Bände der Mitteilungen der Ševčenko-Gesellschaft der Wissenschaften in Lemberg (Jahrgang I—XVII), tom. LXXXVII, p. 233—246. Multa iam edita sunt hic, quae ad theologicas disciplinas pertinent. *I. Franko* exposuit de Barlaam et Ioasaph (t. VIII. IX. X. XVIII. XX); de s. Clemente et Russorum de eo legendis (quid de eo constet, de reliquiis eius inventis, de cultu eius in Moravia et Russia etc.) (t. XLVI. XLVIII. LVI. LIX. LX. LXVI. LXVIII). — *A. Lotoc'kyj* de consistoriis cathedralibus in Russia parva et alba saec. XV et XVI (t. IX); de re familiari cleri saecularis Ukrainae et Russiae s. XVIII. (tomus XXI). — *Dr. Anton Prochaska*, de ritu ruthenico in Polonia, cum adnotationibus Mich. Hruševskiyi (t. XXX). — *M. Hrušev'skyj* de clero rurali s. XVI (t. XXXIV); de kioviensibus miniatis imaginibus psalterii aep. Egberti Trevirensis (t. XLIX); de Onisphoro Divočka metropolita (t. LXXIV). — *V. Hnatjuk* de legendis codicis chitarenis saec. XVIII (t. XVI). — *A. Suško* de Benedicto Herbest, unionis ecclesiasticae a. 1596 quasi duce (t. LIII. LV. LXI); de iesuitis in Poloniam inductis (LVII. LVIII). — De carminibus spiritualibus Ruthenorum Hungariae (t. XLVI. XLVII. XLIX). — *Ar. Kryžanov'skyj* de Basilianis (t. LVII). — De synodo provinciali acta Varsaviae a. 1561 (t. LIX). — *I. Krypjakevyč* de parochi cuiusdam catholici ritus graeci qui saec. XIX ascendente in dioecesi cholmensi fuit, vita ab ipso conscripta (t. LXXIII). — *V. Ščerbakov'skyj* de fermis ecclesiarum lignearum in Ukraina (tom. LXXIV). — *Konst. Šyroč'kyj* de crucibus sepulchralibus in Ukraina (t. LXXXII). — *Bohdan Bučyn'skyj* de rebus ad historiam unionis ecclesiasticae pertinentibus (LXXXV p. 21—42; LXXXVI pap. 5—30).

Записки Украин. Наук. Тов. в Києві, IV—VI.

V. Bučyn'skyj, Змалая до унії русскої церкви з Римом в роках 1498—1506 IV, p. 100—136; V, 61—87; VI, 5—53. De unione ecclesiae Russicae cum Roma.

V. Rozov, Українська шкільна драма „Успеніє Богородиць“ De dramate de Deiparae dormitione, quod conscriptum esse coicit a Demetrio rostoviensi. A. Š.

Russica.

Prof. *Vl. Kerenskij*, *Что раздѣляло и раздѣляетъ восточно-православную и западную старо-католическую церкви?* Qua re separabatur et separatur nunc ecclesia orientalis orthodoxa ab ecclesia occidentali, quae vetero-catholicorum vocatur. Har'kov, anno 1910, pp. 146 in 8°, pr. 1 rub.

Relationes inter ecclesiam orthodoxam et ecclesiam „vetero-catholicorum“ statim postquam haec ab ecclesia catholica sese separavit, coeperunt et usque ad praesentem diem durant, at, propter differentias dogmaticas, inter utramque ecclesiam adhuc vigentes, carent aliquo prospero successu. Inter doctos orthodoxos, qui res controversas enucleare atque impedimenta removeere nituntur prof. Kerenskij primum fortasse obtinet locum. Multa iam de quaestione illa conscripsit, tamen modo contrario atque Kirëev et Světlov, acerrimi vetero-catholicae sectae defensores, se gessit. Etsi ipse quoque ut haec cum orthodoxa ecclesia coniungatur vehementer desiderat, tamen defectiones dogmaticas vetero-catholicorum non celat ostenditque illos paulatim versus protestantium sententias declinare.

In introductione (p. 1—3) causas illas detegit, cur nondum inter utramque ecclesiam unio ad effectum pervenerit. Causam principem ostendit esse contagionem illam protestantium, qua vetero-catholici aliquando etiam nolentes afficiuntur, ut cum liberos suos propter pecuniae inopiam in academiis artium protestanticis educare coguntur.

Differentias, quibus vetero-catholici ne uniantur ecclesiae orthodoxae impediuntur, scriptor ad quinque capita revocat: differunt enim a) in doctrina de Spiritus Sancti processione etiam a Filio, quod vetero-catholici saltem ut „theologumenon“ admittunt (9—70); b) in doctrina de SS. Eucharistia, ubi vetero-catholici paulatim ad protestantium decreta se convertunt cum realem transsubstantiationem donorum panis et vini vel verbis ambiguis velant vel etiam aperte negant (70—97); c) item in doctrina de ecclesia, quam invisibilem tantum esse dicunt, neque unam esse veram ecclesiam agnoscunt, sed omnes ecclesias, quae se nomine Christi appellant, gratia ad homines salvandos pari modo valere putant (97—119); d) item capite IV *K.* ostendit sanctorum imaginum et reliquiarum cultum apud vetero-catholicos defecisse (119—140); e) ultimo denique capite eos carpit, quod doctrinam de confirmatione male intellexerint eius necessitatem negantes (140—144). Tamen in brevissima conclusione (144—148) spem se non deficere ait sectam vetero-catholicorum destinatum esse, ut electos Occidentis homines in sinum orthodoxae ecclesiae perducatur.

Si argumenta spectes, haec vel nihil novi continent (ut de Spiritus Sancti a solo Patre processione) vel (quae contra protestantium commenta diriguntur) ea sunt, quae in operibus theologorum catholicorum inveniuntur. Praecipuum operis *K.*-ii mo-

mentum pro occidentalium studiis in hoc est, quod relationes inter Synodum petropolitanam (vel potius collegium a Synodo constitutum) et vetero-catholicos theologos enarrat easque examini subicit.

De confirmatione *K.* rem male videtur intellexisse. Verba quibus vetero-catholici in catechismis suis utuntur ut significant non adeo stricte esse necessarium sacramentum confirmationis fidelibus, nullo modo haeresin sapiunt. Agitur enim de necessitate absoluta huius sacramenti ad salutem adipiscendam. Nam illud discrimen inter sacramenta necessaria ad salutem et non necessaria est, quod sine illis homo salvari nequit sine his potest. Velut puer baptizatus, etiamsi sine confirmationis sacramento morietur, salvabitur. Ita etiam homo adultus, si quibus causis impeditus est quominus sacramentum confirmationis acciperet. Ad augendum vero statum gratiae sacramentum hoc omnino necessarium est ideoque minime neglegendum. En quid illud catechismi vetero-catholicorum velle sibi videtur.

Dolendum sane est scriptorem operam oleumque perdere cum vetero-catholicis disputando: qui malo fato in barathrum protestantismi se praecipitant neque quicquam commune cum vera ecclesiae orthodoxae doctrina habent. Id quod utriusque ecclesiae theologos inter se propius coniungit nihil aliud est nisi commune contra Ecclesiam Romanam parum intellectam odium. Nec quisquam catholicus est qui non miretur scriptorem doctissimum dicere posse, ut exemplum afferam, catholicos Summum Pontificem vi dogmatis de infallibili eius magisterio loco Ipsius Dei posuisse (145). Eiusmodi dolenda sunt, non refutanda.

Čtenija v imperatorskom obščestvě Istorii i Drevnostej Rossijskih pri moskovskom universitetě. 1908—1910.

- G. N. Šmeler*, Iz istorii Moskovskago Uspenskago Sobora. 1908, I. II. pag. 214 + V. (Ex historia ecclesiae Mosquensis B. M. V. assumptae).
- Pis'ma Moskovskago mitropolita *Leontija* (Lebedinskago). Soobščil N. N. Ogloblin. 1908 II p. 9—50. (rec. M. Zalžnjak in Zap. Ševč. XCIV p. 206—8).
- N. I. Serebrjanskij*, Očerki po istorii Pskovskago monašestva 1908 III ad IV 580 + IV + VI pag.
- A. A. Titov*, k bytovoj istorii Rossii v XVII—XVIII vv. 1908 III p. 22—40 Epistula hegumenae ad archimandritam Iacobum (monast. uglicensis); Arsenii Macčevič, metrop. rostoviensis mandatum; cancellariae jaroslaviensis decretum a. 1761; consistorii novgorodensis decreta a. 1783.
- M. N. Speranskij*, Serbskie spiski knig istinnyh i ložnyh 1908 III p. 41—45. Novuš index librorum bonorum et malorum (apocryphorum) editur, russicae originis.
- V. I. Sava*, Iz dnevnika masona (1775—1776) Al. Jak. Il'in) 1908 IV 1—15.
- V. I. Sava*, Litery ordena V. K. 1908 IV 15—16. De signis litterarum latomorum.

- N. A. Solov'ev*, Sarajskaja i krutickaja eparhii. Vyp. 4-j 1909 I, pag. II + 294 + II.
- M. N. Speranskij*, Serbskoe žitie Litovskih mučenikov. 1909 I pag. 48. Děla, kasajuščijasja nastroenija cerkvej v Sibiri v 1641—5 gg. 1909 I 27—33,
- S. A. Bělokurov*, Jurij vo Križanič v Rossii. Vyp. 3ij: dopolnitel'nye dokumenty 1641—1658 gg. 1909 II 28 pag.
- E. E. Golubinskij*, Prepodobnyj Sergij Radonežskij i sozdannaja im Troickaja lavra. 1909 II, III, VI + 424 pag., 20 tab.
- M. N. Speranskij*, Slovo Ilii trudoljubivago. 1909 III 13—22. Editur haec oratio, de qua v. Zbornik u slavu Vatroslava Jagića, Berl. 1908, 299—303, e codice saec. XIV.
- V. I. Savva*, Ob odnom iz spiskov žitija patriarha Nikona. 1909 III 13—22,
- A. S. Lebedev*, Věroispovědnoe položenie armjan v Rossii do vremeni imper. Ekateriny II (vključitel'no) 1909 IV 26 pag.
- S. T. Golubev*, Otzyv o sočinenii svjašč. N. K. Špačinskago „Kievskij mitropolit Arsenij Mogiljanskij i sostojanie Kievskoj metropolii v ego pravlenie (1757—1770 gg.) 1909 IV 5—27.
- V. I. Savva*, Sočinenie XVIII věka protiv episkopov 1910 I 35 pag. Pugnae albi cleri cum nigro monumentum editur.
- N. N. Ogloblin*, Iz bytovej istorii XIX věka. 1910 I p. 1—34. Inter alia quae parochus pagi „uniatorum“ a. 1836 de rebus suis scripsit eduntur p. 4—7,
- N. P. Popov*, Sobranie rukopisej Moskovskago Simonova monastyrja, 1910 II, VIII + 214. Codices sunt omnes fere recentiores (XVIII ad XIX saec.) (rec. On. Trebin in Zap. Ševč. XCVI 203—205).
- V. I. Rězanov*, Iz istorii rusckoj dramy. Škol'nyja dějstva XVII—XVIII vv. i teatr iezuitov. 1910 II, III pag. 344.
- D. V. Skrynčenko*, Sinodik 1) Sluckago Svjato-Troickago monastyrja. 2) Grozovskago Ioanno-Bogoslovskago mon. 3) Djatlovickago Preobraženskago mon. 1910 III 1—7.
- A. A. Pokrovskij*, Petr Velikij i Stoglav 1910. III 7—11.
- S. I. Smirnov*, Razbor izslědovanija G. N. Šmeleva: Iz istorii Moskovskago Uspenskago sobora. M. 1908:1910 III 18—32,
- V. I. i G. I. Holmogorov*, Istoričeskie materialy o cerkvaḡ i selah XVI—XVIII vv. Vyp. 11oj: Verejskaja, Dmitrovskaja i Troickih votčin desjatiny. — 1. Verejskaja desjatina 1910 IV, VIII + 122 pag.
- M. I. Sokolov*, Slavjanskaja kniga Enoḡa pravednago. Teksty, latinskij perevod i izslědovanie 1910 IV, IV + 109—182 + 167. E codice saec. XV editur; diligentissime de huius libri vi quaeritur.

Izvēstija imperatorskoj akademii nauk VI. ser. tom II—V 1908 ad 1911.

- V. N. Beneševič*, Molitva otcov Nikejskago pervago vselenskago sobora. II. p. 730—74, Precatio concilii Nicaeni I editur.
- V. N. Beneševič*, Sinajskij spisok otcov Nikejskago pervago vselenskago sobora II. p. 281—306. Nomina patrum concilii Nicaeni I.

eduntur e codice Sinait. graec. 1117, saec. XIV. paucis additis de huius catalogi vi et origine.

- I. A. Džavašvov*, Istorija cerkovnago razryva meždu Gruziej i Armeniej v načalě VII věka II. p. 433—446; 511—536. De schismate inter Georgiam et Armeniam saec. VII ineunte orto.
- V. N. Benešerič*, Otryvok grečeskoj liturgii v latinskoj transkripcii. K istorii Sinajskago monastyrja IV p. 1233—1244.
- N. Ja. Marr*, Nadpis Epifanija, katolikosa Gruzii. (Iz raskopok v Asii 1910 g.) IV 1433—1442.
- N. Ja. Marr*, Gruzinskija pripiski grečeskago Evangelija iz Koridii V p. 211—240.
- V. V. Latyšev*, K žitijam svjatyh Theodora Tirona V p. 495—500 Quas Delehaye edidit vitas s. Theodori Tironis et s. Theodori Stratil., comparantur cum codice Mosquensis bibliothecae synod. No. 377 qui a Vaticano 1245 paucis differt.
- P. V. Nikitin*, Ioann Karpathijskij i Pateriki. De Ioanne Carpatho episcopo et narrationibus de Aegyptiis anachoretis quae *Γεγονιζά* vocantur.

Russkaja Starina. Ežeměsjačnoe istoričeskoe izdanie 1908 (tom 133 ad 136.

- E. Andreevskij*, K vospominanijam o vysokopreosvjaščennom Iustiuč, bývšem arhiepiskopě hersonskom i odesskom, 133, 161—178.
- A. Sergěev*, Original'naja rezoljucija aep. Smaragda (Kryžanovskij † 1863) Iz žizni našego duhovenstva. 133, 450—451.
- Ier. Gurij*, K stačě G. A. Vorob'eva „Veniamin Pucek-Grigorovič, mitropolit kazanskij“. 133, 542—546.
- A. N. Sergěev*, Iz žizni našego duhovenstva. Vospominanija o Dimitrii (Muretově), aep. odesskom 134, 408—414.
- P. Pirling*, Nazvanijj Dimitrij i pol'skie ariane. 134, 1—10.
- I. Suvorov*, K istorii Spaso-Kamenskago monastyrja (XVII v.) 134, 349—350.
- S. Raevskij*, Ksendz Kasper Borovskij. ep. plockij. 1802—1885 gg. 134, 422—428.
- A. Nečaev*, Očerki iz istorii Tambovskoj cerkvi. 135, 37—56; 559—578.
- P. Pirling*, Timothej Akundinov v Rimě 1648. 136, 4—6.
- A. N. Sergěev*, Zapečatannaja cerkov'. Iz žizni našego duhovenstva. 136, 388—390.
- Tira Sokolovskaja*, Iz aforizmov, masona grafa M. Ju. Viel'gorskago o masonstvě. 136, 311—6.
- P. Pirling*, Vostočnaja ideja Possevina. 136, 563—573.
- Tira Sokolovskaja*, Iz donosev na masonstvo. 136, 683—688.

Cerkov'. M. 1909.

- Bogoslov*, Monastyri i monašestvo v drevnej Rossii i staroobradčestvě. № 26, 812—5.
- Vas. Borin*, Materialy po ikonografii № 29 880—85 № 41, 1241—2 etc. (1908 № 10, 44, 48, 49).

- S. Labzin*, Dětstvo i žizn' Arsenija, episkopa Ural'skago № 37, 1080—1, 42, 1198—1201 etc.
- D. Varakin*, Razsmotrěnie priměrov, privodimyh v zaščitu reform patriarha Nikona. № 49, 1360—2; № 50, 1398—1400; № 51, 1433—36; № 52, 1465—8.
- Šal'cev*, Dimitrij, mitropolit Rostovskij i ego tvorenija. № 43, 1219—23; № 49, 1365—8; № 50, 1396—98; № 51, 1427—31; № 52, 1448—71.
- Th. Slesarev*, Materialy po istorii staroobrjadčestva. Selo Gorodišče, Ekaterinoslavskoj gubernii № 43, 1223—27.
- V. Melnikov*, Pereselenie staroobrjadcev, № 49, 1368—70.
- I. Šadrin*, Iz istorii o episkopě Methodii Sibirskom № 50, 1400.
- I. Kirillov*, Suščnosť obrjada. № 51, 1431—1433.
- Muromskij*, Petrovo viděnie. № 52, 1460—2,

Mis. Obozrěnie Spb. 1909 VII—XII,

- S. Rossov*, Úpadok katolicizma i popytki ego oživlenija VII 924—952.
- Ierom. Gennadij*, V vertepah peterburgskago sektantstva (Moi nabljudenija za S.-Peterburgskimi šaloputama v 1895—1900 gg.). VIII 1073—90.
- A. I. Almazov*, K voprosu ob izučenii Zakona Božija v sredne-učebnyh zavedenijah. VIII 1091—1106.
- I. Ardašev*, Odstupničeskoe dvizenie v Ufimskom kraě posle ukaza 17go aprělja 1905 goda. VIII 1126—41.
- D. Gravianckij*, O bytii Božiem. (Nravstvenno-biologičeskoe dokazatel'stvo) X 1417—36.
- P. Judin*, Sektantskoe izuvěrstvo (Iz nedavnago prošlago Saratovskago raskola).
- Theodosij Kirika*, O hlystovskih „prorokah i „proročicah“ XII 1903 ad 16.
- Vsev. Smirnov*, Pravda o gr. L. N. Tolstom i v svjazi s nej o našem „obščestvė“. XII 1871—1902.

Petr Lebedev, Наука о богослуженіи православной церкви. **Tractatus de liturgia ecclesiae orthodoxae.** Mosquae, an. 1909. Vol. 2 (pp. 154 + 158), in 8^o parv.

Liber Moscoviae a. 1895 editus iterum typis exscriptus est sine ulla emendatione. Duas in partes dividitur, quarum prima notiones liturgicas generales, alia speciales continet.

In parte prima scriptor disserit de methodo quam sequi vult, de disciplina liturgica, de operibus maioris momenti, quae ad illam explicandam valeant (1—5). Deinde de vi ipsius officii divini, de eius ad cultum Veteris Testamenti relatione, de historia et progressu cultus christiani, de parte externa officii divini i. e. de praedicatione, de actibus externis ministrorum, de symbolis, exponit, denique ritus necessarios esse in cultu christiano probat (6—47). In capite secundo primae partis de partibus officii divini agitur: de sacramentis, de precibus, de canticis, de S. Scripturae

lectione, de sacra oratione (47—78). Caput tertium continet tractatum de symbolis et — quartum — de ministris (78—88). In capite quinto de rebus liturgicis disputatur: explicantur primum „loca liturgica“ i. e. ecclesiae earumque aspectus internus et aedificandi modus illustratur, deinde scribitur de imaginibus sacris et vestibus (88—128); tum de vasis sacris et suppellectile et de libris liturgicis (128—152).

Secunda pars in tres partes dividi potest. Primum explicantur omnia officia divina publica i. e. negotia, ritus, origo, tempus celebrandi etc. (1—40). Deinde de festis (40—70) et de ieiuniis exponitur (71—102). Ultimo loco scriptor illas actiones liturgicas, quae privato modo fiunt neque omnibus fidelibus applicantur tractat. Tales sunt: modus sacramenta administrandi (102—129) et modus alia negotia ecclesiastica peragendi; separatim explicantur: ritus, quo regibus diadema imponitur, ritus ecclesiae consecrandae, ritus aquae benedicendae, ritus religionem ingrediendi, ritus mortuos sepeliendi et ritus pro iis deprecandi (129—158).

Liber hic, imprimis clericis destinatus, iure meritoque praemio a Synodo petropolitana ornatus est; concinne et clare est scriptus copiaque solidae eruditionis instructus. Praecipue id scriptori laudi vertendum est, quod proportionem in omnibus libri partibus servat neque unam prae alia extendit. Omnem notionem, quae ad aliquam rem vel ritum liturgicum pertinet diligenter perpendit neque in ea enucleanda solum symbolice, verum etiam historice et, ubi opus est, philologice progreditur eamque notionibus theologicis illustrat.

Quaedam videntur esse praecipue commemoranda. Assumptam esse B. Mariam Virginem in caelum etsi scriptor non dicit pertinere ad fidem divinam aut esse rem revelatam, tamen doctrinam ecclesiae orthodoxae semper fuisse candide fatetur: Ecclesia semper tenuit illud (i. e. corpus) in caelum assumptum esse — „Церковь всегда вѣровала, что оно было взято на небо“ — pars. II, pag. 63. Unde etiam festum nomen suum „Dormitionem“ („Успение“, „κοιμησης“) accepit, quia simulatque sepulta est, in caelum transmigravit. „Кратковременное пребывание тѣла Богоматери въ гробѣ и переселеніе Ея душою и тѣломъ на небо и было причиною названія праздника Успеніемъ“ (ibid.) Festum dormitio is B. Virginis diem iam a temporibus antiquis actum esse, IV. saeculo iam pervulgatum fuisse (ibid.).

Etiam scriptoris opinio de „epitimiis“ seu de paenitentibus, quae confitentibus peccata a sacerdotibus in sacramento paenitentiae imponuntur, doctrinae catholicae valde favet, cum eum vim satisfaciendi iis tribuere appareat. Dicit enim definitionem epitimiae ingredi etiam notionem de illis condicionibus, quibus peccator pacem cum Ecclesia componere studet et pristinam cum ipsa communionem restituere. Propterea epitimia dicitur etiam „canon (regula) satisfaciendi“ — „канонъ довлѣтворенія“. Pars. II, p. 112. Epitimia igitur in genere est et continuatio paenitentiae et fructus

verae paenitentiae et peccatorum confessionis. „Такимъ образомъ епитимія вообще есть и продолженіе покаянія, и плодъ, достойный истиннаго покаянія и исновѣданія грѣховъ“ (ibid.). Itaque non videtur *L.* opinari satisfactionem pro peccatis ab epitimis alienam esse, id quod complures theologi russici huius temporis negant.

In universum *L.* a studio partium videtur liber esse. Inter opera liturgica primo loco ponit celeberrima illa volumina a Goar, Martène, Assemani, Renaudot et aliis edita. De epiclesi sententiam orthodoxam exponit, sed catholicos non petit (pp. 30—31, pars. II.)

Illis qui liturgiae ecclesiae graecae operam non dederunt, opus censemus esse perutile. Dolendum sane est editores in illo nihil correxisse neque notas necessarias apposuisse, praesertim cum disciplina liturgica et apud Russos et alibi his 20 annis magnopere aucta sit.

P. Mansúrov, Константинопольская Церковь. Очеркъ основныхъ началъ строя ея въ XIX вѣкѣ. Часть I. Центральное управление. Ecclesia Constantinopolitana. Principia formae huius ecclesiae, quae saeculo XIX tenebantur, designantur. Pars I. De summa rerum. Mosquae, an. 1909, pp. 137, in 8^o par. pret. 1 rub.

In praefatione scriptor, qui per 20 annos in Oriente degebat quid spectet aperit.

In primo capite *M.* enarrat condiciones ecclesiae Constantinopolitanae, quae saeculo XVIII ante novatum illum medio saec. XIX. cuncta administrandi ordinem fuerunt (pp. 7—27). In secundo ostendit in quo statu ecclesia Constantinopolitana fuerit saeculo XIX ante ipsas res melius compositas aperitque causas ordinis novati (27—4). Tertium caput est iam de ipsa emendatione peracta, de legibus patriarchiae, synodi patriarchalis, concilii, quod „mixtum“ appellatur etc. . . (44—66). In capite quarto videmus quomodo res peracta sit, quid rursus mutatum sit (66—86). Denique capite quinto toto certamen illud pro ecclesiae orthodoxae iuribus, in quod exeunte saeculo XIX cum curia rei publicae Turcarum ventum est, exponitur eiusque causae aperiuntur (86—100).

Appendicis instar tria addita sunt capita, quae in „Bogoslovskij Věstník“ (ann. 1904 et 1905) typis data erant. In quibus scriptor exemplaria quaedam clericorum ecclesiae orthodoxae proponebat. Unum caput inscribitur „Episcopus“ (101—119), in quo genus vitae virtutum plenae Basilii metropolitae Smirnensis describitur. Aliud „Sacerdos“ inscribitur (119—129), ubi idem de aliquo archimandrita orthodoxo, cuius nomen non aperitur, fit. Tertio capite „Paedagogi“ (130—137), exemplar proponens *M.* de vita rebusque Germani Grigoras qui olim rector erat scholae theologiae Chalkiensis (apud Constantinopolim) narrat.

Exiguus hic liber, a viro, qui condiciones ecclesiae Constantinopolitanae optime novit, et qui a studio partium alienum se praebet, conscriptus, commendandus videtur esse.

У. Е. Макаров. Очеркъ исторiи старообрядчества отъ Никона до нашихъ дней. (Očerk istorii staroobradčestva ot Nikona do naših dneĭ.) *Historia veteroritualistarum a Niconis tempore usque ad nostram aetatem adumbratur*. Moscoviae, an. 1911, pag. 76 in 8^o, pret. 0,45 rub.

Postquam anno illo 1905 in Russia omnium religionum sectatoribus libertas data est cultum proprium exercendi librosque divulgandi, qui eorum doctrinas continent, etiam veteroritualistae opera sua sive vetera sive nova edere incipiunt. Cum non solum historicum opus aliquod, sed etiam manualia deessent, quibus veteroritualistarum discipuli in scholis uti possent, quidam ludimagister, Makarov cognomine, manuale, de quo nunc agendum est, composuit.

Non est scriptori in animo, omnes eventus ordine chronologico dispositos perpendere et illustrare, id tantum spectat ut res praecipuas in historia veteroritualistarum adumbraret easque nexu logico inter se coniungeret. Ita maxima libri pars ipsi ecclesiae veteroritualistarum origini reservatur. Primum igitur de ipso patriarcha Nicone agitur, eius indoles illustratur, deinde disseritur de libris liturgicis ab eo correctis et de aliis rebus novatis; de comitissa Morozova, quae tanquam sancta apud veteroritualistas colitur, quam pro antiquis ecclesiae russicae ritibus, quos Nicon destruxit, martyrium passa est; item de veteroritualistarum duce, clarissimo illo sacerdote Avvakum (Habacuc) eiusque certamine cum Nicone et iis, qui imperio russo praerant (1—31). Sequitur dissertatio de concilio illo moscoviensi an. 1666—1667, in quo veteroritualistarum doctrinae sollemniter damnatae sunt (31 ad 42) et de vexatione veteroritualistarum, quae inde exorta est (42—51). In reliqua operis parte a scriptore errores ecclesiae orthodoxae (quam veteroritualistae „Niconianam“ vel „dominantem“ — „господствующая“ — vocant) exponuntur et veteroritualistarum varios casus. Hi cum episcopos eorum doctrinis faventes non haberent maximis in angustiis versabantur usque ad annum 1846, quo anno metropolitam Bosniae Ambrosium nomine sibi conciliarunt, qui illis totam hierarchiam restituit. At quidam illum non admiserunt, unde schisma exortum est, quod hucusque apud veteroritualistas viget, quoque in tres praecipuas factiones dividuntur; primum illos, qui restitutam an. 1846 hierarchiam admittunt, ideoque „popóvcy“ („pop“ — sacerdos) vocantur, deinde alios, qui Ambrosium non agnoverunt, sed ecclesiae orthodoxae sacerdotibus, illis, qui eorum societati sese coniungunt, utuntur, unde nomen traxerunt: „bèglopopóvcy“ („bèglyj“ — profugus), post illos, qui sacerdotium non admittunt, antichristum iam in mundo regnare et verum sacerdotium per eum sublatum esse putantes; tales „bezpopóvcy“ dicuntur. Scriptor cum ad primam factionem pertineat suorum tantum historiam adumbrat, aliquatenus tamen etiam aliarum factionum habita ratione.

Libellus hic ideo alicuius momenti videtur esse, quod est primum tentamen veteroritualistarum pragmatice, si hac voce uti liceat, historiam ecclesiae suae describendī. Usque ad nostram aetatem de veteroritualistis non audiveramus nisi orthodoxos ipsos, qui hoc modo iudices in causa propria erant, iam etiam „altera pars“ audienda est. Ad calcem libri multa opera a scriptoribus ruscis de veteroritualistis atque in genere de ecclesia russica composita commemorantur.

Dr. Leonini.

Bulgarica.

Сборникъ за народни умотворения, наука и книжнина (Издав. бългaрското книжовно дружество въ София). Кн. XXII-XXIII (1906—1907) et XXIV—XXV (1908—1909).

Angel Stankov, Жизнеописание Митрополита Охридско-Пловдивскаго Натанаила (Автобиографични бълѣжки) XXV, 1—77. Vita Nathanaelis, patriarchae Achridensis ab ipso scripta. (*1820, †1906).

Jordan Pop Georgiev, Материали по църковната борба. XXII-XXIII pag. 80. XXIV, pag. 1—370. Scriptor negat e libro *T. Витков*, Българо-гърцката църковна распря, ed. 1902, litis inter ecclesiam Bulgariae et patriarchatum Constantinopolitanum perfectam imaginem colligi posse. Respici ab eo magis ea, quae publica auctoritate gesta sint; alia documenta ei praesto non fuisse. Quare ipse documenta plurima collegit, quibus res illustraretur. Promuntur ex eparchiis Tarnoviensi (№ 1—272), Rusenensi (272—292), Sili-strensi (293—323), Varnensi (324—334), Slivenensi (335—346), Vidinensi (347—351), Kjustendilensi (352—391), Samokoviensi (392—405), ex archivo Pauli archimandritae (hegum. monasterii Lěskoviensis; № 503—528), Neophyti Rilski etc.

S. Jurinič, Иосиф Юраи Щросмаеръ XXII 71 p. De Ios. G. Štrossmajero. archiep. Zagrabieni.

Ju. Trifonov, Унищожаването на търновската патриаршия и замняването и съ автономно митрополитство-архиепископство XXII, 40 p. De sede patriarchali tarnoviensi sublata.

D. Usta-Genčov, Типове отъ орнаменти по нѣкой средновековни църкви въ Велико-Търново. 4 p. De nonnullarum ecclesiarum antiquarum tarnoviensium ornamentis.

E. Sprostranov, Бълѣжки и пришеки по софимекитѣ черкви. XXII 30 p. Quaedam ex historia sacrarum aedium Sophiensium commemorantur. De libris earum etc.

A. Š.

Serbica.

Vesnik Srpske Crkve. Beograd. Petrović. 1909.

Živojan V. Stanković: Srpsko crkveno pojanje, crkveno historična rasprava. (De cantu ecclesiastico in Serbia historico-ecclesiasticus tractatus) 1909 97-105; 169-184.

S. duabus difficillimis quaestionibus nondum tractatis operam dare conatus est. Quarum quaestionum altera est: utrum cantus ecclesiasticus apud nationem serbicum ortus sit ex cantu ecclesiastico graeco, an ex alio fonte. In pagina 98 haec respondet: „Ex omnibus, quae hucusque allata sunt, apparet temporibus s. Savae apud Serbos et Graecos non fuisse solum differentiam in lingua, sed etiam in cantu liturgico. Idem discrimen inter serbicum et graecum cantum fuerat etiam tempore constitutionis rei publicae serbicae. Postremo graecus liturgicus cantus distinguebatur a serbico etiam ab antiquissimis temporibus.“

Postquam *S.* praeterea aliqua argumenta pro sua sententia attulit, de novo affirmat pag. 99: „Discrimen ergo inter cantum (liturgicum) serbicum et graecum omnibus manifestum est idque a summa antiquitate exstabat, id quod certissimo testimonio esto, Serbos a Graecis non recepisse cantum, sed in eo habuisse aliquid proprii, quod cum graeco nullam coniunctionem haberet.“

Propter rei difficultatem mirum non est, quod quae *S.* attulit non possunt dici certa aut firma argumenta.

In vita Savae, magni illius reformatoris ecclesiae, narratur eum dixisse Graecis: „Ego autem, pater, ascendo in superiorem contignationem cum meis fratribus, in mea lingua laudes matutinas perfecturus, tu vero, pater sancte, cum omnibus tuis . . . cantus matutinos ad sepulcrum patris mei canta.“ *S.* vult „mea lingua“ significare idem ac „meo cantu“, quod nullo modo demonstrari videtur posse, etiam si ante haec verba illud „cum fratribus meis“ positum est. Ex hoc loco, si quid demonstrari potest, demonstratur linguarum tantum liturgicarum discrimen, non autem cantus. Quod additur Savam non habuisse vocem, qua cantus discrimen significaret, non probatur. Ex verbis enim allatis intellegitur illum non latere verbum „otpoeti“; quare si voluisset de cantu ecclesiastico loqui, sine dubio similem vocem usurpasset.

Ad alteram quaestionem, de cantu liturgico apud gentem serbicum origine, *S.* respondet „Serbos cantum liturgicum modis cultus polytheistici immutavisse“ (pag. 177). Neque haec pars satis demonstrata est. Sed valde optandum est, ut *S.* hanc rem in fontibus historicis inquirere pergat.

Lj. S. Mitrovič: O socijalismu (de socialismo) 602—620. *M.* non discutit ipsum systema philosophico-politicum socialistarum, sed solum undique ex sua atque aliorum experientia argumenta contra illud colligit.

M. I. M.: Šta označavaju reči šestopsalma: časti lisovom budut? (Quam vim habeant verba τοῦ ἐξασάλμου: partes vulpium erunt?) 620—623.

Psalmum 62 vulgo statuitur Davidem scripsisse, cum eum persequeretur rex Saul. *M.* autem putat occasionem originis huius psalmi fuisse Absolonis seditionem, quia in versu 12. psaltes loquatur de se tanquam de rege: „Rex vero laetabitur in Deo.“ Pro palaeoslavica voce lisov (ἀλώπηξ LXX) invenitur in textu hebraico שָׁעַל a שָׁעַלִים non autem „ijim“.

D. Aleksijević: Prilozi za historiju srpske crkve (Quae-

dam historiam ecclesiasticam Serborum illustrantia) 1909, 733—762; 830—837; 923—937; 1910, 36—47; 125—130; 305 ad 313; 544 ad 556; etc. Magna diligentia *D.* varia documenta de noviore historia ecclesiastica Serborum collecta ex lingua graeca in serbicum convertit. Hic labor utilis erit iis, qui linguam graecam ignorant.

Богословски гласник, часопис за православну богословску науку и црквени живот (*Bogoslovski glasnik, časopis za pravoslavnu bogoslovsku nauku i crkveni život. Srijemski Karlovec*) *Prae*theologicus, commentarii theologiae doctrinae et vitae ecclesiasticae orthodoxorum. 1909, 1910. I. XV.—XVIII.

D. R., Prilozi za historiju crkvenog govorništva u Srba Protá Grigorije Lukačik. (Additamenta ad historiam eloquentiae sacrae apud Serbos. De sacerdote Gregorio Lukačik). XV, 3, 161—174. Inspectis documentis historicis breviter describitur vita huius sacerdotis, qui tanquam parochus Aradensis bonusque pastor sibi concreditorum fidelium per suam eloquentiam permagna bona animabus attulit.

Ćirilica i austrijske vlasti (De litteris Cyrillicis sub imperio Austriaco XV, 3, 190—210) ab eodem scriptore *D. R.* fortasse compositum. Extremis lineamentis tantum describitur historia litterarum cyrillicarum apud Serbos et Valachos a temporibus emigrationis Arsenii Črnović, patriarchae Ipecensis. Non parvum momentum in hac quaestione affert consilium Illyricae et Bohemico-Austriacae camerae de dictionario Ioachimi Stulii, quod consilium *R.* descripsit.

M. Grujić, Iz naše prošlosti o drugom braku sveštenstva. (De secundis nuptiis sacerdotum antiquis temporibus apud Serbos vetitis) XV, 4, 241—255. Antiquis temporibus severissime prohibebat ecclesia orthodoxa secundas nuptias sacerdotibus. Iam in poenitentiariis saeculi XIV. et . . . invenitur: „Bigamus non est dignus ad altare accedere vel ei servire“. E saeculo septimo decimo et octavo decimo nota sunt praecepta, quibus sacerdotes post mortem primae uxoris monasterium ingredi iubebantur. Episcopi severissime urgebant hoc praescriptum, cuius rei multa sunt exempla. Quin etiam fide coniugali non praestita ab uxore sacerdotes non parvam poenitentiam peragere debebant. Tandem imperium Austriacum 1777 prohibuit hunc procedendi modum.

Dimitrije Petrović, Prilog istoriji monastira Lepavine (Additamenta ad historiam monasterii Lepavinensis (XV, 5, 356—363). *P.* inspectis documentis historicis vult respondere, quis hoc monasterium aedificaverit atque constituerit et quo tempore hoc factum sit. —

K. Seper, Kad pri sklapanju braka nastupi kolizija izmeđju privole dece i roditelja, moželi se valjan brak sklopiti (Utrum validum sit matrimonium, si defuit consensus parentum) XV, 5, 381—384. *S.* hoc negat et cum eo omnino consentiunt canonistae orientales *N. Milaš*, (Pravoslavno crkveno pravo. Zadar 1890. 551) et *J. Zhishman* (Eherecht der orientalischen Kirche. Wien, 1864, 616 ss.).

Quod impedimentum dirimens invenitur Inst. I. 10, ubi de eo scriptum est: „Nam hoc fieri debere et civilis et naturalis ratio suadet in tantum, ut voluntas parentum praecedere debeat.“ Quod iuris civilis praeceptum etiam a iure canonico receptum est, ut ex canone 42 s. Basili Magni apparet, qui matrimonium sine consensu parentum adulterium vocat.

Dr. *D. Stefanović*, Pastirske poslanice sv. apostola Pavla (De epistulis pastoralibus s. apostoli Pauli). Quae elucubratio iam in l. XIII. 3, 137—150 incohata porro tractatur XV. 6, 402—407; XVI, 1. 18—25; 3, 161—165; 4, 253—262; 5, 342—348; 6, 414—422. *S.* defendit contra rationalistas aliosque scholae criticae quae vocatur sectatores has epistulas s. Pauli esse et integras ad nos pervenisse. Multa, quae ex antiquis scriptoribus, maxime ex Clementis Romani, Barnabae, ad Polycarpum, ad Magnesios epistulis adducuntur, non sunt accurate allata. In fine *S.*, quo consilio et qua occasione hae epistulae scriptae sint, exponit.

Jovan Vučković, Izgladivost blagodati (Gratiam posse exstingui) XV, 5, 321—336; XVIII, 4, 241—250. — Commentatio haec maxima attentione digna est propter gravitatem quaestionis, quae in ea explicatur.

Non parvam admirationem excitavit apud *V.* propositio celeberrimi russici theologi Silvestri Malevanskij in opere: Опытъ православнаго догматическаго богословія. Kiev 1889. IV, 351) de speciali gratia, quae per cheirotationem confertur. Qui dicit: gratia per manuum impositionem *επιστά* „habita (putata) fuit eodem modo immutabilis et indelebilis, sicut et gratia in baptismo collata; quapropter impositionem manuum repetere illicitum erat eodem modo ac baptismum.“ Maior admiratio in *V.* orta est, cum in toto opere nihil invenisset, quod ad hanc sententiam probandam afferretur. Propterea missa est per serbicum theologum epistula ad Silvestrum, ut hoc dubium solveret. Et revera Malevanskij respondit illam de indelebili gratia sententiam per errorem in opus ingressam esse. Sed nihilominus etiam in secunda editione eiusdem operis intacta relicta est eadem sententia (IV, 384 secundae editionis Kiev 1897). Post aliquot annos venit in manus *V.* exemplar secundae editionis, in cuius fine inveniebatur separatum folium, sine dubio postea agglutinatum in quo errores indicati sunt duo: pro iis, quae in pagina 384 scripta sint, de indelebitate, legendum esse: „gratia per cheirotationem collata sub condicione perpetuae resuscitationis eius (2. Tim. 1, 6) per illum, qui cheirotationem accepit, et communionis cum ecclesia habita fuit immutabilis et indelebilis eodem modo, quo gratia in baptismo collata“ XV, pag. 324). *V.* porro recte negat hoc ad operarum menda corrigenda a typographo pertinere, sed scriptorem sententiam suam corrigere. Dicere igitur vult Silvester: Gratia per manuum impositionem collata personam, quae illam accepit, tandiu non relinquit, quamdiu illa in communionem cum ecclesia permanet et quamdiu acceptam gratiam in se resuscitat — *ἀναζωπυρεῖ*, aliis verbis loquendo, gratia haec certis in circumstantiis exstingui potest (ib. 325). Ad quod addit *V.*: „Hanc fidem semper teneram, donec me in ea sententia episcopi Silvestri de

aliqua absoluta indelebilitate percussit. Hanc fidem etiam nunc confitebor“ (ib. 325).

Pro hac sententia affert V. rationes. Primum locum tenet conclusio quaedam theologica: „ut iam discipulis in gymnasiis et lyceis nostra theologia dogmatica explicatur, docemur gratiam divinam non agere necessario (absolute); in studiis autem theologicis dictum est nobis gratiam non ita agere, ut ei resisti non possit. Unde colligebam neque gratiam in sacramento ordinis collatam indelebilem esse“ (ib. 326). Ad rem confirmandam allegat etiam episcopum Silvestrum, qui acceptam gratiam dicit posse permanere, augeri, sed etiam plane exstingui. „Quae si valent“ — inquit V. — „generaliter de gratia, debent etiam de speciali gratia, quae per impositionem manuum confertur, valere. Ergo ea sine dubio augeri, sed etiam exstingui et amitti potest: non est indelebilis“ (328).

Accedit altera ratio ex persuasione ecclesiae. Quae persuasio patet ex gradus deiectione indignorum sacerdotum, qui per hunc actum rediguntur „in statum laicorum“ et subiecti sunt perpetuae atque absolutae deiectioni ex suo statu. Secundum canonem 21. sexti oecumenici concilii sacerdotes gradu deiectionis amiserunt gratiam — *ἡς χάριτος ἐκπλετώσασιν*. „Itaque cum scirem, inquit V. — ecclesiam potestate et iudicio suo personas, quibus collata sit gratia sacerdotalis, certis rebus commissis in statum laicorum detrudere, qui non habeant neque habere possint illam gratiam; ac praeterea cum scirem ecclesiam hac occasione clare loqui de amissa gratia, credendum erat mihi et etiam credidi gratiam sacerdotalem non esse indelebilem“ (326). Ne perfectissima quidem paenitentia acta, neque moribus eximie correctis posse unquam huiusmodi sacerdotes potestate in ordine collata quicquam perficere. Discrimen inter eos et alios lapsos laicos hoc intercedere, quod illi gratia sacerdotali neque perficere quicquam, neque eam iterum accipere possint, his autem eadem gratia conferri possit (ib. 327). — Tertium argumentum sumit scriptor ex S. Scriptura. „S. Paulus apostolus Timotheo, homini consecrato scribit resuscitandum esse (*ἀναζωπυρεῖν*) donum Dei, quod per manus impositionem acceperit (2. Tim. 1, 6). Idem s. apostolus, ubi Thessalonicenses monet: spiritum nolite exstinguere, postulat ab iis, ut noverint eos, qui laborent inter illos et praesint illis in Domino et moneant illos (1 Thess. 5, 12), i. e. ut noverint laborem suorum sacerdotum, ad quos illud de spiritu monitum referri potest“ (pag. 328, 329). Ad confirmandam hanc doctrinam scriptor praeterea affert epistolam s. Pauli ad Timotheum primam (4, 14) atque rursus inculcat gratiam per impositionem manuum collatam exstingui omnino posse, non esse necessariam, indelebilemque, sed conferri cum exceptione et posse exstingui.

Post haec magno labore nititur hic theologus ostendere fontem, unde episcopus Silvester illam de indelebili gratia sententiam hauserit. Cum s. Augustino, Gregorio theologo, Ioaune Chrysostomo omnino recte Silvestrum iudicare ad valide conficienda sacramenta in subiecto ordinis non requiri probitatem. Omnino comprobandum esse, quod quaerat, utrum

sacramentum ordinis repeti possit, necne, et cum s. Augustino (Contra epist. Parmen. lib. II. c. 13. n. 28) statuatur in hac re idem, quod de sacramento baptismi. Hic inveniri fontem sententiae eius de indelebili gratia. Ex doctrina enim s. Augustini effici sine ullo dubio sacramentum ordinis repeti non posse, sed aliam esse omnino quaestionem de indelebitate; quam s. Augustinum illo loco docere nolle. „Quid ille (Augustinus) dicit? Videas hoc. Baptismum nemo amittere potest, ergo neque sacerdos. Sed cum sacerdos baptismum amittere non possit, non magis potest amittere ius baptizandi alios! Haec est sententia eius verbis subiecta. Quibus ex verbis etiamsi concludi potest sacramentum baptismi exstingui non posse, non potest item concludi gratiam sacerdotalem, sed solum ius baptizandi adimi non posse. Quae res bene distinguendae sunt“ (XV, 332). Sed si Silvester ex hoc loco s. Augustini non potuerit concludere gratiam exstingui non posse, restare ei alia verba eiusdem doctoris ecclesiae in altero contra epistulam Parmeniani lib., cap. XII. n. 28., ubi eius doctrina de indelebili gratia sacramenti ordinis omnino clara sit. Quae verba s. Augustini V. negat esse causam, quae ad statuendam illam doctrinam sufficiat eamque argumentationem satis esse ineptam. Magni huius doctoris antiquae occidentalis orthodoxiae sublimes de gratia sententias ecclesiam non potuisse semper sequi (331.)

Post haec de s. Augustini doctrina verba V. magnum errorem, commissum esse dicit, quod sacramentum ordinis eiusque character cum sacramento baptismi comparatus sit. Quo facto facile potuisse concludi: eodem modo ac baptismum etiam sacramentum ordinis indelebile esse. Sed omnino aliam esse rationem, propter quam sacramentum baptismi et aliam rationem, propter quam ordo repeti non possit. Baptismum propterea non repeti, quod eo homo de novo gignatur, fiat filius Dei, coheres Christi; baptismum propterea repeti non posse, quod sit signum mortis ac resurrectionis Christi, quia eo abstergeantur omnia peccata ante ipsum facta et peccatum originale. Neque sacramentum ordinis repeti posse, sed nullo modo inveniri posse easdem huius rei rationes, quas in sacramento baptismi. „Sed in s. sacramento ordinis, inquit V., homo neque gignitur, neque moritur cum Christo. neque cum eo resurgit, neque in hoc sacramento liberatur a peccato originali. Accedit quod cum sacerdos labitur, in perpetuum suo ordine movetur, nunquam potest denuo sacerdos fieri“ (335). Causa igitur, propter quam sacramentum baptismi repeti non potest, est ipsa eius vis et efficientia, quam supra commemoravimus; quodsi quaeritur, cur sacramentum ordinis iterari non possit, „causa ponenda est in lapsus foeditate, quo angelus Dei — sic enim appellantur sacerdotes — ad extremum incapax factus est muneris angelici gerendi, quod ecclesia ei iam nunquam debet nec potest committere. In hoc, ut ita dicam, posita est vera causa, unde oriatur, ut s. sacramentum sacerdotii iterari nefas sit. Indidem apparet summum discrimen, quod inter baptismum et manuum impositionem intercedit, quamquam utrumque sacramentum est et utrumque homini aliqua consecratione confertur“ (ib. 335). Denique scriptor concludit: „Gratia indelebilis neque invenitur, neque inveniri potest, cum Deus amorem exhibeat, qui opera sua aestimet, ergo etiam libertatem, quam creaturis suis dedit“ (ib. 336).

In iisdem commentariis „Bogosl. Glasnik“ uon multo post l. XVIII, 4, pag. 241—250 V. mutat suam explicationem et fontem sententiae episcopi Silvestri iam negat esse b. Augustinum, sed librum qui symbolicus vocatur et qui apud Kimmel (Monumenta fidei ecclesiae orientalis Ienae 1850, I, 425—487) „Dosithei confessio“ inscribitur. Qua occasione V. magno impetu invehitur in libros, qui symbolici vocantur, quos auctoritate fontis fidei in ecclesia orthodoxa carere dicit.

Ad haec omnia dicenda videntur esse haec:

Etiam V. vi et claritate verborum s. Augustini convictus professus est eum aperte et sine ullo dubio indelebilem characterem ordinis docuisse. (Contra epist. Parmeniani l. 2, c. 13, n. 29, 30 (M. 43, 70—72).

Iam constat b. Augustinum in controversia cum Donatistis ducem fuisse catholicorum. Nomine omnium, totius ecclesiae per occidentem et orientem diffusae Donatianis bellum intulit atque acerrime contra eos pugnavit. Doctrinam de indelebili characterem ordinationis non ut suam proponit, verum doctrinam ecclesiae explicat.

Sed fingamus s. Augustinum aliquid novum docere voluisse. Ubi sunt reclamationes, ubi dissensiones? Inter omnes certissime constat antiquam ecclesiam abhorruisse a novanda doctrina atque eiusmodi conatus haereticorum esse tenuisse. Augustinus igitur non sua lingua loquitur, sed lingua totius ecclesiae, non suam profert fidem, sed fidem societatis catholicae, ab antiquissimis temporibus conservatam.

Sed omissis his omnibus, quaerere possumus: Unde igitur ecclesia *occidentalis*, de qua non est dubium, quin hanc doctrinam semper professa sit, (addi potest autem etiam: unde ea pars ecclesiae orthodoxae Russorum, quae veteroritualistarum seu palaeodoxorum nomine significatur), undenam, quaeso, illa doctrinam de indelebili „gratia“ seu potius characterem sacramenti ordinis hausit? Alius fons indicari non potest, nisi traditio ab apostolicis temporibus semper in ecclesia permanens, cuius traditionis testis est s. Augustinus. Sed temporibus huius patris concordia, et consensus summa inter orientales et occidentales florebat. Ergo saeculo V. haec doctrina communis erat orientali et occidentali ecclesiae.

Causa, ob quam tria sacramenta baptismi, confirmationis, ordinis repeti nequeant, potest esse vel voluntas Dei vel ipsa rei natura. „Quare hae duae propositiones: Haec sacramenta repeti nequeunt; ergo imprimunt characterem, si spectantur absolute et abstracte, non ita necuntur, ut secunda intelligatur necessario sequi ex priore. At si spectantur, ut nobis ex traditione innotescunt, prior propositio ita enuntari debet: Haec sacramenta ex sua natura propter ontologicam consecrationem, quam producunt indelebilem, repeti non possunt. Quod si ita enuntietur, ex ea legitime infertur: Ergo imprimunt characterem“. (Hurter, Compendium theol. dogmaticae¹⁰ [Oeniponte 1900] III, n. 27). Profecto ratioeinatio humana per se sola hic omni vi caret, et omnino quaerendum est in fontibus revelationis. Ex quibus nulla circuitione usi intellegimus non esse aliunde repetendum, quod ea sacramenta iterari non possunt, nisi a characterem indelebili, signo inexstinguibili, quod animae imprimitur.

(Quam ob rem sententia V., qui ex eo, quod aliquod sacramentum

iterari non possit, negat colligi posse indelebilem eius characterem, omnino reiicienda est.

Si non fallimur, *V.* sola ratione conatur decidere, cur sacramentum baptismi et ordinis repeti non possint et tum ex diversitate rationum, quae in his duobus sacramentis inesse ei videntur et earum, quae ordinis propriae sunt, argumentum sumere. Fortasse hoc modo cogitat: Etsi baptismus characterem non imprimeret, eum tamen iterari non debere aliis ex rationibus, quas assignat s. Augustinus loquens de nota militari vel de caractere ovibus impresso itemque s. Ephraemus et s. Basilius; velut primum, quia est ianua in ecclesiam, in quam semel ingressus non potest amplius ingredi; deinde, quia baptismus ad delendum originale peccatum institutus est, quod est unicum; post, quia est signaculum foederis et per illum vita aeterna promittitur; denique quia est regeneratio; ergo sicut homo corporaliter nascitur semel, ita spiritualiter semel renascitur; ergo inde, quod repeti non possit, male inferitur, eum characterem imprimere. — Sed nulla ex allatis rationibus est firma; nam primum Ecclesiae ianua, quae rite baptizatis aperitur, iisdem factis apostatis ac desertoribus, si reverti velint, rursus aperienda est, orthodoxorum sententia per paenitentiam tantum, sed cur non dicunt adversarii per baptismum novum? Deinde: Qui ad baptismum fecte accedit, ab originali non mundatur, non commoritur Christo, non regeneratur, nec tamen rebaptizatur, cum resipiscit. Tum: Tale foedus ac vitae aeternae promissio etiam Eucharistia est; ac tamen potest saepius repeti. Quarto: Saepe potest homo spiritualiter mori; cur ergo non renasci per baptismum, sicut per paenitentiam. Sane quotienscumque peccatum mortale homini remittitur, naturae divinae consors regeneratione efficitur. Cf. Wirceburgenses, de sacr. in gen. n. 98. — *V.* propterea sacramentum ordinis repeti non posse existimat, quod angelus Dei — sacerdos ex suo sublimi statu nimio lapsu delabitur. Sed, quando aut ubi id, quaeso, revelatum est, ubi s. scriptura, ubi ss. Patres, hanc rationem commemorant? Nonne, in traditione semper character indelebilis inculcatur et haec sola ratio ut quae sufficiat et vera causa sit, ad explicandum, cur sacramenta repeti non possint, affertur? Rationem vero a *V.* allatam nullius esse momenti non est difficile ostendere. Ex sola rei natura apparet non posse demonstrari sacerdotem, qui suo statu exciderit et, ut ponitur, ordinem amiserit, incapacem esse sacramenti ordinis iterum suscipiendi. Sin voluntas divina consideratur, non aliunde nisi ex fontibus revelationis demonstranda est. Ubi omnino alia ratio affertur. Ergo quominus hoc sacramentum repeti possit, impeditur caractere indelebili.

Universa ecclesia omnibus illis decretis, quibus sacramentum ordinis repeti vetat, fidem suam de indelebili „gratia“ sacramentali professa et contestata est. Videamus, ecqua alia ratio commemoretur huius usus quam characteris impressi aeternitas. Canon apost. 68 (67) hoc praeceptum continet: „Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus secundam ordinationem acceperit ab aliquo, deponatur et ipse, et qui eum ordinavit, nisi ostendat ab haeticis ordinationem se habere; a talibus enim baptizati et ordinati neque fideles, neque clerici esse possunt“ (*Σύνταγμα*

των θείων και ιερών κανόνων . . . υπό Γ. Α. Πάλλη και Μ. Πόλλη [Αθήνησιν 1852] II, 87). Zonaras in commentario suo ad hunc canonem varias affert rationes, ob quas secunda ordinatio peti possit. Ex quibus una: „ἢ ἀποσιὰς τῆς ἱερωσύνης τυχόν, ἀδθις ὡς ἐξ ἄλλης ἀρχῆς χειροτονεῖται“. Balsamon addit ad eundem canonem: „Ὁ καθ' οἰονδή- τινα τρόπον δις χειροτονηθεὶς ἐπὶ τῷ αὐτῷ και ἐνὶ ἱερατικῷ ἀξιώματι, καθαιρεῖται, και οὐ μόνον αὐτός, ἀλλὰ και ὁ ἐν εἰδήσει τοῦτον χειροτονήσας“, Aristhenes autem: „Ὁ δευτέραν χειροτονίαν δεξάμενος ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ὡς δοκῶν τὴν πρώτην βδελύσεσθαι, μετὰ τοῦ χειροτονούντος καθαιρεῖται“ (Syntagma ib).

Concilium oecumenicum Nicaenum canone VIII decernit: „Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἐναντὸς Καθαρός ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ και ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἀγία και μεγάλη συνόδῳ, ὥστε χειροθειουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ“ (C. J. von Hefele, Conciliengeschichte² I, 407; Syntagma op. cit. II, 133). Idem praeceptum renovavit synodus Romana (386) canone VIII contra eosdem Novatianos (Hefele II, 45). Nonne his omnibus illud confirmatur quod a s. Augustino didicimus?

Sed quidnam de motis suo ordine sacerdotibus tenendum est? Vučković, ut iam vidimus, ex hac re „gratiam“ sacerdotalem exstingui posse concludit. Ius canonicum orientale triplicem vel potius quadruplicem poenam personarum consecratarum distinguit: *παράκλησις* (admonitionem), *ἀφόρισμον* (excommunicationem), *καθαίρεσις* (gradus deiectionem), anathema. Causae sacerdotis ex ordine movendi in can. Apost. enumerantur hae: si quis sacerdos loco vini et panis aliam materiam in sacramento eucharistiae offerat (3); si episcopus aut presbyter pertinaciter uxorem suam obiciat (6): si iidem curas saeculares suscipiant (7); si paschae diem ante vernalis aequinoctium cum Iudaeis celebraverint (8); clericus fideiussionibus inserviens (20); si absciderit semetipsum (23); si in fornicatione aut furto captus sit (25); si quis episcopus aut presbyter aut diaconus dimissus iuste propter certa crimina ausus sit attrectare ministerium olim sibi commissum (29); si iidem pro pecunia suam dignitatem obtinuerint (30); si civili potestate usi ecclesiam obtineant (31); praeterea confer canonem 32. 37. 42. 44. 45. 46. 47. 49. 50. 51 etc.; conc. Ancyran. can. 10. 14. 18; Neocaesar. 1; Antioch. 1. 3. 4. 5. 13; oecumenici IV 2. 18. 27; Trull. 3. 4. 5. 9. 11.

Itaque multae causae enumerantur, propter quas clerici gradu deiciendi sint, et aliae insuper sunt, propter quas anathemati traduntur. Consecratus, qui hac poena punitur, omnia iura et privilegia amittit, quae secundum triplicem ecclesiae potestatem possidebat, ius offerendi, docendi, pascendi, ut in canone 26 concilii Trullani enuntiatur, ubi sacerdoti, qui vetitum matrimonium iniit, praescribitur ne ullo officio sacerdotali fungatur; idem enuntiatur in 8 canone concilii Neocaesarensis. — Alter huius poenae effectus consistit in eo, quod nomen clerici, qui ab ordine movetur, e catalogo sacerdotum deletur (*ἐκ τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου*), in quem tempore consecrationis relatum est. Id canones Apost. 9, 62 et alii praescribunt. Tertius effectus situs est in eo, quod nulla prorsus iura in ecclesia habet et eatenus omnino laicis par est. Canon apost. 62

statuit: Si quis clericus propter metum humanum Iudaei vel gentilis vel haeretici negaverit siquidem nomen Christi, segregetur, si vero nomen clerici, deponatur; si autem paenitentiam egerit, ut laicus recipiatur — *μετανοήσας δὲ ὡς λαϊκὸς δεχθῆτω* (Hefele op. c. I, 819). Canonem eodem modo explicant Zonaras, Balsamon, Aristhenes (Syntagma op. c. II, 80, 81). Sacerdos ab ordine movetur in perpetuum nec unquam potest obtinere honorem et officium, quod antea habuerat, quamvis magna paenitentia et emendatis moribus se commendet. Si hac ratione laude dignus evadit, non est in eum tam severe animadvertendum, sed tamen semper tractandus est tanquam vir laicus (N. Milaš, Pravoslavno crkveno pravo — ius ecclesiae orthodoxae [Zadar 1890] 467).

En, exempli gratia aliquos canones enumeravimus, — multi alii afferri poterant — mentionem fecimus gradus deiectionis et anathematis, sed nusquam ne verbum quidem invenimus de amissa „gratia sacerdotali“, nusquam negatur in sacerdote vel alio clerico „dimisso inesse characterem, sacramentum sacerdotale. Canones solum poenam disciplinarem significant et quis, quaeso, ex hoc concludere potest characterem sive „gratiam“ posse extinguī? Etiam ius occidentale canonicum, etiam omnes occidentalium canonistae loquuntur de sacerdotibus munere privandis ac dimittendis et anathemate feriendis, etiam occidentales Romani catholici agnoscunt omnes illos huius poenae effectus, quos orientales, sed nulli eorum in mentem venit, ut propter hoc a sacerdote exauctorato sacramentum inextinguibile abiudicaret. Nulla sane est repugnantia inter duas res, quas docet et exercet ecclesia, quarum altera est: sacramentum ordinis imprimit signum indelebile ita, ut sacerdos semper maneat sacerdos; altera: sacerdos vel alius clericus propter gravissima crimina dimittendus, ut laicus tractandus vel anathemati tradendus est. Si recte ratiocinari adversarii dicendi essent, profecto similiter ex hoc, quod Deus aliquem propter gravia peccata gaudiis caelestibus privavit, concludere possemus delebile esse baptismum in eo, quia prius erat filius Dei et postea est filius diaboli, neque ullum ius habet aut habere potest, quamdiu in statu gravis peccati est, perveniendi in caelum. Ergo omnino evanuit character baptismi.

Sed V. in medium profert canonem 21 concilii Trullani. Cuius verba sunt haec: „*Οἱ ἐπ' ἐγκλήμασι κανονικοῖς υπεύθυνοι γινόμενοι, καὶ διὰ τοῦτο παντελεῖ τε καὶ διηνεκεῖ καθαιρέσει υποβαλλόμενοι, καὶ ἐν τῷ τῶν λαϊκῶν ἀπωθούμενοι τόπῳ, εἰ μὲν ἐκουσίως πρὸς ἐπιστροφὴν ὀρώντες ἀδειοῦσι τὴν ἁμαρτίαν, δι' ἣν τῆς χάριτος ἐκπεπτώκασι, καὶ ταύτης τέλεον ἀλλοτρίους ἑαυτοῦς καθιστῶσι τῷ τοῦ κλήρου κειρόσθωσαν σχήματι. Εἰ δὲ μὴ τοῦτο αὐθαιρέτως αἰρήσονται, καθάπερ οἱ λαϊκοὶ τὴν κόμην ἐπιρροφίωσαν, ὡς τὴν ἐν κόσμῳ ἀναστροφὴν τῆς οὐρανόου ζωῆς προτιμήσαντες*“ (Syntagma II, 352). Quae quid sibi velint, patet. Rei canonicorum criminum, qui in perpetuum et immutabiliter loco suo moti atque in statum laicorum redacti sunt, si paenitentiam fecerint et a peccato se abruperint, propter quod exciderant e gratia, tonderi possunt, sicut alii sacerdotes; sin alios se praebuerint, laicorum modum in hac re sequi debent. V. argumenti loco sumit verba: *ἐν τῷ τῶν λαϊκῶν ἀπωθούμενοι τόπῳ τῆς χάριτος ἐκπεπτώκασι*. Sed

illo loco nihil aliud dicitur, quam quod in aliis multis canonibus dictum est; in hoc autem significatur sine dubio sacerdotem privari gratia, privari maximo bono, sed non sequitur privari eum caractere sacramentali. Amittere gratiam sanctificantem, amittere haec tanta iura sacerdotii sine dubio est privari *τῆς μεγίστης χάριτος*. Quod apud Aristhenem hunc canonem explicantem invenitur: *τῆς χάριτος ἐστερήθη*, eodem modo interpretandum est (Syntagma II, 354).

V. suam sententiam etiam verbis S. Scripturae probare conatur; affert enim 1 Tim. 4, 14; 1 Thess. 5, 19; 2 Tim. 1, 6. Duobus epistularum ad Tim. locis *χάρισμα* seu gratiam, quam Apostolus praecipit a Timotheo non neglegi sed resuscitari, eam intellegendam esse, „quae collata ipsi fuerat ad bene exsequendum munus episcopale“ docet Estius (In 2 Tim. 1, 4). Sciendum enim est, „nomine charismatum apud Apostolum non officia seu gradus ecclesiasticos intellegi, sed dona quaedam ad utilitatem aliorum spectantia: velut dona sapientiae, scientiae, linguarum, interpretationis, exhortationis, prophetiae, miraculorum, cuiusmodi enumerat 1 Cor. XII. Quae quidem esse poterant etiam in eo, qui in gradu alicuius officii, seu potestatis nondum esset constitutus“ (Estius. In 1 Tim. 4, 14). Etsi enim Timotheus ordinari in episcopum non debuerit, nisi talibus donis ornatus, quemadmodum ipse Paulus c. 3. praescripsit, tamen in eo totum hoc genus charismatum episcopo necessarium confirmatum et auctum est, neque id sine augmento principii vitae supernaturalis, utpote quod ad bene sancteque exsequendum munus episcopale plurimum conferat.

Sed ut ad tertium veniamus locum, 1 Thess. 5, 19 s. Paulus ibi quaedam praecepta subicit, quae magis ad ecclesiae praefectos specialiter, quam ad universam plebem pertineant. Quod praecipit de spiritu non extinguendo, s. Augustinus ep. 23 ad Bonifacium sic intellegit: Spiritum s. ne exstinguite, quantum in vobis est. Nam ille exstingui non potest; sed extinctores eius merito dicuntur, qui sic agunt, ut exstinctum velint. Adducit autem locum similem ex epist. Cypriani de lapsis, ubi dicit, infantes ad idola a parentibus attractos, amisisse quod in baptismo acceperant. Amiserunt, inquit Augustinus, quantum attinebat ad scelus parentum, cum gratia baptismi parvulis nihil peccantibus non posset auferri. Chrysostomus autem et alii plerique per Spiritum s. metonymice charismata eius accipiunt, i. e. ea Spiritus s. dona, quae dantur ad aliorum utilitatem, cuiusmodi multa enumerantur 1 Cor. 12. Qui commentarius haud dubie congruit cum iis, quae sequuntur. Respicit autem Apostolus praecipue ad ea dona, quorum usus erat in conventibus fidelium, ut sensus sit: Nolite prohibere, quominus quisque proferat in medium id, quod a Spiritu s. accepit: sive ut linguis loquatur, sive ut eas interpretetur, sive ut annuntiet occulta mysteria, sive ut scripturas exponat: haec enim prohibere, esset Spiritum s. in donis suis extinguere. Cf. Estium in h. l. Apparet igitur nullo modo hunc locum afferri posse ad probandam sententiam scriptoris.

His rebus consideratis satis manifestum est valde erravisse scriptorem, cum gratiae resisti posse tenens urgensque gratiam sacerdotii extinguere posse sibi persuaserit. Si sacramento ordinis solum gratia

gratum faciens, sive ut s. Augustinus loquitur. Spiritus Sanctus conferretur. omnino haec valerent, sed sacramentum ordinis habet alium effectum huic antecedentem, qui vocatur signum indelebile. character, qui si deesset, neque gratia gratum faciens vel si quid aliud peccato exstingui ponitur vi sacramenti suscepti resuscitari posset. Dr. J. Šimrák.

Externa de Slavis.

- E. J. Kitts.* Pope John XXIII and Master John Hus of Bohemia. London 1910. 12 sh. 6 d.
J. Martinu. Die Waldesier und die husitische Reformation in Böhmen. Wien. Kirscht 1910. 6 M.
O. v. Riesemann. Die Notationen des altrussischen Kirchengesanges. X + 108. L. (Breitkopf u. Härtel) 1909.
K. Völker. Der Protestantismus in Polen, auf Grund der einheimischen Geschichtsschreibung dargestellt. L. (Hinrichs) 1910. 6 M.

Nuntii procurationis.

Socii Academiae accipiunt:

- Snopek, Konstantinus-Cyrellus pro 6 Cor.
 Palmieri, Theologia dogmatica orthodoxa t. I. pro 15 Cor.
 Acta Academiae Velehradensis ab anno, quo quisque nomen dat,
 gratis.
 Acta Conventum Velehradensium, ab anno, quo quisque nomen
 dat, gratis (latina vel russica).

Pro aliis veneunt:

- Snopek, Konstantinus-Cyrellus u. Methodius pro 10 Cor.
 Palmieri, Nomenclator v. I, f. I pro 6 Cor.
 Acta Academiae Velehradensis a. VI. pro 6 Cor.
 Acta I. Conventus Velehradensis pro 4 Cor.
 Acta II. Conventus Velehradensis pro 8 Cor.

De »quinivertice ecclesiastico corpore« apud S. Theodorum Studitam.

Postquam perspicuas sancti Theodori de primatu Romano declarationes in lectione ad secundum Velehradensem Conventum facta exposui*), haud abs re erit breviter nunc inquirere quomodo Studita consideret corpus Christi quod est Ecclesia.

Observandum est primum non adeo pressum dicendi genus ab Orientali noni saeculi monacho exigendum esse atque a scholasticis Occidentalibus hodierni temporis theologis. Sic nullam ex professo datam definitionem Ecclesiae in eius operibus invenies. Haec autem opera perlegenti facile apparebit ipsum magis instituisse ideae paulinae de mystico Christi corpore quam notioni societatis visibilis et monarchicae, licet haec ultima notio ex eius dictis de Romano Pontifice luce clarius pateat.

Ecclesia est corpus Christi mysticum, cuius caput invisibile Christus est, quem specialiter repraesentant quinque summi patriarchae: Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus. Hanc notionem saepe in suis scriptis tradit Theodorus. „Caput est totius ecclesiastici corporis Christus, verus Dominus ac Deus noster“, inquit in epistula ad Thomam patriarcham Hierosolymitanum anno 821 scripta**). Unumquemque vero ex his patriarchis „divinum et sacrum caput appellat“***); quin immo una vice, non quidem sine aliqua nimia adulatione, sanctum Nicephorum Constantinopolitanum sic alloquitur: „o divine et supreme sacrorum capitum vertex“†) cum alibi pluries dicat Romanum Pontificem esse divinissimum omnium caput, primum apostolicum caput Ecclesiae universae etc.††), Romanamque

*) S. Salaville, Quae fuerit Sancti Theodori Studitae doctrina de Beati Petri Apostoli deque Romani Pontificis primatu, in opere „Acta II Conventus Velehradensis“, Pragae, 1910, p. 123—134.

**) Κεφαλῆς δηλαδὴ οὐσης τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ ἔλου σώματος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν. Epist. lib. II, 121; Migne, P. G., t. XCIX, col. 1397 A.

***) Ὁ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλῆ., col. 1397 D.

†) Αὐτὸς δὲ, ἡ θεία καὶ κορυφαία τῶν ἱερῶν κεφαλῶν ἀκρότης. Epist., II. 79. col. 1318 C.

††) Ὁ θειοτάτη τῶν ἔλων κεφαλῶν κεφαλῆ. Epist., I, 33, col. 1017 C.

Ecclesiam esse verticem Ecclesiarum Dei*). Ad hunc vel illum ex his quinque patriarchis scribens, ait Theodorus se esse ipsius membrum, ratione scilicet mystici corporis Christi quem patriarchae repraesentant. „Membra tua sumus“, scribit ad Thomam Hierosolymitanum: „Quandoquidem fideles omnes corpus sunt Christi, et membra ex parte.“**)

Quodsi vero Studita illud corpus nuncupat quinivertex ecclesiasticum corpus, *πεντακόρουρον ἐκκλησιαστικὸν σῶμα****), aut etiam quiniverticem potestatem Ecclesiae, *πεντακόρουρον κράτος τῆς Ἐκκλησίας*†), non ideo putandum est eum considerare Ecclesiam ut quamdam oligarchicam societatem. Illae enim expressiones, sicut et praecedentes, nihil aliud significant in operibus Studitae, meo saltem iudicio, nisi unitatem catholicitatemque corporis Christi quod est ecclesia. Hoc facile demonstratur ex ipsis Theodori scriptis. Si enim, exempli causa, in epistulis ad Orientales patriarchas, notioni corporis mystici insistit, ratio est se exhortari velle alias Ecclesias ad compatiendum malis Ecclesiae Constantinopolitanae. „Conveniebat sublimium sedium antistites... fraterno animo commoveri, manum pro veritate certantibus compatiendo porrigere. Si quid enim, ait, patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra; quia nimirum caput est totius ecclesiastici corporis Christus, verus Dominus ac Deus noster“††).

Haec elocutio autem „quinivertex corpus Ecclesiae“ vel „quinivertex Ecclesiae potestas“ semper a Theodoro usurpatur cum agitur de Ecclesia Byzantina quae, sectando haeresim, seipsam avertit ab aliis Ecclesiis ideoque ab ipso corpore Christi. Dum enim iconophili omnes sunt „consentientes apostolicae et universali Ecclesiae“, Ecclesia Byzantina, „segmentum haereticum cui sollemne est et ab aliis frequenter abscindi“ (*αὕτη γὰρ ἡ Βυζαντιαία τμήμα αἰρετικὸν ὡς εἶθισται αὐτῇ πολλαχῶς τῶν ἄλλων ἀποσχίζεσθαι*)†††), „Christo insultans, sancta proculcans, avertit seipsam a quini verticis corpore Ecclesiae“*†). Ex quo apparet quini-vertex corpus Ecclesiae idem dicere atque apostolicam et universalem Ecclesiam, nec quaestionem esse de patriarchali pentarchia sensu posteriorum Orientalium theologorum intellecta.

Ceterum Studitam nostrum aliquando modum in dicendo

*) Σοὶ τῆ πρωτίστη ἡμῶν ἀποστολικῆ κεφαλῆ. Epist., I, 34, col. 1025 D.

**) Ἐνωθῆναι ἡμᾶς τῆ κορυφῆ τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ Πρώμῃ. Epist., II, 74, col. 1309 C.

***) Σοὺ ἐσμὲν μέλη· ἐπεὶ οἱ πάντες πιστοὶ σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη ἐκ μέρους. Epist., II, 15, col. 1164 C.

†) Epist., II, 63, 64, col. 1280 B, 1281 B.

††) Epist., II, 129, col. 1417 C.

†††) Epist., II, 121, col. 1396 D, 1397 A.

*†) Epist., II, 8, col. 1132 C.

excessisse haud difficulter credam; ita, exempli gratia, cum ad Hierosolymitanum patriarcham haec scribit: »Tu primus patriarcharum, licet quintus numereris. *Σὺ πρῶτος πατριάρχων, κἄν πεντάζοις τῷ ἀριθμῷ.* Ubi enim episcopus animarum ac pontifex omnium natus est, et divina omnia operatus, et passus, et sepultus, ubi resurrexit et vixit et assumptus est, illic suprema omnium procul dubio dignitas est, *ἐκεῖ δηλονότι τὸ ὑπεραῖρον ἀπάντων ἀξίωμα*^{*)}). Quandam in his verbis assentationem, sit venia verbo, videre nos sinit ipse contextus, in quo Theodorus addit: „Sed de his hactenus, desiderio ac reverentia impulsus loqui ausus sum, *τοσαῦτὰ πόθῳ καὶ τρόμῳ τετόλμηται μοι λαλῆσαι*.”^{**)}) Huc adde epistulas Theodori ad quattuor Orientales patriarchas rarissimas fuisse, nempe ad Hierosolymitanum duo, ad ceteros autem unam tantummodo inter eius opera legi; sententiasque in illis expressas valde differre a sententiis quas tradit in epistulis ad Romanum Pontificem missis; immo talis esse generis, ut eadem omnino epistula missa fuerit ad Alexandrinum et ad Antiochenum patriarcham.

Ex his omnibus concludi potest theoriam pentarchiae a Theodoro usurpata esse solummodo quasi quandam, ut ita dicam, concretam formulam paulinae ideae de mystico Christi corpore, ecclesiasticae unitatis simul et universalitatis, necnon fraternarum relationum quae inter quinque patriarchales Ecclesias esse debent, cum omnes unum corpus constituent, cuius caput Christus est.

Hoc autem non prohibet quominus Ecclesia sit etiam corpus sociale quod, ut tale, strictioribus vinculis copuletur atque in externam unitatem coalescat. Hanc unitatem organicam facit iuridica subjectio erga proprios pastores et praecipue erga Romanum Pontificem, Petri successorem, Christi Vicarium et supremum Ecclesiae visibile caput. Secundam illam considerationem, quamvis non hisce verbis expressa inveniatur in Theodori scriptis, non ideo tamen ab eius mente fuisse alienam demonstrant excerpta quae in lectione mea praecitata IIⁱ Conventus Velehradensis legi possunt. In praesenti sufficiat unum recitare locum quo dicitur Byzantinam Ecclesiam, a quinivertice Ecclesiastico corpore per iconomachorum haeresim avulsam, Ecclesiae Romanae uniri debere et per eam omnibus aliis patriarchalibus Ecclesiis. „Quamvis nuper Ecclesia nostra (Byzantina scilicet) a quattuor patriarchis divulsa, nequidquam praevaricata est. Sed nunc tempus acceptabile, domine Christi amantissime (Michaellem imperatorem sic alloquitur Studita, anno 821), nunc dies salutis: ut reconciliemur nos Christo, ut uniamur nos vertici Eccle-

*) Διαβρήξασα ἑαυτὴν τοῦ πεντακορύφου σώματος τῆς Ἐκκλησίας. Epist., II, 62, col. 1280 B.

**) Epist., II, 15, col. 1161 AB.

***) Ibid.

siarum Dei Romae, et per eam tribus patriarchis: ut unanimiter uno ore glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi, cum Filio et Spiritu Sancto.“*)

Licet ergo corpus Christi mysticum in quinque praecipuos patriarchatus distinguatur, attamen Romanus Pontifex ceteris patriarchis certo certius superior est, non honore solum, sed etiam auctoritate et iurisdictione.

Chalcedone.

S. Salaville,
Aug. ab. Ass.

De Conceptione Immaculata B. Mariae Virginis apud Russos, saeculo XVII.

III. De Conceptione Immaculata apud Moscovitas.

In priore articulo¹⁾ ob oculos lectoris complura posuimus testimonia ex quibus liquet Academiam seu potius Scholam Kioviensem per totum saeculum decimum septimum Immaculatam Conceptionem Beatae Mariae Virginis ut doctrinam orthodoxam ex professo tradidisse. Probavimus etiam Bělorussos eandem piam sententiam docuisse formulamque quamdam laudavimus, qua sodales alicuius confraternitatis sub titulo Conceptionis Immaculatae in dioecesi Polocensi fundatae Beatae Virgini sine labe Conceptae se dicabant. Apud Orthodoxos huius aetatis usu receptum est hanc fidem Malorussorum et Bělorussorum auctoritati occidentis latino-polonici tribuere; sed, ut diximus, haec ratio non est nisi vanum effugium; quod Moscovitarum de eadem re sententia considerata clarius apparebit.

Saeculo decimo septimo, Moscovitae, qui de sua orthodoxia byzantina gloriabantur bellumque continuum contra Polonos catholicos gerebant, omne quod latinum sonabat exsecrabantur. Diu antequam Graeci de rebaptizandis catholicis decrevissent Latinis ad Orthodoxiam conversis baptismi sacramentum repetere solebant; quem usum synodus Mosquensis anno millesimo sexcentesimo vicesimo habita auctoritate sua confirmavit. Putasne homines qui tantopere ab Occidente abhorrent ullam doctrinam novam inde profectam libenter amplecti potuisse? Si apud illos sententia de immunitate B. Mariae Virginis a peccato originali recepta erat, nonne iure concludemus hanc non de fonte latino eos hausisse, sed antiqua traditione accepisse?

Atqui litterarum monumentis evolutis comperimus haec duo:
1^o. Ante correctos a Nicone patriarcha libros liturgicos (1653—1666),

*) Epist., II, 74, col. 1309 C. Νῦν ἡμέρα σωτηρίας, καταλαργήναι ἡμᾶς Χριστῷ... ἐνωθῆναι ἡμᾶς τῇ κορυφῇ τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ Ρώμης, καὶ δι' αὐτῆς τοῖς τρισὶ πατριάρχαις· ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἐνὶ στόματι δοξάζωμεν τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, σὺν τῷ Υἱῷ καὶ Πνεύματι ἁγίῳ.

¹⁾ Vide „Acta Academiae Velehradensis“, anno VII (1911) p. 3—15.

Moscovitae eandem ac Malorussi et Bëlorussi de sanctitate originali Matris Dei sententiam tenebant. 2^o. A tempore Niconis, imprimis postquam ab administratione ecclesiae remotus est, Graeci novam suam opinionem de Beata Maria Virgine ab originali labe expiata, cum Verbum caro fieret, Moscoviae divulgare coeperunt.

a) *De fide veterum Moscovitarum.*

Fidem veterum Moscovitarum de Conceptione immaculata Beatae Mariae novimus imprimis ex doctrina, quam ad haec usque tempora Starovëri seu Veteres Credentes, illi saltem qui поповцы vocantur, se profiteri gloriantur. Quam pertinaciter hi antiquis ritibus et disciplinis adhaereant nemo est qui ignoret. Omne novum, omnem Kainotomiam, quam Graeci vocant, prorsus detestantur, et haec fuit causa cur ab Ecclesia niconiana discederent, quia patriarcha libros liturgicos emendare tentaverat. Hi igitur, si dogma de Conceptione Immaculata credere deprehenduntur, certe aliunde illud non sunt mutuati. En autem quae leguntur in legibus monasterii Bëlokrinicensis anno 1841 typis mandatis:

„De sanctissima Dei genetrice et semper Virgine Maria sic credimus: Illam Cherubim et Seraphim vere esse sanctiorem caelisque et omni creatura sublimiorem profitemur, Unum de Trinitate, Christum scilicet Deum nostrum, qui e caelis ad nos descendit et propter nostram salutem est incarnatus, secundum carnem genuisse, ipsamque non tantum nunc, cum gaudet beatitudine, puram esse et immaculatam, sed etiam ante partum, in partu et post partum semper virginem fuisse, et insuper Deum omnipotentem, qui verbo suo, verbo immaculato, caelum hoc corporeum creavit nitidum et omni contagioni impervium, aliquod etiam caelum animatum, purum et ab omni labe immune, Filio Unigenito, Verbo, Domicilium in terra praeparavisse, Dominam Nostram scilicet, omnibus benedictionibus cumulata, Dei Matrem et semper virginem Mariam, quae a fonte puro, purgato et sanctificato ante suam conceptionem vitam duxit.

„Idcirco ipsa sola, Mater creatoris omnium ante omnes generationes praedestinata et a prophetis praedicta non solum nihil de originali labe contraxit, sed etiam semper pura et omni ex parte pulchra ut caelum permansit. De ipsa in Cantico Canticorum Spiritus sanctus loquitur, cum dicit: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (Cant. IV), et ulterius magna cum admiratione exclamat: Quae est ista quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol (Cantic. VI, 9)¹).

Hanc sententiam de Conceptione immaculata non ut opinionem veri similem propugnant Starovëri, sed pro certo et neces-

¹) *Subbolin*, Исторія такъ называемаго австрійскаго и бѣлокриницкаго священства, t. I: Учрежденіе раскольнической митрополіи въ бѣлокриницкомъ монастырѣ, Mosqua, 1874, p. XLII. *Gagarin*, op. cit., p. 29—31, 81—83.

sario dogmate habent, cum ecclesiam niconianam non esse veram Christi Ecclesiam probare intendunt, inde quod haec ecclesia privilegium mariale respuit argumentum sumunt. Starovĕrus quidam, Paulus nomine, in Historia ecclesiastica quam conscripsit et in alio opere quod inscribitur: Brevis collatio inter diversas sectas haereticas, quae Baptismum et ordinem valide administrant, Niconianis crimini vertit, quod Immaculatam Conceptionem negent:

„De Domina Nostra Dei Genetrice non orthodoxe sentiunt nisi ex quo Mater Filii Dei incarnati effecta est. Iuxta ipsos, ante Christi conceptionem, Maria fuit sicut una e ceteris puellis, habens in se, sicut omnes aliae feminae, originale peccatum, a quo tunc demum mundata est, cum Archangelus eam salutarit. Haec doctrina in illorum libro qui dicitur Skrižal exprimitur. Talia autem effluentes Dei genetricis famam laedunt, dum labe originali infectam illam dicunt, perinde ac si Deo vires defuissent ad sibi efformandum in terra caelum animatum ab omni labe immune.“¹⁾

N. Subbotin, illustris ille historiae Raskolis scriptor, hunc locum Starovĕri auctoris explicat his verbis:

„Dum doctrinam orthodoxam impugnat Paulus, etiam hoc loco, recens dogma catholicum de Conceptione Immaculata Beatae Virginis, quod magna cum diligentia in aliis suis operibus explicat, omnino se amplecti profitetur²⁾).

Russico scriptori satis est agnoscere Starovĕros cum catholicis de sanctitate originali Matris Dei plene consentire, nec audet dicere illud quod C. Golubĕv et alii ad explicandam fidem Malorussorum et Bĕlorussorum proclamant, illos scilicet polonicum influxum passos esse. Et revera, ut diximus, sententia huiusmodi omni probabilitate destituta statim appareret, nec ulla veri specie indui posset. Mirum est autem A. Lebedev, qui ante triginta annos perlongam thesim de Conceptione Immaculata composuit, alto silentio doctrinam Starovĕrorum premere quamvis bene eam noverit ex opusculo P. Gagarini³⁾. Huius silentii causa est quod fides Veterum Credentium explicari non potest modo qui ab Orthodoxis probari possit.

Aliud indicium fidei antiquae Moscovitarum invenimus in libro „Žezl pravlenija“, quem scripsit Simeon Polotskij. Hunc librum approbavit synodus magna Mosquensis anno 1667 habita, cui interfuerunt duo patriarchae graeci. Cum Ioachimus patriarcha Mosquensis Varlaamo Jasinskij scripsisset, ut illum moneret de delendo loco in Četii Minei Demetrii Tuptalo contento in quo Conceptionem Immaculatam scriptor diserte profitebatur⁴⁾ Demetrius ipse suam sententiam contra patriarcham propugnavit et

¹⁾ Subbotin, *ibid.*, p. 457. Gagarin, p. 50, 84—85.

²⁾ *Ibid.*

³⁾ A. Lebedev, Разности церквей восточной и западной въ учении о Пресв. Дѣвѣ Маріи Богородицѣ. О Непорочномъ зачатіи, Varsoviae, 1881.

⁴⁾ Vide Acta Academiae loc. cit., p. 9—10.

ad Žezl pravlenija illum remisit, ubi idem dogma enuntiabatur¹⁾. Quomodo autem patriarchae orientales hoc opus sua auctoritate munire potuerunt sine ulla intercessione contra latinum errorem explicatu difficile est, nisi admittatur illos librum non legisse, quod omnino verisimile est.

b) Quomodo sententia Graecorum apud Moscovitas invaluit.

Paulum Starovĕrum audivimus dicentem in quodam libro niconiano qui Skrižal vocatur negationem Conceptus immaculatae contineri. Hoc nomen Skrižal idem significat ac vox latina tabulae et vox graeca πινάξ. Cum ad emendandos libros liturgicos ad normam graecam patriarcha Nikon procederet, ab orientalibus patriarchis explanationes quasdam rituum et caerimoniarum in sacra synaxi adhibitorum petivit. Et Paisius quidem constantinopolitanus ut viginti septem quaestionibus a Nicone propositis responderet, longam epistolam ad ipsum misit²⁾. Patriarcha autem Hierosolymitanus, qui item Paisius vocabatur, nihil aliud mittendum iudicavit quam commentationem quamdam Ioannis Nathanaelis, scriptoris graeci, qui decimo sexto saeculo fuerat, et anno 1574, opus quoddam sermone populari conscriptum Venetiae ediderat, cui titulum inscripsit: *Ἡ θεία λειτουργία μετὰ ἐξηγήσεων διαφόρων διδασκάλων*³⁾. Hunc librum Paisius hierosolymitanus πινάξ nominavit et Moscovitae vocem graecam voce skrižal reddiderunt. Skrižal a synodo Mosquensi anno 1696 habita approbata est, cui plura alia documenta adiunxerunt et ad omnes ecclesias Moscoviae miserunt⁴⁾. Starovĕrus scriptor affirmat, ut iam vidimus, in Skrižal doceri opinionem recentiorum Graecorum, qui Beatam Virginem demum die Anuntiationis a peccato originali purgatam esse putant⁵⁾.

1) *Šljapkin*, Св. Димитрій Ростовскій и его время. Spb. 1891, p. 238.

2) Vide textum graecum huius epistolae, cum interpretatione russica in Христианское Чтеніе, 1881, t. I, p. 313—353, 539—578.

3) *Legrand*, Bibliographie hellénique de XV^e. et XVI^e. siècles, t. II, pag. 201—205.

4) *Palmer*, The Patriarch and the Tsar, t. II, p. 416, recensionem omnium documentorum in Skrižal contentorum tradit.

5) *A. Lebedev*, in op. cit., p. 109, eontendit locum operis *Ioannis Nathanael* in quo Conceptio immaculata negatur ex interpretatione hymni „Ἄξιόν ἐστιν“ a Nicephoro Callisto Xanthopoulo concinnata sumptum esse. Et sane in „ἐρμηνεία εἰς τοὺς ἀναβαθμοὺς τῆς ὀκτωήχου παρὰ Νικηφόρου Καλλίστου Ξανθοπούλου“ a Cyrillo Anastasiade Ierosolymis anno 1862 edita, inveniuntur haec verba, p. 142: Οὐ τοίνυν ἐκ διαφόρας γεγέννηκεν, ἀλλὰ τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐπελθόντος αὐτῆ. καὶ τοῦ προγονικοῦ ῥύπου, εἴτι τέως ἐνῆν, ταύτην ἀποκαθάραντος; sed animadvertendum est ex quinque codicibus quibus editor graecus usus est tres existere in quibus is locus desideratur; insuper nullus ex his codicibus saeculo XVIII antiquior est. Adsunt etiam indicia interpolationum satis perspicua. *Nicephorus Callistus* Conceptionem immaculatam videtur docuisse. Scribit enim in sua *Historia ecclesiastica*, lib. I, cap. VII, P. G., t. CXLV, col. 691: Εὐρέθη τοίνυν ἡ μακαρία παρθένος Μαρία ἄξιόν τι καὶ Θεοσπεπὲς τοῦ Λόγου κατοικητήριον, καὶ πρὸ γενέσεως μὲν ἀνατεθειμένη

Locus hic skrįžal in quo Immaculata conceptio negatur forte nullam vim in fidem Moscovitarum obtinisset, si Graeci doctrinam suam apud ipsos spargere destitissent. Sed exeunte saeculo decimo septimo accidit, ut auctoritas Graecorum Moscoviae invalesceret. Fratres duo, Ioannicius et Sophronius Lichudae (Лихуды) anno 1689 Mosquam pervenerunt et statim contra doctores Malorussos et Bělorussos ut doctrinis latinis imbutos pugnam inierunt. Nostrum non est hic magnae huius controversiae historiam minute perscribere, cum non de Conceptione Immaculata sed de momento quo Transsubstantiatio fiat, imprimis sit disputatum¹⁾. Attamen saepius per occasionem, lite durante, de privilegio mariali mentio facta est, cum fratres Lichudae, ut genuini Graeci, huic adversarentur, Malorussi vero id tuerentur.

In libro quem Sophronius Lichudes conscripsit: „Dialogi inter professorem graecum et Iesuitam de discrepantiis quae Ecclesiam orientalem inter et Occidentalem vigent²⁾ dogma Conceptionis immaculatae ut decima discrepantia notatur³⁾. Hoc opere motus Ioachimus patriarcha, qui, sicut Nicon Orthodoxiae Graecorum nimis fidebat, in Malorussos animadvertere coepit. In epistula quam ad Varlaamum Jasinskij misit, anno 1689, doctrinam de Conceptione immaculata aperte reiecit et iussit, ut iam diximus, in Cętii Minei deleri ea quae pro dogmate catholico Demetrius Rostovensis scripserat. Anno sequenti, Mosquam synodum convocavit in qua doctrinae catholicae de forma Eucharistiae sollemne anathema dixit, et opera a Malorussis composita, quae errorum latinorum novitati faverent, in quibus Immaculata conceptio numeranda est, condemnavit.

Adrianus, qui ei successit, haec decreta comprobavit et in latinizantes doctores animadvertere perrexit. Huius iussu, Palladius Rogovskij suam fidei confessionem edidit in qua Conceptio Immaculata ut latinum commentum reicitur⁴⁾. Anno 1699, diaconus Petrus Artemiev, qui catholicam fidem amplexus erat, dum in Italiam una cum Ioannicio Lichuda iter faceret, et praeter alia conceptionem immaculatam Beatae Mariae Virginis publice profitebatur, in exilium missus et in taeterrimo carcere monasterii Soloveč brevi post mortuus est⁵⁾.

Tamen fulmina patriarcharum moscovitarum a Graecis imbutorum fere nullam vim in doctiores Malorussos obtinebant. In

Θεῶ, ἐκ μελῶν δὲ γηραλέων καὶ πόρρω τῶν τῆς φύσεως κραμάτων, οἳ ἄ τις καρπὸς θεόδοτος, προηγμένη. Inferius, lib. II, cap. XXI, col. 809C, dicit Mariam mortuam esse, quia Dominus Iesus Christus, Filius eius, ipse quoque mortem subierit.

¹⁾ Vide opus *Mirkovič*, О времени пресуществованія св. даровъ, Vilnae, 1886.

²⁾ De hac commentatione cf. *Mirkovič*, p. 142—149.

³⁾ *Mirkovič*, p. 146.

⁴⁾ Исповѣданіе вѣры (1699). Cf. *Nikolskij*, Палладій Роговскій в Православное Обозрѣніе. 1863, p. 162—173;

⁵⁾ *Šljapkin*, op. cit., p. 220—222.

Academia Kioviensi Immaculatam Virginis Conceptionem ut doctrinam orthodoxam tradere pergebant magistri. Quin etiam Stephanus Javorskij, qui post mortem Adriani, exarcha patriarchalis sedis creatus est, eandem doctrinam profiteri non dubitavit. Quod ut Dositheus, hierosolymitanus patriarcha audivit aegre tulit et de salvanda Orthodoxia in sancta Russia cogitavit. Eius impulsu, Sebastos Kymenites (1630—1702), qui scholae principali Bucarestianae praeerat, commentationem quamdam conscripsit, cui hunc titulum praefixit: Dogmatica disciplina sanctissimae Orientalis catholicae Ecclesiae complicitens praecipue, haec tria: 1. Quandonam sancta dona in corpus et sanguinem Christi transmutantur? 2. Mater Dei peccatum originale contraxit; 3. Particulae (*μερδεις*) in corpus et sanguinem Christi non convertuntur¹).

Kymenites iam e vita cesserat, cum opus eius, anno 1703, Bucarestii in lucem editum est. Sine mora Dositheus Mosquam illud misit et Petro magno cum epistula quadam dedicataria offerendum curavit. Post duos annos Fedorus Polykarpov in Slavonicum conversum hunc librum edidit²), qui non multos lectores videtur habuisse nec magnum momentum ad fidem Moscovitarum immutandam attulisse. Sine dubio Virgo immaculata suos cultores per totum saeculum decimum octavum Moscoviae habuisset, si Theophanes Prokopovič doctrinam Protestantium in theologiam orthodoxam non inseruisset, quae studio discipulorum eius confirmata est.

M. Jugie, Aug. ab As.

De Graecis scriptoribus orthodoxis qui concordiae inter ecclesiam occidentalem et orientalem restituendae studuerunt.

I.

Ante saec. XV.

Etsi litteras Graecorum pervolventem saepe taedere debet eorum, quae adversus Latinos protulerunt, tamen non omnes byzantinae Ecclesiae vindices in Romanam Ecclesiam torvos oculos coiecerunt vel concordiam Ecclesiarum prae viribus aversati sunt. Etiam viri odio inexpiabili Latinos persecuti, mala quae schisma orientale, ad commune Orientis atque Occidentis detrimentum protulit, semel atque iterum doluere. Quo factum est, ut iure meritoque quilibet sincerus rerum pervestigator queat asserere nullam extitisse aetatem, qua *universa* Graecorum Ecclesia a romana sede funditus abstracta permanserit.

¹) Δογματικὴ διδασκαλία τῆς ἁγιωτάτης ἀνατολικῆς καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας, Bucarestii, 1703. Huius operis descriptionem vide in *Echos d'Orient*, t. VIII (1905), p. 262—264, a P. S. Petrides.

²) *Mirkovič*, op. cit., p. 237. *Šljapkin*, p. 216.

Quod ut ostendamus, primum ea testimonia, quibus generatim ipsum schisma deploratur; deinde ea, quibus studium contrarium capita dissensionum augendi Latinosque calumniandi reprehenditur, afferemus.

A.

1. *Theodorus Balsamon.*

Balsamon celeberrimus ille canonista, patriarcha antiochenus, qui „alienos ritus carpendi culpandique prurigine tenebatur“*), hisce verbis schisma conquerebatur: „Adhuc, ut hedera quercui, sic ipse concordiae Papae romani, quasi mordicus inhaereo, et ob separationem illius animo laceror, atque cotidie conversionem ipsius egregiam exspecto.“***)

2. *Ioannes II. metropolita.*

In litteris ad Clementem III antipapam, Ioannes II metropolita claudiopolitanus dolet pessimum daemonem fraternum amorem et consensionem totius orbis dirupisse ac profitetur Latinos haud aliter atque Graecos christianis adscribendos, in paucisque utrosque dissidere***).

3. *Georgius Acropolita†).*

Georgius Acropolita (*1217 + 1232), qui in concilio lugdunensi paci restituendae dedit operam, Deflemus, inquit, discidium Ecclesiarum, unaque deflent quotquot ex Latinis nobiliores animo perhibentur ac mitiores. Quid enim iucundius quam cum fratribus coniunctionem habere? . . . Quid gratius atque utilius quam cum iis de primatu pietatis contendere? . . . Quid e contrario miserabilius vel tristius quam viros de Christo eadem sentientes ac profitentes intestinibus laborare discordiis? . . . Torquemur igitur ob discidium ecclesiasticum. Membra sumus Christi unique adhaeremus capiti, ac tamen quod intolerabile censeo, discrepantibus favemus sententiis, ad commune viribus unitis non ferimur opus, atque in con-

*) LEQUIEN, *Panoplia*. p. 275.

**) Καὶ ἐτι γὰρ ὡς κισσὸς δρυὸς, τῆς ὁμοιότητος τοῦ Πάπα Ῥώμης ἐξέχομαι, καὶ τῆ χωρισμῶ τούτου τὴν καρδίαν σπαράττομαι, καὶ τὴν καλὴν ἐπιστροφὴν κατ' ἐκείστην παραδοκῶ. — *Meditata sive responsa*, P. G. t. CXXXVIII, col. 1020.

***) Οὐκ οἶδα γὰρ ποῖος δαίμων πικρὸς τε καὶ βασκανος, ἀληθείας ἐχθρὸς καὶ εὐσεβείας, τὰ τοιαῦτα ἐκαινοτόμησε, καὶ τὴν ἀδελφικὴν ὑμῶν ἀγάπην καὶ σύμπνοιαν τῆς ὅλης ἀπέρηξε τῶν χριστιανῶν ὁμηγύρεως, οὐ τὸ καθόλου φημί (χριστιανούς γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ χάριτι ἀνωθεν ἴσμεν, καὶ ἐν πολλοῖς λίαν ἀποδεχόμεθα), ἀλλ' ἐν τισὶ ἀποσχίσεσθε. — PAVLOV, *Крѣпическіе очерки*, p. 171.

†) De Georgio Acropolita egerunt: OUDIN, *Commentarius de scriptoribus ecclesiasticis*, t. III, Lipsiae, 1722, col. 465—67; FABRICUS-HARLES, *Bibliotheca Graeca*, tom. XII, p. 50—53; DEMETRACOPULOS, Ὁρθ. Ἑλλάς, p. 47—48; KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*², pag. 94; 287—288; KEISENBERG, *Studien zu Georgios Akropolites. Sitzungsberichte der königlichen bayerischen Akademie der Wissenschaften*. 1899, t. II, p. 463—558; Id., *Georgii Acropolitae Opera*, t. I, Lipsiae, 1903, pag. III—XXIV; t. II, p. III—XXVI; 31—32.

trarias abimus factiones... Discidium a Latinis profectum Graecos, ut ulcus, contaminavit; ex ambitione in audaciam processit*).

4. *Basilii Achridanus**).*

Basilio achridano, thessalonicensi (1154—1759) metropolitae, Adrianus IV litteras miserat, quibus schismatis lugenda discrimina conquerebatur. Ubi inter alia haec dicit: „Ex quo per invidiam hostis antiqui constantinopolitana sedes a sacrosancta romana et apostolica, quod sine lacrimarum inundatione vix famur, Ecclesia seipsam separavit, et hominis inimicus proprium malitiae venenum effudit, et a matris oboedientia liberi secesserunt, unitatisque locum binarius subiit: laborem multum et studium qui nos praecesserunt beati Petri successores adhibuerunt, ut schisma de medio tolleretur, et unitati Ecclesiae, qui se ab ea separarunt, redderentur***). Cui ille (1155) respondit: „Audivimus loquentem, ut patrem, ut pastorem, vel potius archipastorem. Nam quasi pater filios, qui a te abalienati videntur, sub paternos tuos sinus cogis, eorumque sollicitudinem habes: quasi pastor autem, etiam oves errantes revocas; quasi pastorum pastor, pastorem tuam et divinitus infusam scientiam nos doces ne greges neglegamus, sed totis viribus prospiciamus ut ei quod male se habet sedulo medeamur.“†)

*) Καὶ ὄν ἀποκλειόμεθα μὲν ἡμεῖς τὸν ὑμέτερον χωρισμὸν, ἀποκλείονται δὲ, ὡς πείθομαι, τοῦτον καὶ ὑμῖν οἱ εὐγνωμονέστεροί τε καὶ συμπαθέστεροι. Τί γὰρ χρησιμώτερον ἢ περιπνίτερον, ἢ ἀδελφοῦς ἐν τῷ αὐτῷ συνοικεῖν; Τί δὲ χαριέστερον ἢ ὀνησιμώτερον, ἢ τοὺς αὐτοὺς ὁμοφρόνως ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἀνταγωνίζεσθαι; Τί δὲ ἀθλιώτερον ἢ ἐλθεινότερον ἢ ἀπορραγῆναι τοὺς ὁμοφρονούντας ἐν Χριστῷ εἰς διχόνοιαν; ... Διὰ ταῦτα δὴ τῷ ὑμετέρῳ χωρισμῷ σπαραττόμεθα καὶ τὸ πάθος οὐ διαφέρομεν, ἔτι μέλη ὄντες Χριστοῦ καὶ πρὸς μίαν κεφαλὴν αὐτὸν ἀναγρόμενοί τε καὶ συναρμολογοῦμενοι, οὐδέτι συμπνέομεν τοῖς αὐτοῖς, οὐδὲ εἰς ἓν ἔργον τὸ ἅπαν ζῶμα κινούμεθα, ἀλλ', ἀντιφερόμεθα ἑαυτοῖς εἰς ἑτεροίας πράξεις καὶ ἐναντιούμενας τὸ πλεῖστον μέρος ἐξ ἀντιθέσεως... Ἦρξατο μὲν ἐξ ἡμῶν τὸ πάθος, κατεβροσκήσατο δὲ καὶ ἡμᾶς καθάπερ ἔρπηξ ἢ γάγγραινα, ἐκ φιλαυτίας ἀρξάμενα καὶ εἰς ἀθάδαιαν καταντήσαντα. — Λόγος περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος πρὸς Λατίνους, DEMETRACOPULOS, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, t. I, Lipsiae, 1866, pag. 396—397.

**) De vita huiusce theologi byzantini praeclare egit VASIL'EVSKIJ, Βασιλία Ὀχριδεκάρο, ἀρχιεπίσκοπα (μητροπολίτα) Σολυκεκάρο, ανεξάντιστο πατριότικο ἑπισημασμένο ἔργο ἐπὶ τῇ θανάτῳ τοῦ Πριπνι, πρώτου σουργιῆ ἡμῶν. Μανυλά Κομνήνα (Basilii Achridani, archiepiscopi [metropolitae] thessalonicensis, funebre oratio in honorem Irenae, primae uxoris imperatoris Manuelis Comneni), Vi Vrem, 1894, t. I, pp. 55—76. Pauca de eodem apud PETIT: *Les évêques de Thessalonique*, EO, tom. V (1901), p. 28—29, n. 47. Vide etiam OUDINUM, l. c. tom. II, coll. 1383—84; DEMETRACOPULUM, l. c. pp. 22—23; KRUMBACHERUM, l. c. pp. 88; 466; Πρωτ. βουλ. ἐπιτ., t. IV, coll. 203—4.

***) *Epistula a domino Adriano papa Romae missa ad sanctissimum archiepiscopum thessalonicensem, dominum Basilium Achridanum de unienda orientali ecclesia cum occidentali*, P. G., t. CXIX, col. 926—27. Litterae Adriani ac responsio Basilii reperiuntur etiam apud MANSI, t. XXI, col. 795—802.

†) Ἦκούσαμεν λαλοῦντος ὡς πατρός, ὡς ποιμένος, μᾶλλον δὲ ἀρχιεπίσκοπου. Ὡς μὲν γὰρ πατήρ, καὶ τοὺς ἀπηλλοτριωσθαί σου δοκοῦντας υἱούς, ὑπὸ τοὺς πατρικούς σου κόλπους συνάγεις, καὶ κηδόμενος τούτων διατελεῖς· ὡς δὲ ποιμῆν, οἷα πρόβατα πεπλανημένα ἀνακαλεῖς· ὡς δὲ ποιμένων ποιμῆν τὴν ποιμαντικὴν σου καὶ θεο-

Illud imprimis iuvat animadvertere in litteris Basilii Achridani, eum suorum civium iniustas criminationes adversus Latinos aspernatum, fateri e parvis tantummodo causis ortum schisma duxisse ac foveri: in rebus enim maximi momenti plenam vigere consensionem inter utramque Ecclesiam: Est unus qui in utrisque ecclesiis personat sermo fidei, idemque sacrificatur agnus, qui tollit peccata mundi Christus, inter occidentales antistites qui sub tuum principale culmen agunt, et nos qui a sole oriente sublimes Constantino-politana sede sacerdotii accepimus splendorem, etsi parva quaedam offendicula in medio inieriecta nos separarint, et ex uno eodemque spiritu multos fecerint. Quae omnino tollere de medio, et velut lapides, secundum propheticum sermonem, e via proicere, unitatemque Ecclesiarum sine offendiculo constituere, tuae sanctitatis erit*).

Suspiciatus est Pichler Basilium suis in litteris, ac potissimum in iis quae ad primatum romanum spectant, ironice loqui, (*Geschichte der kirchlichen Trennung*, t. I, pp. 289—90). Huic sententiae favent Kattenbusch: Basilius antwortete mit der feinsten Ironie: er will offenbar den Bestrebungen des Kaisers nicht entgegen sein und behandelt die kirchentrennenden Unterschiede wie Kleinigkeiten (*Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, t. I, Friburgi, 1892, p. 126) et Vasil'evskij: Не подлежатъ сомнѣнію, что здѣсь все отъ пачала до конца начиная съ похвалы смиренію папы, который сравнивалъ себя съ Христомъ, сшедшимъ съ небесъ для спасенія людей, и широтѣ его любви, проникнуто извѣстною византийскою тонкостью. (*Vi Vrem.*, t. I, p. 68.)

Fateor tamen hanc eruditorum, quos memoravimus, sententiam, haud firmis inniti fundamentis. Omnino enim differt huius ratio scribendi a Basilii Ancyрани et Nicetae Stetati byzantinae ironiae exemplis, quos Vasilevskij ante oculos videtur habere, cum ironiam byzantinam notam esse commemorat. Neque huius epistulae peculiaris natura peculiare ironiae genus ferebat. Nemo enim ironice scribit ita, ut eum a quo legi vult lateat, eum ironice loqui. Quid autem dicere vult, quid consequi Basilius, si ironia utitur? Hoc explicandum et probandum erat iis, qui id statuerunt.

Quare non modo Lequien, *Panoplia*, pp. 310—311, atque

δίδακτον ἐπιστήμην διδάσκεις ἡμᾶς, καὶ τῶν ποιμνίων μὴ ἀμελεῖν, ἀλλὰ πάσῃ δυνάμει προνοεῖσθαι, καὶ τὸ κακῶς ἔχον θεραπεύειν ἐπιμελῶς. — Rescriptum sanctissimi archiepiscopi Thessalonicensis domini Basilii Achridani ad papam romanum dominum Adriantum, P. G., t. CXIX, col. 929.

*) Καὶ εἰς ἐν ἀμφοτέροις ταῖς Ἐκκλησίαις ὁ λαλούμενος λόγος τῆς πίστεως· καὶ ὁ αὐτὸς ἀμνὸς θύεται, ὁ τοῦ κόσμου αἵρων τὴν ἀμαρτίαν Χριστὸς· ἐν τε τοῖς ὑπὸ τὴν σὴν τελοῦσι κορυφαίαν ἀκρότητα, καὶ ἡμῖν τοῖς ἐξ ἡλίου ἀνίσχοντος τοῦ ὑψηλοῦ τῆς Κ. θρόνου δεχομένοις τὰς τῆς ἱερωσύνης ἀγγάς· εἰ καὶ τινα βραχέα προσκόμματα εἰς μέσον παραρριφέντα διέστησαν ἡμᾶς, καὶ πολλοὺς πεποιθήκασιν, τοὺς ἐνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ Πνεύματος. Ἄ πάντως ἐξελεῖν ἐκ τοῦ μέσου, καὶ ὡς λίθους τινὰς ἐκ τῆς ὁδοῦ διαρρίψαι, κατὰ τὸν προφητικὸν λόγον, καὶ ἀπρόσκοπον τὴν ἐνότητα τῶν Ἐκκλησιῶν, καταστήσαι, τῆς σῆς ἀριωσύνης. — P. G., t. CXIX, col. 932.

Hergenröther, Photius, t. III, pagina 806—807 (similiter Krumbacher quoque, *Gesch. d. byz. Litt.*² p. 88) hasce litteras ob moderationem styli laudant, sed vel infensus Latinis Dositheus conatur Basilium a crimine benevolentiae erga Latinos purgare, aitque sobrie et comiter eum scripsisse ad Romanum Pontificem, spe fretum fore ut suo obsequio pacem iuvaret concordiamque Ecclesiarum: „*Ῥητέον ὅτι ὁ Βασίλειος ὀρθόδοξος ὢν καὶ σοφός, καὶ γράφων πρὸς τὸν Ῥώμη τὰ αἷτια τοῦ σχίσματος, καὶ παρακαλῶν περὶ ἐνώσεως, πρῶτον μὲν ἐξ ὧν εἶπεν ὁ πάπας ἐξ ἐκείνων ἐπεχείρει* δευτερον, *μὴ ἔχων σκοπὸν προφανοῦς ἐλέγχου, ἀλλ' εἰρήνης, ἐπήγει, ἐνεκομίαζε, καὶ εἴματα τὸν Πάπαν* τρίτον, *τὰ καινοτομήματα τῆς Ῥωμαικῆς Ἐκκλησίας καὶ τὰς ἐν τῇ ἐπιστολῇ μέμψεις, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν τὰς λοιδορίας τοῦ Πάπα κατὰ τῆς Ἐκκλησίας Κ. καὶ τὸ ἀκαινοτόμητον περὶ τὴν πίστιν τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ταπεινῶς ἔλεγε καὶ σωφρόνως, εὖνονν διὰ τούτων πάντων σπουδάζων ποιῆσαι τὸν Πάπαν. ἵνα ἴσως ὠφέλεια ταῖς Ἐκκλησίαις προξενισθῆ. Δωδεκάβιβλος, l. VIII, c. X, p. 800; Lebedev, *Очеркн*, p. 101—2.*

Neque mirari nos oportet, si hominem orthodoxum non indignari videmus, quod episcopus Romanus se cum Domino comparaverit. Non enim ira movebatur, ut omnia in malam partem acciperet, sed potius studio concordiae restituendae ductus ea sine offensione accepit, uti Dositheum rem explicantem audivimus.

B.

1. Graecorum doctissimi aetate, quam memoravimus, saepe saepius declararunt perperam ad rituum consuetudinumque diversitatem provocari pro schismate tuendo.

5 *Theorianus* pholosophus.

Imprimis pulcherrima iuvat verba meminisse, quibus Theorianus, *μαίστωρ καὶ φιλόσοφος*, doctus scriptor byzantinus saeculi XII*) graecos monachos, ne Latinos ob latinas consuetudines odio prosequerentur, monuit. “ Vos adhortamur, ut alienum animum a contentionibus habeatis. Hoc enim moris nostri non est, neque Dei Ecclesiae, sed pacem persequi cum omnibus pacem Christi possidentes, qui facit utraque unum; et Latinos ita ut fratres diligite. Recte enim de fide sentiunt, suntque quemadmodum et nos, catholicae atque apostolicae Ecclesiae filii. Quaestiones enim eiusmodi merae consuetudines sunt, quae nihil fidem laedant. Omnia siquidem bona, si in gloriam Dei dirigantur, nihilque sive in Latinorum Ecclesia

*) HERGENRÖTHER, tom. III, pp. 791—792; KRUMBACHER, pp. 88—89. Excerpta epistolae Theoriani, praeter Lequien, ediderunt ALLATIUS, *Exercitationes in Roberti Creyghtoni apparatus, versionem, et notas ad historiam Concilii florentini scriptam a Silvestro Syropulo*. Romae, 1665, pp. 473—74; MAI, *Nova Patrum Bibliotheca*. t. V, Romae, 1849. Nota 2, ad *Constitutiones studitanas*, p. 124; MAI, *Supplementum ad disputationem Theoriani cum Nersete Armeniorum Patriarcha, Scriptorum veterum nova collectio*, t. VI, Romae, 1832, p. 414, nota 2; pp. XXIII—XXVIII. Vide etiam LEQUIEN, *Disseratio damascenica VI, P. G.*, t. XCIV, coll. 405—409.

in usu est, sive apud nos, quod a recto decore sit alienum, habet firmitatem et robur. Sed diviniore consilio et intellegentia constituta sunt. Prudentibus igitur omnia recta sunt, aliis vero scandalum et offendiculum.“*)

6. *Nicetas* archiep. nicomediensis.

Hoc idem tradit Nechites (Nicetas), archiepiscopus Nicomediae, quem Anselmus Havelbergensis testatur, primo dimidio saeculi XII. fuisse „praecipuum inter duodecim didascalos, qui iuxta morem sapientum Graecorum, et liberalium artium et divinarum Scripturarum studia regunt, et ceteris sapientibus tanquam omnibus praeminentes, in doctrina praesunt, et ad quos omnes quaestiones difficillimae referuntur, et ab eis solutae deinceps sine retractatione et pro confirmata sententia tenentur et scribuntur.“**) Sub Ioanne II Comneno (1118—1143), Anselmus, Havelbergensis episcopus***) Constantinopolim se contulit, ibique munere legati defunctus est Lothari II (1125—1137)†), atque in vico qui dicitur Pisanorum, iuxta Ecclesiam S. Irenae, mense aprili, cum Nechite de capitibus inter Graecos ac Latinos controversis disceptavit††). Nechites doluit

*) Καὶ πρῶτον παρακαλοῦμεν ὑμᾶς, φιλονεικίας μὴ καταδέχεσθαι. Ἡμεῖς γὰρ τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν. οὔτε ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. ἀλλ' εἰρήνην μετὰ πάντων διώκειν, ἔχοντες εἰρήνην Χριστὸν τὸν ποιοῦντα ἀμφοτέρω ἐν. Καὶ ἀγαπᾶτε Λατίνους αὐτοὺς ὡς ἀδελφοὺς. Ὁρθόδοξοι γὰρ εἰσι, καὶ τέκνα τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας ὡσπερ ἡμεῖς. Αἱ γὰρ ζήτησεις αὐτῶν συνήθειαι τινές εἰσιν, τῆς πίστεως μηδαμῶς καθυπτόμεναι. Πάντα γὰρ καλὰ, ἐὰν εἰς δόξαν Θεοῦ ποιῶμεν αὐτά· οὐδὲν γὰρ οὔτε τῶν Λατίνων ἐκκλησιαστικῆ συνήθεια, οὔτε ἡμετέρα ἔξω τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ πρέποντος εἴληφε καὶ κρατεῖ. Ἀλλὰ θειοτέρου ἔχονται σκοποῦ καὶ νοήματος. Τοῖς οὖν ἐχέφροσι πάντα ὀρθά, τοῖς δὲ μὴ τοιοῦτοις σκάνδαλόν τε καὶ πρόσκομμα. — Ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἐν τῇ ὀρινηῇ ἱερεῖς, περὶ τῆς ἐν σαββάτῳ νηστείας, τῆς τε θείας κοινωνίας καὶ περὶ γαμικῆς συζυγίας ἱερέων καὶ περὶ τοῦ μὴ ξηρᾶν τὸ γένειον, *Cod. Vat. Graec.*, 1841, fol. 151—152; *P. G.*, t. XCIV, col. 408.

**) ANSELMUS (Havelbergensis), *Dialogus I*, *P. L.*, t. CLXXX, col. 1141.

***) De eius vita egerunt: RIEDEL, *Bischof Anselm von Havelberg. Gesandter der Kaiser Lothar und Friedrich I zu Constantinopel, nachmaliger Erzbischof von Ravenna*, LEDEBURS, *Archiv für preussische Geschichtskunde*, Berolini, 1832, t. VIII, pp. 97—137; 225—68; SPICKER, *Das Leben und Wirken des Bischofs Anselm von Havelberg*. ILLGEN, *Zeitschrift für historische Theologie*. Lipsiae, 1840, t. X, pp. 3—94; STRERATH, *De Anselmo, episcopo Havelbergensi: dissertatio historica*, Monasterii, 1854; DOMBROWSKI, *Anselm von Havelberg*. Regiomonti (Königsberg) 1880.

†) De legationibus Anselmi in Orientem, qua pollet eruditione disseruit DRÄSEKE, *Bischof Anselm von Havelberg und seine Gesandtschaftsreisen nach Byzanz*. ZKG., Gothae, 1900, t. XXI, pp. 160—85.

††) *Dialogus II*, c. I, *P. L.*, t. CLXXX, col. 1163. Anselmus Constantino- poli moratus est anno 1136, ut DRÄSEKE ostendit, *ZKG.*, t. XXI, p. 167. Argumenta quibus usus est ad Graecos refellendos tanti ponderis visa sunt, ut ea meminerit Nicolaus Methonensis, eaque studuerit refellere: Κεφαλαίων- δεις ἐλεγχοὶ τοῦ παρὰ Λατίνους καινοφανοῦς δόγματος, τοῦ ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, DEMETRA- COPULOS, Ἐκκλ. Βιβλ., pp. 359—380; DRÄSEKE, *Nikolaus von Methone*, *BZ.*, t. I, 1892, pp. 458—59. Iussu Eugenii III (1145—1153) anno 1149 Anselmus tres dialogos exaravit, qui obiectiones exhibent Nechitae, ac responsiones ipsius Anselmi, ACHERY, *Spicilegium*, t. I, Parisiis 1723, pp. 161—207; *P. L.*,

Latinorum ritus Graecos ex integro haud nosse. Hosce enim si nosset, „non tam facile Latinos calumniarentur, nec in iis tam facile scandalizarentur.“*) De azymis autem loquens, haec habet idem Nechites: „Sicut ex multis purissimi frumenti granis tam azyma, quam fermentata hostia conficitur, et sicut ex multis uvis in unum collectis vinum expressum colligitur; ita ex multis tam Graecorum, quam Latinorum turbis una et concors, et id ipsum sentiens constituatur Ecclesia, ne vel nobis vestrum azyma, vel vobis nostrum fermentum in die Domini fiat damnationis iudicium, dum altrinsecus inde surgimus in contentionem, quod utrisque institutum est ad salutem. Magis enim tam nobis quam vobis timenda est periculosa contentio, quam eiusdem obligationis diversa consuetudo**).

7. Ioannes Cytrius.

Ioannes Cytrius, episcopus *Κύτρου* in Macedonia, qui vixit ineunte saeculo XIII, duo tantum meminit capita controversa: illud Filioque et azyma: Cetera vero, quae ad lectionem Sacrarum Scripturarum, preces ac liturgiam spectant, communia statuit Graecis Latinisque, ac nemini improbanda***).

t. CLXXXVIII, col. Hocce opus inter optimas scriptiones polemicas aetatis, quam mediam vocant, percensent SCHRÖCKH et DRÄSEKE, *ZKG.*, tom. XXI, p. 172. Anno 1155 Anselmus iterum Const. appulit, eaque in urbe moratus, disceptationem de processione Spiritus Sancti habuit cum praecitato Basilio Achridano. Hanc disceptationem quae in col. 28 bibliothecae monac. inscribitur: *Διάλεξις τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονικῆς κυρ. Βασιλείου τοῦ ἀκριδινοῦ ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ γινομένη μετὰ τινος λατίνου παρὰ τοῦ Ἰωάννου πεμφθέντος πρὸς τὸν βασιλέα κυρ. Μανουὴλ τὸν πορφυρογέννητον*, HARDT, *Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae regiae bavaricae*, t. I, Monachii, 1806, p. 161, typis mandavit Iosephus SCHMIDT, *Des Basilius aus Achrida, Erzbischofs von Thessalonich, bisher unedierter Dialoge: ein Beitrag zur Geschichte des griechischen Schismas*, Monachii, 1901. Veteres graecorum codicum descriptores, ut NESSELIUS, *Catalogus manuscriptorum graecorum bibliothecae caesareae vindobonensis*, t. I, Vindobonae, 1690, Cod. CXCIII, p. 289, nota 1; LAMBECIUS-KOLLARIUS, *Commentarii de augustissima bibliotheca vindobonensi*, t. V, Vindobonae, 1778, cod. CCXIII, col. 88, atque HARDT, *Op. cit.*, t. I, cod. LXVI, p. 396, tradunt hanc disceptationem Basilium habuisse cum Henrico, archiepiscopo beneventano, qui anno 1166 missus est ab Alexandro III (1159—1181) legatus Constantinopolim, SARNELLI, *Memorie cronologiche dei vescovi ed arcivescovi della santa Chiesa di Benevento*, Neapoli, 1691, pp. 97—98, Haec perperam dici ostendit SCHMIDT, Cf. *BZ.*, t. XI, 1902, p. 183.

*) *Dialogus III*, c. 21, col. 1246.

**) *Id.*, c. 20, col. 1245.

***) Δύο εἰσὶ προφανῆ καὶ μεγάλα ποιοῦντα διαφορὰν μέσοι ἡμῶν καὶ τῶν Λατίνων· τὸ πρῶτον καὶ μείζον, τὸ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος δόγμα· τὸ δεύτερον δέ, καὶ οὐ τοῦ ἴσου λόγου, τῶν ἀξίων ἢ προσφορά. Ἡ τῆς Γραφῆς δὲ ἀνάγνωσις, τῆς τε Παλαιᾶς καὶ τῆς Νέας, καὶ αἱ προσευχαί, καὶ μελωδίαι, καὶ οἱ θεοὶ ναοί, καὶ αἱ προσκυνήσεις τοῦ τε τιμίου σταυροῦ καὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων, κοινὰ τοῦτοις εἰσὶ καὶ ἡμῖν. — Ἀποκρίσεις πρὸς Κωνσταντῖνον ἀρχιεπίσκοπον Δυρραχίου, RHALLI et POTLI, Σύνταγμα τῶν ἱερῶν κανόνων, t. V., Athenis 1854, pag. 404. — Eidem suffragatus sententiae pessimus Latinorum osor Macarius Ancyranus, affirmabat in dogmatis tantum Graecos a Latinis abhorrere, non autem in consuetudinibus vel ritibus sacris. Διὰ γὰρ ταῦτα (δόγματα) καὶ τῆς

8. Scriptor Dialogi.

In dialogo polemico qui inscribitur *Διάλεξις συνιεθεῖσα Γραικοῦ καὶ καρδιωαλίω τινῶν ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρου Ρώμης περὶ τῆς τοῦ πατρῷου Πνεύματος ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου ἐκπορεύσεως*, qui, iudice Hergenröthero sub Manuele I Comneno (1143—1180) exaratus est, declaratur cunctas Latinorum consuetudines tolerari posse: schismatis vero et scandali omnis perennem exstitisse causam additum symbolo illud Filioque*).

9. Quidam apud Symeonem Thessalonicensem.

Hoc idem testatur Symeon Thessalonicensis, qui refert complures e Graecis cunctas in ritibus discrepantias Latinis remissuros fuisse, illud Filioque si e symbolo expunxissent**). Quae cum testaretur Symeon, ut mos est cunctis dissensiones intestinas in Ecclesia foventibus, hosce viros qui moderate de schismate sentiebant, idque convellere studebant, ignorantiae insimulabat, vel eos haec de industria evulgare opinabatur contra veritatem, ut Latinos ad caput praecipuum fidei corrigere valerent, et sic paulatim ad correctionem ceterorum adducere***).

τούτων ἀποδιδόσταιμεθα κοινωνίας. Τὰ δὲ ἔθνη μὴ τοσοῦτον βδελυκτὰ ἡγρητέον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἱεροουργήμενα. — Κατὰ Λατίνων, c. CII, Τόμος Καταλλαγῆς, pag. 195. Per transennam adnotamus Allatium huncce locum Macarii Ancyranī tribuisse Ioanni Cytrio, *De Consensione*, col. 1122—1123. In eundem errorem incidit col. 1167.

*) Τὰ μὲν ἄλλα, περὶ ὧν βραχὺς ἡμῖν ὁ λόγος, ὡς μηδὲ κατὰ πολὺ τῷ λόγῳ τῆς εὐσεβείας καὶ τῆς ὀρθοδοξίας λημαινομένων, ἐάσθωσαν· τὸ δὲ τοῦ μείζονος, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν τοῦ παντὸς σκανδάλου καὶ σχίσματος αἴτιον ἢ... τῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως παρεντεθεῖσα προσθήκη. — HERGENRÖTHER, Photius, t. III, nota 813.

**) Τῶν ἡμετέρων τινὲς οὐ πολὺν ἡγοῦνται τὸν περὶ τῶν τοιοῦτων λόγον, ἀλλὰ περὶ τοῦ συμβόλου μόνον ζητοῦσι τῆς πίστεως, καὶ φασιν, ὡς οἱ τοῦτο μόνον ὀρθῶς ἐβούλοντο λέγειν τὸ ἱερώτατον σῆμα, οὐκ ἀπεσεῖοντο ἂν αὐτοὺς διὰ τὰ λοιπὰ. *Dialogus*, c. XXI, P. G., t. CLV, col. 109. — Saeculo XV in slavicum idioma translata sunt scripta polemica et liturgica Nili Cabasilae et Symeonis Thessalonicensis, РУДИН, *Исторія русской литературы* (Historia litteraturae russicae), t. I, Petropoli, 1907, p. 294. Codices slavici, qui continent scriptiones prioris theologi, recensentur apud SOBOLJEVSKIUM, *Переводная литература московской Руси XIV—XVII вѣковъ* (Opera quae saeculis XIV—XVII versa sunt in Russia Moscovitica) Petropoli, 1903, pp. 323—24. Vide etiam Описание рукописей Соловецкаго монастыря (Descriptio codicum manuscriptorum qui asservantur in monasterio insulae Solovkae), T. I, Kazan, 1881, p. 433. Opera vero Symeonis Thessalonicensis slavice verterunt Euthymius, monachus monasterii mosquensis quod audit *Miraculorum* (Чудовъ), annis 1686—1689; Nicolaus Spatharius, Moldavus; anno 1696; ac Dositheus, metropolita Moldaviae (1671—73; 1675—86) clarissimus inter scriptores romenos saeculi XVII. Vide DINULESCU, *Vieața și scrierile lui Dositeiu Mitropolitul Moldovei*, Cernovicii, 1885. De hisce versionibus pauca tradit RODOSSKIJ, Описание 432-хъ рукописей принадлежащихъ с.-петербургской духовной Академіи (Descriptio 432 codicum manuscriptorum pertinentium ad bibliothecam academiae ecclesiasticae petropolitanae, Petropoli, 1893, pp. 27—32. De hisce duobus scriptoribus egerunt: OUDIN, t. III, coll. 917—924; 2242—2255; FABRICIUS, t. X, pp. 20—25; DEMETRACOPULOS, pd. 83—84; 80—90; KRUMBACHER², 109—110; 112—113; DRÄSEKE, *Zu Iohannes Kantakuzenos*. *BZ.*, t. IX, 1900, pp. 81—82.

***) Οἶμαι, ἀδελφέ, ὡς τοῖς τοιοῦτοις τῶν ἡμετέρων οὐκ ἐγνωσιμένα καθαρῶς τὰ

2. Non desunt tamen scriptores byzantini, qui vel illud Filioque missum faciant, ac primatum iurisdictionis romanorum Pontificum causam dedisse schismati culpent. Iuvat prae ceteris testimonia in medium proferre Nicetae Nicomediensis, et Nili Cabasilae, Thessalonicensis.

10. *Nicetas Nicomediensis.*

Prior de quo iam supra mentionem iniecimus profitetur primatum romanum se non abnuere, quippe cum in antiquis Graecorum historiis de eo iniciatur mentio. Hunc tamen primatum iurisdictionis fuisse expertem statuitur: „Roma eminentissima sedes imperii primatum obtinuit, ita ut prima sedes appellaretur et ad eam de dubiis causis ecclesiasticis a ceteris omnibus appellatio fieret, et eius iudicio ea quae sub certis regulis non comprehenduntur, diiudicanda subiacerent, ipse tamen Romanus Pontifex, nec princeps sacerdotum, nec summus sacerdos, aut quicquam huiusmodi, sed tantummodo primae sedis episcopus vocaretur.“*)

11. *Nicolaus Cabasilas.*

Fusius haec eadem exposuit Nicolaus Cabasilas, qui altero dimidio saeculi XIV non sine moderatione de causis schismatis disseruit. Is discidium Ecclesiarum tribuendum negat esse dogmatum sublimitati, quae humanum captum superant; item Sacrarum Scripturarum sermoni, qui nihil certi statuit de capitibus inter Graecos et Latinos controversis. Absonum est etiam veritati affirmare, schisma ex eo profectum esse quod Graeci sibi vindicarent primatum, ac nollent secundi a Latinis haberi. „Etenim cum Ecclesia romana Graeci de primatu non contendunt, eo minus, quod vetus consuetudo et canones Ecclesiae statuunt romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum antiquissimam“**). Quenam igitur est tam lugendi schismatis causa? . . . Non alia, inquit Cabasilas, nisi quod quaestio controversa communi oecumenicae synodi decreto non sit confirmata; quod eius solutio explicatioque non fiat ex vetere Patrum in hisce negotiis consuetudine partes sumunt, alios vero

παρά Λατίνους. Εἰ δὲ καὶ τοῦτων οὔθασί τινα, ἐπεὶ καὶ περὶ τῶν ἀζήτων πλείστα πολλοὶ γράφουσιν, ὡς οὐ θέμις ἄζητα προσφέρειν, ἀλλὰ τὰ πλείω οὐκ ἴσασιν. Εἰ δὲ καὶ τινὲς εἰσι τῶν εἰδότων, οἰκονομικῶς τοῦτο λέγουσιν, ὡς οἶμαι, ἐπανορθοῦν αὐτοὺς τῇ καιριωτέρῃ τῇ πίστει βουλόμενοι, καὶ οὕτω κατὰ μικρὸν πρὸς τὴν διόρθωσιν καὶ τῶν λοιπῶν ἐπιφέρειν. — Ib., col. 109.

*) *Dialogus. II. c. VII, P. L., t. CLXXXVIII, coll. 1217—1218.*

**) Ἔστι τοίνυν, ὡς γε ἐγὼ νομίζω, οὐ τὸ τοῦ δόγματος ὑψηλόν, κατόπιν ἐὼν τῶν ἀνθρώπινον νοῦν . . . Οὕτε τοίνυν τοῦτο τῆς διαστάσεως αἴτιον, οὔτε πολλῆ μάλλον ἢ τῆς Γραφῆς λόγος, συντετηγημένος ὢν, καὶ μὴ σαφῶς διαγορευῶν περὶ τοῦ ζητουμένου . . . Ἄλλ' οὐδὲ ἔπερ Λατῖνοί φασιν, ὡς ἄρα ἡμεῖς . . . πρωτείων ἀντιποιοῦμενοι, οὔτε δευτέρου τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς ἀνεχόμεθα δεῖκνυσθαι, ἄρα δὲ διὰ τοῦτο καὶ τῆς εἰρήνης ἀποπηδῶμεν. Οὕτε γὰρ περὶ τῶν πρωτείων ἡμφισπητήσαμεν πόποτε τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ, οὔτε περὶ δευτεριῶν ἢ λόγος νυνί. — *De causis dissensionum in Ecclesia, P. G., t. CXLIX, col. 684—685.*

discipulorum instar dicto audientes habere velint*). Duo in Papa considerata sunt, eum et Romae episcopum esse, ut etiam synodi testentur, et praeterea eum esse primum omnium episcoporum. Prius illud a Petro accepit, alterum vero a sanctis Patribus et piis regibus**). Primatus igitur honoris non reicitur, sed primatus absolutus iurisdictionis, quod concilia oecumenica supervacanea efficeret***). Nisi tollatur hic primatus, remedia, colloquia, legationes nihil inservient: morbus manebit, quamdiu Latini in proposito suo perstiterint†).

Tota igitur controversia, quae Graecos inter ac Latinos exagitata est saeculis XII—XV, praecipue vertitur circa primatum Romanorum Pontificum.

3. Hac de causa mitiores in Latinos theologi etiam atque etiam declararunt hosce ut fratres in fide esse diligendos, canonesque violare eum qui eos, perinde ac si ethnici forent, iterum baptizandos decerneret.

11. Scriptor Dialogi.

In eodem dialogo, quem supra attulimus, scriptum legimus: „Absit autem ab orthodoxa Graecorum fide, ut quemquam christianorum in invocatione hagiæ Trinitatis baptizatum denuo rebaptizandum putemus, quoniam hoc facere, vel faciendum praedicare, est haereticum esse... Nequaquam autem eos denuo rebaptizamus, quos prius unctos, et chrismali unctione per manus im-

*) Τοίνυν ἐστὶ τὸ τῆς διαστάσεως αἷτιον; Τὸ μὴ κοινῇ τῆς οἰκουμένης συνόδῳ κυρωθῆναι τὸ ζητούμενον, τὸ μὴ προβῆναι τὴν λύσιν κατὰ τὰ παλαιὰ τῶν Πατέρων ἐν τοιοῦτοις ἔθῃ. Ἀλλὰ τοὺς μὲν Ῥωμαίους διδασκάλους τοῦ ζητουμένου ἐθέλειν καθέζεσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους ἐν μαθητῶν μοίρᾳ ὑπακούοντας ἔχειν. — *Ib.*, col. 685.

***) Δύο γὰρ περὶ τὸν Πάππα θεωρουμένων, τὸ τε εἶναι Ῥώμης ἐπίσκοπον, ὡς αἱ σύνοδοι μαρτυροῦσι, καὶ ἔτι τὸ πρῶτον εἶναι τῶν ἐπισκόπων· τὸ μὲν παρὰ τοῦ Πέτρου ἔχει λαβῶν, τὸ εἶναι Ῥώμης ἐπίσκοπον· τὸ δὲ παρὰ τῶν μακαρίων Πατέρων, καὶ τῶν εὐσεβῶν βασιλέων. — *Ib.*, l. 11, col. 701. Ex hac doctrina, iam a prima schismatis aetate deducebant scriptores byzantini iura veteris Romae throno patriarchali constantinopolitano adiudicata esse: Μεταπεπτωκότων τῶν σκήπτρων ἐκείθεν, ἐνθάδε μεταπέπτωκε ἡ τῶν θρόνων ἀρχιερατικὴ τάξις, καὶ δεδῶκασιν οἱ ἀνέκαθεν βασιλεῖς τὰ πρεσβεία τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως. — ANNA COMNENA, *Alexias*, l. I, P. G., tom. CXXXI, col. 153. Vide ALLATIUM, *Exercitationes in Roberti Creyghtoni apparatus*, t. I, p. 372—373.

****) Εἰ δὲ τοῦ πάππα δικαστήριον ἱκανὸν ἦν τοῖς τοιοῦτοις, περιττὸν λοιπὸν καὶ παρέλκον οἱ τοσοῦτοι τῶν μακαρίων Πατέρων σὺλλογοί. — *Ib.*, col. 688.

†) Θεραπείαι δὲ ἐπινοοῦνται μὲν πολλαί, καὶ πολλαὶ διαλέξεις, καὶ πρεσβείαι τοσαῦται· ἡ νόσος δὲ ἔτι μένει, καὶ μεγαίρει εἰς αἰεὶ, ἕως ἂν ἑαυτοῖς Λατῖνοι στοιχῶσιν. *Ib.*, col. 689. Opus Nili Cabasilae acute atque erudite refellit Matthaeus CARYOPHYLLES, archiepiscopus Iconiensis Ἀντίρρησις πρὸς Νεῖλον τὸν Θεσσαλονικὴν περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάππα, Parisiis, 1626; ROCCABERTI, *Bibliotheca maxima pontificia*, t. XIV, Romae, 1698, pp. 477—513; P. G., t. CXLIX, col. 729—878; *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, col. 1813—15. Rite animadvertit Caryophylles primatum sedis romanae illud esse caput controversum quod Graeci collatis viribus adoriantur: Τὴν δὲ ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν τοῦ Πάππα μὴ πάντες γινώμη, μὴ φωνῇ παραγράφουσι. — P. G., tom. CXLIX, col. 733.

positionem sanctificatos, et in christiana religione consummatos non dubitamus. Non autem dicitur iteratum, quod ignoratur prius factum*).

12. *Demetrius Chomatianus.*

Ineunte saeculo XIII Theodorum Balsamonem in Latinos in-
vectum castigavit Demetrius Chomatianus, archiepiscopus achri-
danus**), vir iuris canonici peritissimus***). Ipse dolet suos cives
pravo ductos affectu suis scriptis Latinorum doctrinas perperam
reprobasse; quodque de Sancti Spiritus processione a Latinis
traditur, absonum dissentaneumque omni modo coarguerunt: et
multas eorum alias consuetudines ut catholicae Ecclesiae non
convenientes, abominandas reputaverunt et reiecerunt. Nonnulli
tamen benignius rem excipientes, in aliis quidem rebus in eamdem
cum iis sententiam descenderunt, duritiam et superbiam cogno-
scentes nationis, et frequentem barbarorum morum contagionem.
In solo autem articulo de Sancti Spiritus processione, nequaquam
adstipulati sunt aut consenserunt†). Balsamonis audaciam in La-
tinis calumniandis censoria signat virgula Demetrius, qui meminit
praeclaros viros eius sententiis refragatos esse, ut nimis duris
atque acerbis††). Tradit Latinorum consecrata azyma item vasa
haec suscipientia, et sacrificio inservientia, et consequenter eorum
stolas, haec omnia ut immunda pollutaque semet non aestimare†††).

Ad quaestionem, sitne piaculum episcopo graeco ingredi in
Latinorum ecclesias et adorare, si ab ipsis invitatus sit, respondet
Demetrius: „Latinorum quidam non omnino a nostris moribus
tam dogmaticis quam ecclesiasticis, differre comperiuntur; et sunt,

*) *Dialogus* III, c. XXI, P. L., t. CLXXXVIII, col. 1247.

**) GOLUBINSKIJ, Краткій очеркъ, p. 123—124.

***) De eius scriptis optime disseruit DRINOV, О некоторых трудахъ Димитрія Хомаціана какъ историческомъ матеріалѣ (De quibusdam scriptis Demetrii Chomatiani, ut rerum historicarum fontibus), Vi Vrem., 1894, t. I, p. 319—340; II, p. 1—23. Recusa est haec dissertatio in editione bulgarica omnium scriptionum Drinovi: Сѣнненія, t. I, Sophiae, 1909, p. 581—629. Pauca de eodem tradidere: PALMOV, Новыя данныя къ вопросу объ учрежденіи сербскої архіепіскопіи св. Саввою, въ XIII в. (Nova documenta noviter reperta quae spectant ad institutionem archiepiscopatus serbici S. Sabbae, saeculo XIII), HČ., 1892, t. I, p. 421—458; GELZER, *Der Patriarchat von Achrida: Geschichte und Urkunden*, Lipsiae, 1902, p. 11-12; 16-19.

†) Πολλοί τῶν ἡμετέρων κακὸν ζῆλον ὑπερβάλλοντες, συγγράμμασιν οικείοις καθ' ἑαυτοὺς ὡς ἔκφυλον τοῦτο ἀπεσκοράκισαν. Κείμενον δὲ τοῦτο, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος τοῖς Λατίνοις δογματιζόμενον, ἀπᾶρον καὶ ἀπεμφαίλον παντάπασιν ἤλεγξαν, καὶ πολλὰ δὲ ἐτι ἕτερα τοῦτων, ὡς τῆ καθολικῆ Ἐκκλησίᾳ μὴ ἀκολουθοῦντα βδελυκτὰ ἐλογίσαντο. — PITRA, *Iuris ecclesiastici Graecorum selecta paralipomena, Analecta sacra et classica*, t. VII, Romae, 1891, p. 625.

††) Τῇ τοιαύτῃ δὲ ἀποκρίσει τηρικαῦτα πολλοὶ τῶν ἐλλογιμῶν οὐκ ἔθεντο οἷα πολὺ ἐχούση τὸ ἀπηνέξ τε καὶ ἰταμόν, καὶ μὴ προσήκον μέμψαι Λατινικῶν τύπων τε καὶ ἔθων. — *Ib.*, col. 729.

†††) Οὔτε τὰ ἱερουργούμενα παρὰ τῶν Λατίνων ἄζυμα, οὔτε τὰ ὑποδεχόμενα ταῦτα καὶ ὑπηρετούμενα τῇ τοῦτων ἱερουργίᾳ σκευή, καὶ ἀκολουθῶντες οὔτε τὰς ἱερατικὰς τοῦτων στόλας, οὔτε τι τοιοῦτων ἕτερον κοινὰ λογισμένα. — *Ib.*, p. 629.

ut dixerit quispiam, in eo ancipites. Quemadmodum igitur iis reluctari, qui prorsus a nobis dissentiunt, imprimis in dogmate de Spiritus Sancti processione, conveniens est et sanctum, ita in idem cum non talibus, descendere et convenire, non praeiudicabit antistiti, cui credita sit dispensatio conveniens moderatoribus animarum^{*)}. Quare Chomatianus^{**}), haud vetat Latinos Graecorum in Ecclesiis tumulari, et vicissim^{***}).

* * *

Pluribus iam non egemus testibus ut probemus quae ab osoribus byzantinis romanae Ecclesiae pervulgatae sint calumniae, acerbissimaeque ab iis conditae contra Latinos leges canonicae, eas permultorum et quidem clarissimorum virorum suffragiis repulsari ac reici. Conficitur inde causas quibus moti feruntur graeci schismatis antesignani in appetendis Latinis, diverticula potius dicenda.

Adde, quod semel atque iterum perillustres viri schismati addicti, postquam capita illa controversa sine partium studio, atque indefesso labore ad trutinam revocarunt, ac penitius explorarunt, suae Ecclesiae sphalmata agnoverunt, ac, missis ambagibus, cum Latinis steterunt. Hosce inter viros satis habeo meminisse Nicephorum Blemmydam, Ioannem Beccum, Manuelem Callecum, Demetrium Cydonium, quibus theologicae doctrinae peritiam nemo sane negabit, quam eorum scripta aperte produunt.

Veritati igitur fucum non fecero, si dixerō ab exordio schismatis usque ad captum a Turcis Byzantium, schisma totam non infecisse byzantinae Ecclesiae compaginem. Viri semper in ea exitere qui mala schismatis sunt conquesti, qui concordiam cum Latinis fovendam iucularunt, qui dogmata Latinorum interdum profiteri veriti non sunt. Quo factum est, ut schisma characterem *universalem* in graeca Ecclesia nunquam indueret, illudque humanae potius alerent affectiones, quam satis cognita et probata Latinorum ab antiquae fidei dogmatis secessio. A. Palmieri.

*) Τινὲς τῶν Λατίνων εὐρίσκονται μὴ καθόλου διαφερόμενοι πρὸς τὰ καθ' ἡμᾶς ἔθνη, τὰ τε δογματικὰ καὶ τὰ ἐκκλησιαστικά. καὶ εἰσιν, ὡς ἂν τις εἴπη, κατὰ τοῦτο ἐπαμφωστερίζοντες. Ὡσπερ τοίνυν τὸ ἀντισκληρύνεσθαι τοῖς ἐπίπαν διαφερομένοις ἡμῖν, ἐξαιρέτως ἐπὶ τῷ δόγματι τῆς τοῦ ἁγ. Πνεύματος ἐκπορεύσεως, καθήκον καὶ ὅσιον ὄβτω τὸ συγκαταβαίνειν τοῖς μὴ τοιοῦτοις καὶ συνέρχεσθαι, οὐ προκρινεῖ τῷ ἀρχιερεῖ, ὡς οἰκονομίαν πεπιστευμένην καὶ μετερχομένην τὴν πρέπουσαν οἰκονομίαις ψυχῶν. — lb., p. 727.

***) Iuvat hic meminisse nuperrime PAVLOV demonstrasse huiusmodi responsiones canonicas, quae Ioanni ἐκ Κῦτρου tribuuntur, huius scriptoris non esse, sed potius Demetrii Chomatiani, aut ex huius scriptis haustas. Кому принадлежатъ каноническіе отвѣты, авторомъ которыхъ считался Іоаннъ, епископъ Кѣтрскій (Cuius sint responsiones canonicae, quorum auctor habebatur Ioannes, episcopus Cytrius), Vi Vrem., tom. I, 1894, pag. 493—502. De Ioanne Cytrio pauca tradit DEMETRACOPULOS, Ὁρθόδ. Βιβλ., p. 34. Vide etiam Прав. бор. энци. t. VII, col. 52.

***) Ἄμεμπτος λοιπὸν ἡ ταφή, τῶν ἐν τοῖς λατινικοῖς ναοῖς ἐνσοριαζομένων χριστιανῶν, ἐπειδὴ κάκεισε ἡ τοῦ τιμίου σταυροῦ καὶ τῶν θείων μορφωμάτων ἐστὶν ἀναστήλωσις καὶ προσκύνησις. — RHALLI et POTLI. t. V, p. 404.

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium.

Dr. *Anton Ott*, **Die Auslegung der neutestamentlichen Texte über die Ehescheidung.** Münster i. W. 1911 (VIII+304) 7.80 M.

Hoc satis amplo volumine quaestio tractatur amplissima et sententiarum varietate celeberrima de vi verborum „excepta fornicationis causa“ Mt 5, 32 et „nisi ob fornicationem“ Mt 19, 9.

Non omnis litterarum, quae de hac re scriptae sunt, copia adhibita est. Et in indice litterarum et in indice nominum desiderantur etiam maioris momenti nomina, velut Luckock, D. Palmieri, N. Glubokovskij, J. Šimrak. Nisii sententia, quam nos quoque et ali comprobavimus (cf. Sl. l. th. I 160; III 17—18) a scriptore omnino neglecta est. Launoyo excepto generatim aliorum, qui doctrinam Graecorum defenderunt, theologorum scriptis *O.* parum usus est.

In colligendis antiquitatis christianae monumentis quaedam videntur omissa esse. De usu enim apostolico, de „privilegio Paulino“ quod vocatur, quod ab iis, qui Mt. 5, 32 et 19, 9 divortii copiam dari ei, cuius coniux adulterium commisit, existimant, afferri solet, non exponitur. Canonis Nicaeni (Braun, De sancta Nicaena synodo. Münster 1898, p. 82), quo etiam uxori nubere alii conceditur, nulla fit mentio. Rabulae sententia, quae cum Basilius comparari poterat de pari mulieris et viri conditione, non commemoratur (cf. Bickell, *Ausgew. Schriften der syr. Kirchenv.* S. 237). Ne Basilius quidem satis accurate tractatur (Cf. Sl. lit. th. IV 286-7).

In exponendo canone Tridentino eiusque vi aestimanda (pag. 286), non scriptori sed J. Šimrak (Sl. l. th. IV 305-6) assentiendum videtur esse. In sententiis patrum interpretandis et explicandis, si cum Cigoï comparatur, multo cautius procedit; velut Lactantium, Chromatium, Ioannem Chrysostomum, Asterium concedit divortium permitti existimasse. Tamen nonnumquam dubitandum esse de eius iudiciis censuimus. Imprimis illud, quod e verbis, quibus ab aliquo scriptore generatim divortii copia negatur, concludit certum esse, eum ne adulterio quidem commisso divortium concessisse (pag. 101, „sicher auch der Fall des Ehebruches eingeschlossen“). Simili modo etiam Capitularia Caroli M. Ludovici et Lotarii I. 1, cn. 42 novas nuptias generatim prohibent. Cf. Basil. cn. 77.

In aestimandis interpretationibus earumque rationibus multo melius iudicat quam et interpretes et dogmatici fere solent; nec tamen eius sententia probari potest. Augustinus laudatur, quod matrimonii christiani firmitatem a natura sacramenti repetierit (pag. 122); at eius sententia eam esse vim sacramenti, ut coniuges inter se separari non possint nisi adulterio commisso (p. 117) id quod Graeci non negabunt sed ipse negat, non perpendit.

Propria scriptoris sententia haec est: Christus dixit: etiam ibi, ubi tum, cum ea eveniunt, ob quae a Moyse divortium fieri concessum est, uxorem nefas est dimitti; quisquis enim uxorem dimittit, moechatur. Scriptor non explicat quomodo cum hac sententia componatur separatio a mensa et toro. Equidem Christum hoc loco de separatione eiusmodi locutum non esse (p. 250-1) consentio. At Christum ea de re nos docere debuisse dixeris, si vera est scriptoris explicatio, qua Christi verbis illam sententiam significari existimat. Ea enim ratione condicio eorum, qui uxores ducunt, peior fingi potuisset quam erat; nec eo modo separari coniugibus licere per se manifestum erat.

Ad sententiam suam comprobendam aliasque refutandas id potissimum affert, discrimen aliquod significari a Christo inter praecepta Moysis et sua. P. 294: Wenn der Heiland . . . auch hier in einer Antithese ein höheres Gesetz aufstellt und sagt: Wer irgend ausser dem Erwath dabar sein Weib entlässt, der handelt ehebrecherisch, so konnten die Juden das nicht anders verstehen als: Nun ist alle Ehescheidung, auch die bisher wegen Erwath dabar zugestandene, verboten. Denn andernfalls wäre ja . . . dieser Ausspruch ein fader Satz. Hätten sich doch die Juden sagen müssen: Dass die Scheidung aus keinem andern Grunde als dem Erwath dabar erlaubt ist, das haben wir bisher auch festgehalten“. Iam vero interpretes illos, contra quos sententiam suam rationibus munire conatur scriptor, eiusmodi rem neglexisse (velut J. Lightfoot, *Horae hebr. et talm.* vol. II ad Mt 5, 32 [Oxf. 1859 p. 125] etc.) veri simile non est. Ipse p. 281 affert quae Greve collegit, ut quibus rebus antiqua et nova divortii lex inter se differrent, doceret. Cf. Harless, *Die Ehescheidungsfrage* p. 8 ss., p. 49 ss. Etiam melius illa commemorare possumus, quae Glubokovskij, cum de Mt 19. 9 exponeret, monuit (Hrist. Čtenie 1895 I 375).

Sed, quod maximi momenti est, ne posse quidem res ita explicari, ut scriptori placet, videtur. Vocem *παροχίως* hoc loco significare posse idem atque etiam („einschliesslich“, „sogar auch“) viri philologi non concedent. Cf. Glubokovskij, p. 5–7, qui rem diligentissime tractavit.

Mt 19 seriem rerum scriptor sibi composuit Marci evangelio adhibito (Mc 10, 10 ponitur post Mt 19, 8; Mt 19, 10–12 ante Mc 10, 13). Ac recte quidem composuerit. At quid sequitur? P. 298 imprimis discipulorum admirationem pro argumento sumit: „Dieses Staunen der Jünger kann nur erklärt werden, wenn sie eine abschlägige Antwort erhielten. Diese muss also in den Worten Jesu liegen: mit dem *μη ἐπὶ πορεία* muss eine directe, bestimmt verneinende Antwort auf ihre bestimmte Frage gegeben sein“. Mihi quidem videtur demonstrandum fuisse, quid discipuli interrogaverint. Glubokovskij quidem p. 376 dicit: Ih smuščala sobstvenno učaš muža; o suprugě oni ne zabolilis', smotrja na zakon črez prizmu ravvinističeskijh tolkovanj

(v dělě razvoda evrejskaja žena ne iměla prav, ravnyh s mužem. Ios. Flav. Antiqu XV 7). Ih trevožit isključitel'no, „takovaja vina čelověka s ženou“. Puš' otpušćenie terpimo edinstvenno pri *μουχelia*,— i tut nečemu bylo udivljajsja, potomu čto eto mněnie energičeski propagandiroval Šammai i Hristos ego sankcioniruet. Gdě tut neobyčnosť porazitel'nago svojstva? No kartina sovsěm měnjaetsja, kol' skoro i *ἐπι πορνεία* nel'zja ženifsja, hotja eto do-zvoljali i Moisej i samye konservativnye rabbi“. Cf. p. 10.

Sed etiam illud negamus, posse verba illa explicari modo a scriptore proposito. Ut taceam grammaticis non probari ab eo quae statuat, negari sane non potest Christum, si illud, quod *Ο.* conicit, dicere voluisset, dicere debuisse: Non, ne adultera quidem inventa (vel dimissa) uxore, marito aliam ducere licet, sed quicumque ex qualibet causa etc. His scilicet verbis apte significatur illa sententia. Verum, discipulis illud interrogantibus responderi: qui uxorem dimittit — id quod ne adulterio quidem ab ea commisso fieri licet — etc. ineptum videtur esse nec a philologis concedi potest. Ceterum etiam Pharisaeis dicendum a Christo videtur fuisse: non solum qui ob alias causas sed etiam qui ob adulterium commissum uxorem dimittit etc. — si sententia scriptoris verbis subicienda esset. Falli igitur *Ο.* videtur, cum suam explicationem aptiorem esse putat, qua quaestio ad exitum adducatur, quam sententias aliorum.

Ceterum certe gratiae agenda sunt scriptori pro opera in hac quaestione explicanda consumpta, etiam a nobis, qui controversiis tollendis studemus quae theologos ecclesiae orientalis et occidentalis distinent; etsi enim ad hoc ipsum parum contulerit, tamen diligentia studiisque eius usi facilius ad id, quod petimus, pervenire poterimus.

Thomas Lempl, Das Herz Jesu. Eine Studie über die verschiedenen Bedeutungen des Wortes „Herz“ und über den Gegenstand der kirchlichen Herz-Jesu-Andacht. Herausgegeben von Hieronymus Noldin. Brixen 1909 (Tyrolia).

De cultu ss. Cordis Iesu alii alia statuerunt. Plurimi obiectum huius cultus primarium ipsum Christi cor carneum esse sumpserunt, ut symbolum vel organum caritatis; velut Albertus a Bulsano (Knoll), *Instit. theol. theoret.* vol. 3. (Taurini 1854) § 322 (p. 279 ad 286); F. X. Leitner, *Ein Wort über den Gegenstand der Andacht zum hh. Herzen Jesu* (Freiburg 1874), p. 17 ss.; Th. Schmude, *Die Andacht zum heil. Herzen Jesu Christi*³ (Wien 1875) p. 45.50; Perrone, *De incarnat.* p. 2, c. 4, a. 2, prop. 2; A. Riche, *Übereinstimmung von Wissenschaft und Glaube in Bezug auf das heil. Herz Jesu* (Cleve 1834) p. 45; Joh. Gföllner in *Theol.-prakt. Quart.* 1899 (LII) 555—564; J.-V. Bainvel, *La dévotion au Sacré Coeur de Jésus et in Dictionn. de Théol.* III, 273; A. Alvéry in *Revue August.* 1907 p. 45*) etc. Quorum argumenta N. Nilles, *Cor Iesu*

*) „Ni les vertus intimes du Christ ni sa personne divine ne s'offrent

divini Redemptoris nostri caritatis symbolum (Oenip. 1872) hoc modo exponit p. 15: 1. Ex decreto s. Congregationis an. 1765, quo primum concessum est festum cum missa et officio: Sacra Rituum Congregatio annuendo precibus episcoporum regni Poloniae et Archiconfraternitatis Urbis, cultum illius Cordis probavit et concessit, pro quo supplicarant oratores. Atqui praedicti episcopi et laudata Archiconfraternitas diserte et signanter postularant cultum et festum „Cordis, non tralaticie sumpti, sed in propria ac nativa significatione accepti, videlicet ut pars est Corporis Christi nobilissima, ut est in se“, quemadmodum legitur in libello supplici n. 32, p. 11. Concessit igitur Congregatio cultum Cordis veri ac materialis. — p. 16: 2. Ex officio smi Cordis: Ecclesia illud Cor tamquam obiectum cultus publici ac festi determinavit, de quo, „post maturam deliberationem de probando rite officio“ officium revera concessit. Porro concessit officium, in quo non obiter, sed ex professo agitur de Corde vero et materiali. Determinavit igitur Cor verum tamquam obiectum huius religionis . . . p. 18: 3. Illum smi Cordis cultum Ecclesia recepit ac „missae officiique concessione ampliavit, qui iam erat per omnes fere catholici orbis faventibus earum episcopis institutus et propagatus . . . p. 20: 4. Ecclesia illud Cor tamquam obiectum huius festi concessit, ad cuius cultum propagandum B. Margarita testibus minime dubiis divinitus erat electa. Atqui beata haec virgo cultum promovit Cordis veri ac carnei Christi Domini. Symbolum, non organum caritatis esse cor multi diserte docuerunt (velut B. Jungmann, Rigault, A. Riche, J. Bainvel etc.); sane alia multa potius organa caritatis dicenda sunt quam cor.

Sunt qui duplex esse obiectum cultus ss. Cordis statuunt in medio relinquentes, utrum sit primum velut (Andr. Martorell et los. Castella), qui scripserunt *Theses de cultu sacratissimi Cordis Iesu* (Ad sancti Cassiani 1875) p. 54: „Obiectum cultus sacratissimi Cordis Iesu duplex est partiale, unum adaequatum constituens: Cor sc. mysticum seu caritas ipsa Christi et Cor reale seu carneum“.

Alii obiectum primum esse Cor metaphoricum contenderunt, maxime Jos. Jungmann, *5 Sätze zur Erklärung und zur wissenschaftlichen Begründung der Andacht zum heiligsten Herzen Jesu und zum reinsten Herzen Mariae* (Innsbr. 1869) p. 54: Die Andacht zum heiligsten Herzen Jesu richtet sich wesentlich auf ein zweifaches Objekt. Den ersten und hauptsächlichsten Gegenstand derselben bildet das Herz Jesu im tropischen Sinn des Wortes:

directement à la vénération du pieux chrétien. A son tour, le coeur de chair du Rédempteur ne confisque pas à son profit exclusif nos religieux hommages. Il est la voie par où nous passons pour atteindre l'amour. Bref, il est l'objet matériel de notre dévotion, l'amour en constitue l'objet formel, l'excellence qui provoque notre adoration; les autres éléments intègrent ce que nous avons appelé l'objet total, que d'autres appellent l'objet par extension“.

ihr zweiter und untergeordneter Gegenstand aber ist das natürliche Symbol des ersteren, das leibliche Herz des Erlösers. Scilicet cor metaphoricum aliter pingi non potest quam si pingatur cor corporeum, sicut non solet aliter in sermone designari quam vocabulo cordis. Affert verba J. Croiset p. 69: „Ce qu'on prétend est de faire voir, qu'on ne prend ici ce mot de Coeur que dans le sens figuré et que ce divin Coeur, considéré comme une partie du Corps adorable de Jésus-Christ, n'est proprement que l'objet sensible de cette dévotion, et que ce n'est que l'amour immense que Jésus-Christ nous porte, qui en soit le motif principal“. Item verba F. Castagnori p. 74: „Praecipuum enim obiectum huius devotionis est amor immensus Filii Dei...“ Praeterea argumenta sumit e missa Egredimini, ubi nullo loco Cor carneum commemoratur (p. 86) et ex aliis documentis liturgicis. Plurimorum opinionem contrariam hoc modo explicat: „Die katholischen Theologen hatten der Irrlehre gegenüber 3 Sätze zu behaupten: 1. dass das leibliche Herz des Erlösers notwendiger Gegenstand unserer Anbetung sei; 2. dass dieses Organ das natürliche Symbol des Gemüts (der Liebe) und es mithin durchaus begründet sei, wenn die Christenheit demselben vor anderen Teilen des Leibes Christi eine besondere Verehrung widme; 3. dass der h. Stuhl wirklich auch die Verehrung dieses leiblichen Herzens gutgeheissen habe“ (p. 91). „Es ist etwas anderes den Feinden des Glaubens gegenüber beweisen, dass das leibliche Herz Jesu für die zwei Träger der göttlichen und der menschlichen Liebe des Herrn das vollkommen angemessene Symbol, dass die Verehrung dieses Herzens den Lehren der christlichen Religion entsprechend, und vom apostolischen Stuhl gutgeheissen sei, – und etwas anderes die Bedeutung und das Wesen der Andacht zum heil. Herzen, wie sie vom h. Stuhle empfohlen, nach dem ausdrücklichen Willen des Gottmenschen in der Kirche geübt wird, für gläubige Christen erklären. Wer das letztere beabsichtigt, der muss den unsichtbaren Gegenstand der Andacht, als den hauptsächlichsten, primären, an die Spitze stellen, und dann erst die Beziehung des sichtbaren und untergeordneten Objektes zu jenem, sowie seine besondere (absolute) Bedeutung entwickeln.“ P. 93.

Post hos Lempl (quem Noldin sequitur) sententiam opere postumo exposuit, qua negatur duo esse cultus ss. Cordis obiecta; unum enim esse et cordis vocabulum et cultus obiectum. P. 223 dicit: „Gegenstand der Andacht ist das Herz Jesu im vollen Sinne des Wortes, demzufolge es das leibliche Herz und das Innere des Herrn in einem erweiterten, aber wahren und eigentlichen Begriffe zusammenfasst. Das Herz Jesu ist also ein aus vielen und verschiedenen Elementen zusammengesetzter Begriff.“ Quam rem huiusmodi argumentis confirmare conatur: P. 201: „Im Evangelium der Messe Miserebitur wird aus Joh. 19 erzählt, wie der Soldat die Seite Jesu mit der Lanze oder mit dem Speer öffnete. Dieser Speer, gegen das leibliche Herz des Herrn gerichtet, sagt es uns fort und fort: Dieses Herz und nicht irgend ein anderes, grund-

Simili modo recenset scriptor (p. 426—811) alteram classem doctorum, qui conceptus et opiniones alexandrinorum hellenistarum dicunt in s. Paulum influxisse mediantibus libris sapientialibus V. Testamenti et praesertim Sapientiae Salomonis. Tales conceptus hellenistici, qui in libro Sapientiae, ut aiunt, inveniuntur et quos etiam s. Paulus adoptaverat in longa serie a criticis enumerantur. Spectat huc ex. gr. tota

doctrina de homine, de novissimis, de praedestinatione, de origine gentilismi etc. Scriptor omnibus rite examinatis ad eandem conclusionem sicut in praecedenti tractatu pervenit (p. 802): „Omnibus examinatis ad eandem conclusionem sicut in praecedenti tractatu pervenit (p. 802): „Omnibus examinatis ad conclusionem aliunde iam nobis notam pervenimus sc. dogmaticum systema Apostoli non fuisse formatum sub influxu alexandrinae theosophiae... Literaria expressio (systematis illius) utique perficitur per media ordinaria, unde oritur formalis quaedam consonantia cum aliis documentis eiusdem generis. Omnes vero posteriores conclusiones sunt vel falsae vel tendentiosae. In materia hac tractanda saepe directe conspicitur quaedam ‚parallelomania‘, accurata vero analysis ostendit, omnes illas analogias exaggeratas esse...“

In tractatu quarto (p. 812—1240) convertitur ad tractandam relationem s. Pauli ad coevam culturam et philosophiam hellenicam. Prius vero quaestionem valde spinosam et difficilem absolvit de graeca eruditione s. Pauli. Nam alii scientiam graecae litteraturae et philosophiae in s. Paulo extollunt, alii hoc iterum negant dicentes educationem s. Pauli pure iudaicam fuisse nec in epistolis eius, excepto solo graeco sermone, quidquam ex coeva eruditione graecorum conspici. Scriptor illis prioribus adiungitur: . . . „Paulus loquebatur et scribebat tamquam graecus et non tamquam hebraeus, quamquam in eo character semiticus non omnino disparuerat. Non potest dici Apostolum cogitasse aramaice et cogitationes tantum in graecum sermonem vertisse . . . Sermo eius est bona lingua graeca eius aevi et in hac fuit apostolus reapse artifex, qui manifestat se in scholis graecis eruditum esse . . . Lingua optimum est testimonium intellectualis culturae, et lingua apostoli testatur eius magnam hellenicam eruditionem.“ (p. 979—981).

Utrum vero haec opinio scriptoris de graeca eruditione Apostoli tam lato sensu sustineri possit, dubito. Recentiore tempore praesertim post publicationem operum Ad. Deissmann, imprimis „Licht vom Osten“ praevalere incipit opinio contraria, et quidem uti puto, iure merito. Sermo Apostoli, qualis in eius epistolis conspicitur, est lingua graeca vulgaris et communis commercii, non vero lingua litteraria, qualis tunc temporis in scholis graecis rhetoricis docebatur et qualem ex. gr. in operibus Iosephi Flavii reperimus. Anacoluthi, ellipses, frequentes interrogationes, modus argumentandi aliaeque characteristicae proprietates styli s. Pauli probare videntur apostolum non accepisse illam educationem graecam, qualis in mundo hellenistico usitata erat, sed educationem eius stricte iudaicam fuisse, licet utique illam linguam graecam didicerit, quae tunc temporis lingua internationalis omnium diversarum nationum orientis erat. —

In secunda parte huius tractatus (p. 812—1240) scriptor iterum diiudicat diversas illas opiniones de dependentia s. Pauli a coevis doctrinis stoicismi nec non a philosopho Seneca, tractat

de relatione inter doctrinam s. Pauli de sacramentis et mysteria hellenica, et ultimo de influxu iuridicarum formarum illius aevi in opiniones et conceptus doctrinales s. Pauli. Iterum scriptor iure merito concludit: „Externi influxus non erant essentia es et doctrina Pauli in omnibus remanet doctrina evangelii Christi. Utique christiana religio usa est praecedenti evolutione, sed non habet in ea suas radices, immo completam et radicalem mutationem in coaevo mundo effecit“ (p. 1240).

In ultima operis parte (p. 1241—1307) scriptor comprehendit eventum suarum disquisitionum et conclusiones suas proponit. Et conclusiones illae tales sunt, ut quilibet, qui divinitatem christianae religionis tenet, ex toto corde illis consentiat. Evangelium Pauli non constituit novum et ab evangelio Christi distinctum elementum in evolutione ecclesiae christianae, sed plene convenit cum doctrina aliorum apostolorum et cum tota primitiva doctrina christiana, etenim evangelium omnium apostolorum erat origine sua non humanum sed divinum. Et huic divinae origini omnes alii influxus et elementa subiciuntur. Reapse auctor principalis doctrinae evangelicae est ipse Deus, „qui suis electis concredidit pretiosos thesauros veritatis et per eos locutus est suum salutare verbum, in omnibus unum idemque nec umquam mutandum“. „Hic proprie nullus habetur petrinismus nec paulinismus, nam omnes apostoli sunt nuntii Christi, Christus autem Dei“. (p. 1305 ad 1306).

De meritis operis, quod Nicolaus Glubokovskij, christianae litteraturae donavit, iam supra diximus nec illa repetere oportet. Gratias illi agentes hoc unicum exoptamus, ut etiam docti catholici quam plurimum ex thesauris in opere N. Glubokovskii congestis et coacervatis ad profectum scientiae christianae hauriant!

Brunae.

Dr. Thomas Hudec.

Труды Киевской Духовной Академии. (Trudy Kievskoj Duhovnoj Akademii) Kiev 1908 (reliqua recensentur).

N. I. Petrov, Drevnjaja stěnopis' v Kievskoj Spasskoj na Berestovč cerkvi. (De Kioviensis ecclesiae ss. Salvatoris pictis parietibus) I 266—298.

N. T. Gumilevskij, Iz npravstvennyh vozrženij Šekspira. O dějstvii zla na dušu. (Quomodo animum malo affici Shakespeare existimaverit) I 92—103; III 61—68.

Th. I. Titov, Perepiska Moskovskago mitropolita Makarija Bulgakova. I 117—137. (De Macarii Bulgakov, metropolitae moscoviensis litterarum commercio).

M. F. Jastrebov, Iz lekcij po Dogmatičeskomu bogosloviju. (Capita quaedam theologiae dogmaticae tractantur) I 2—23; 147 ad 161; 362—377; III 1—16; 161—188; 294—311; 457—482.

Paucis adumbrantur ea, quae ad dogmata de sacramentis Eucharistiae et Paenitentiae explicanda pertinent. Praeterea exponitur de interitu mundi et de animis mortuorum corporibus suis induendis. Ubi

apparet scriptorem ignorare discrimen inter corpus caeleste, quod sensibus his attingi aut conformari non potest et corpus mortale seu empiricum (p. 299), neque eum quaestioni de huius caducae rerum conditionis causis explicandae dedisse operam; conici vero potest, eum ne in illud quidem inquisivisse, utrum hic rerum status et haec humanae mentis corporisque condicio ea sit existimanda, quae ab eo rerum ordine, qui esse debuit et restituetur, aliena sit necne. Cf. A. A. V. pag. 57—58. Animi videntur ei sibi ipsi (ut instrumenta virtutis divinae) corpus ex elementis dissipatis restituri esse (p. 300), idque eius magnitudinis, quod ut iuvenes habuissent seu ea aetate, qua Christus mortuus est (p. 306). Denique de iudicio ultimo, de apocatastasi (quae reicitur), de caelo agitur. Caeli nomine non locum significari sed statum, caelum in terra maxime („sredotočiem carstva slavy“ p. 481) futurum, in qua sola homo peccaverit, Verbum caro factum sit, tenet; sed quomodo terra sit regnum diaboli et mortis, quomodo in hac re a stellis differat perspexisse *J.* non videtur.

I. P. Četverikov, Metod filosofii Friza i ego novoj školy. I 224—236; 422—462; 553—565.

L. S. M., Pamjati Vysokopreosvjašč. Filareta, Mitropolita Kievskago. I 104—116 (In memoriam Philareti metropolitae kioviensis).

L. S. M., K biografii o. Arhimandrita Antonina Kapustina. I 237—265; 404—421.

P. P. Kudrjavcev, Ot Bekona do Maĥa. I 566—612; II 629 ad 686; III 88—160.

D. I. Bogdaševskij, Kritičeskie etjudy po Novomu Zavětu. (Quaedam ad N. T. pertinentia explicantur) I 477—511.

E. Kagarov, Ešhil, kak religioznyj myslitel'. (De Aeschylis sentiis ad religionem pertinentibus) II 1—52.

A. P. Rybolovskij, Varlaam Vanatovič, Arĥiepiskop Kievskij, Galickij i Malyja Rossii. II 93—128; 436—456; 551 ad 578; III 69—87; 207—272; 312—343.

VI. P. Rybinskij, Pamjati Vysokopr. Dimitrija (Sambikina), arĥiepiskopa Kazanskago i Svijažskago. II 170—178.

VI. P. Rybinskij, Biblejskaja vethozavětnaja kritika. (De critica V. T.) III 575—613.

Prot. *P. I. Orlovskij*, Skazanie o blažennom Rafailě, Mitropolitě Kievskom. (De Raphaele metrop. Kioviensi narratur) II 233—255; 457—487.

N. K. Makkavejskij, Problema vospitanija po Spenseru. (Quomodo Spencerus de liberis educandis iudicaverit) II 256—280.

V. I. Ekzempljarskij, Pamjati Nikolaja Nikolaeviča Nepljueva. (De Nicolao Nepljuev) II 281—319; 579—628.

I. P. Četverikov, Religioznyj modernizm na Zapadě i borba s nim rimskoj kurii. (De conatibus doctrinae christianae immutandae in Occidente factis et a curia romana impugnatis) II 320—351.

D. I. Bogdaševskij, Vtoroe sobornoe poslanie sv. Apostola Petra. (De II Petri) II 355—393.

D. I. Bogdaševskij, Poslanie sv. Apostola Iudy III 361-389. B. quaerit, utra epistula prius scripta sit, Petri II an Iudae. Reiectis aliis rationibus affert Iud. 17. 18, ubi 2 Pet 3, 3 commemoratur et errorum quos impugnat Iudas maiora incrementa ostendit (p. 374—376). Deinde varias lectiones perpendit. Tum argumentum exponit. Explicantur 2 Pet 2, 1 (p. 369—370: ἔσονται etc.), Iud. 5 (p. 373). 8 (κρωϊότητα: p. 381), 11 (σπιλάδες) etc.

E. P. Diakovskij. Iz istorii bogosluženiija „Čin Tritekti“ II 394—435.

P. G. Viktorovskij, Zapadno-russkija dvorjanskija familii, otpavšija ot pravoslavija v koncě XVI i v XVII vv. (De nobilibus familiis Russiae occidentalis, quae s. XVI exeunte vel saec. XVII ab orthodoxia defecerunt) III 17—60; 189—206; 344—360; 502—524.

D. I. Bogdaševskij, Sovremennye vragi kresta Hristova. (De aequalibus Christi crucis inimicis) III 273—285.

E. P. Diakovskij, Carskie časy Roždestva Hristova i Bogojavljenja. (De horis [canonicis] Nativitatis Iesu et Epiphaniae) III 483—501.

Th. I. Miščenko, Cerkovnoe ustrojstvo hristianskih obščin („parikij“) II-go i III-go věka (De forma paroeciarum saec. II. et III.) III 525—576.

M. — maxime Bolotovium secutus — exponit presbyteros olim fuisse consilium tantum episcoporum, quantae horum fuerint provinciae, quae emolumenta inde in munere pastorali gerendo nata sint. Deinde agens de potestate episcopi, discrimen inter catholicos, protestantes, orthodoxos hac re imprimis contineri dicit (p. 539: „V nastojaščee vremja edva li my ošibemsja, esli skažem, čto različie meždju pravoslaviem, katoličestvom i protestantstvom korenitsja glavnym obrazom v ponimanii suščestva ierarhičeskoj vlasti voobščee i episkopskoj v osobennosti. . . Pravoslavie idet srednim putem: Priznavaja svjaščennyja prava ierarhii, ono v to že vremja, kak lučšij princip upravlenija, vydvigaet načalo sobornosti.“) Negat gratiam operari mechanice: quare etiam hominem consecratum manere liberum et erroribus obnoxium. Etiam summos hierarchas, si suo iudicio utantur, suam voluntatem sequantur, falli posse. Gratia, officio hierarchico, non impediri eiusmodi errores in decretis, quae ab uno homine proveniant („nikakoj san . . . ne garantirujut bezuslovnoj istinnosti i nepogrěšimoj pravdivosti rěšenij, ishodjaščih ot odnogo lica“, p. 540). Quod catholici docent de mente papae gratia ita adiuta, ut cum ex cathedra loquatur, falli non possit, dogma de gratia pervertunt („kažetsja koščunstvennym iskaženiem dogmata o blagodati“, p. 541). Deinde *M.* agit de haeticis et protestantibus antiquis Corinthi et Antiochiae. Didascalia, libro apocrypho „eparchialem papismum“ defendi dicit, etsi ne ea quidem negetur iudicium ecclesiasticum ab episcopo cum presbyteris exercendum esse (II 47, II 28, 4; 34, 3; II 1) cum alias de presbyteris taceat (p. 564). Sed vera documenta aetatis apostolicae non unum sed multos ecclesiae particularis pastores commemorant. Episcopus eo tempore vocatos esse

presbyteros, nec veros episcopos fuisse praeter apostolos nisi paucos quosdam qui multis ecclesiis praefuerint, theologi catholici (ut Bruders) frustra statuunt; quomodo enim episcoporum auctoritatem circ. a. 90 in Oriente, a. 140 in Occidente adeo minutam esse statui potest, ut iam nou essent nisi paroeciarum particularium „antistites“. Rem tantopere mutatam esse nullos testes habemus, nulla indicia. Non coetus maiores in minores dividebantur, sed minores in maiores (primum metropoli, deinde patriarch.) paulatim coalescebant etc. (p. 549). — Etiam iudicio conciliorum episcopi subiciebantur, p. 554. — Praeterea agitur de rebus liturgicis (sacro faciendo, sacramentis administrandis), de diaconis (564) et diaconissis (567), de proventibus.

БОГОСЛОВСКІЙ ВѢСТНИКЪ (Bogoslovskij Věstnik) 1909.

P. Strabov, Vsemoguščij slučaj, ili tvorčestvo Božie? (Causa an creatio Dei?) I, 1—23. Strabov recentiorum de mundi vitaeque origine opiniones percurrens methodo negativa (adversariorum ineptiis ostensis) ad conclusionem pervenit, Deum mundi materialis vitaeque verum esse auctorem.

N. Kapterev, Ispravlenie cerkovno-bogoslužebnyh knig pri patriarhě Nikoně (De liturgicorum librorum correctione tempore patriarchae Niconis peracta) I, 24—44. Licet patr. Nicon se libros liturgicos ex antiquis graecis atque russicis manuscriptis corrigere, semper affirmaverit, assertio tamen haec veritati minime conformis est. Primam enim operis liturgici a. 1655 editionem e venetiana graeca editione curavit, nec editores manuscriptos codices consulabant, cum dubium obvenerat. Quodsi quaeritur, quasnam partes Nicon in libris liturgicis corrigendis habuerit, distinguendum est. Quod ritus attinet, Nicon ipse, patriarchis orientalibus consultis, russicos ritus liturgicos corrigebat; editiones vero librorum liturgicorum atque ipsam e graeca lingua translationem ipsi editores, cum Nicon linguae graecae ignarus esset, perficiebant.

N. Aksakov, Predanie Cerkvi i školy (De traditionibus Ecclesiae et scholae) I, 45—57; 175—195; 345—367; 574—595; II, 32—43; 341—369; III, 166—174; 389—417, Perlustratis antiquis liturgicis documentis Aksakov ostendit manus impositionem *χειροτονίας* prioribus ecclesiae saeculis in omnibus fere sacramentis adhibitam esse. Unde nullum discrimen inter populum et clerum exstitisse colligit (cf. 1 Petri II, 9. 10). Ex quo enim tempore Constantinus M. ecclesiae libertatem proclamaverat clerumque a variis civilibus oneribus liberaverat, clerus in separatum coetum paulatim coaluit, et sic discrimen inter populum et clerum, e causis solum materialibus, inductum est: Etenim clerus, ut privilegiis a potestate civili clericis concessis frueretur, a populo separabatur, et hac ratione discrimen quoque populum inter et clerum ortum est (cf. II, 550 seq.). — Libris liturgicis atque synodorum canonibus, A. contra membra commissionis, quae synodi praeparandae gratia coacta est, efficere studet, inferioris hierarchiae gradus, nempe lectoratum, cantoratum atque

subdiaconatum, vera sacramenta fuisse atque per cheirotoniam collatos esse.

- N. *Kapterev*, *Bor'ba protopopa Ioanna Neronova s patriarhom Nikonom.* (De certamine protopresbyteri Ioannis Neronov cum patr. Nicone) I, 196—233. Ioannes Neronov, rector ecclesiae collegiatae in urbe Moscovia (sobor Kazanskoj), eorum, qui Niconis ritus novatos oppugnabant, princeps et caput fuit. Neronov cum se sub speciali Dei influxu existere putaret, atque a Deo vocatum esse ad obsistendum Niconis reformationi, omnia adhibuit, ut Niconis opus destrueret. Quam ob rem a Nicone a. 1653 in exsilium mittitur a. 1656 sacerdotii dignitate privatur atque gradu movetur, quin a. 1655 synodaliter a patriarchis orientalibus cum Nicone excommunicatur. Attamen Neronov semper patriarchas orientales orthodoxos censebat, quin eorum in res ecclesiasticas Russiae ingerentiam atque competentiam admittebat. Cum Nicon suas reformationes introduceret, Neronov adversarius eius, ut pseudo-reformatoris, existit, minime vero hierarchiam qua talem oppugnabat. Cum autem an. 1657 Neronov ex imperatoris voluntate cum Nicone reconciliatus est, — Neronov reconciliavit se, verum non cum Nicone, sed cum ecclesia orthodoxa. In fine etiam omnia quae Nicon innovaverat admisit.
- S. *Znamenskij*, *Iz žizni slov* (Semasiologičeskija sud'by termina sacramentum). Ex vita verborum (Quid olim significatum sit voce sacramenti) I, 298—311, 540—573. *Z.* sacramentum etymologice instrumentum significare dicit, quo aliquid dis dedicabatur. Si vero significatio historica spectatur, iuramentum militare designat, quo civis romanus in militiam deligebatur atque eius fides, ut militum duci oboedientiam praestaret, devinciebatur. Per synecdochen vero ipsam militiam, omnia, quaecumque ad vitam militarem pertinebant, denotabat. Cum autem universa Romanorum vita forensis atque civilis militari forma contineretur, facile conceptus atque voces e vita militari ad civilem transferebantur. Quo factum est, ut plurima vocabula atque similitudines, a vita militari petita in latina lingua inveniuntur. Cum vero religio christiana a Romanis recepta esset, simul etiam vocabula, quibus Romani in vita cotidiana utebantur, ad significanda mysteria christiana adhibebantur. Qua via factum est, ut etiam sacramentum in lexicon christianum transiret; atque cum in civili vita consecrari aliquem ad vitam militarem significaret, etiam apud christianos eandem significationem retinuit. Praeprimis enim baptisma, quo homo in sinum ecclesiae recipitur, voce sacramenti significabatur. Ex quo *Z.* colligit vocem latinam sacramenti non idem significare, ac vocem graecam *μυστήριον*, quod latine arcana sacra interpretandum sit.
- N. *Kapterev*, *Protopop Avvakum, kak protivnik cerkovnoj reformy patriarha Nikona* (Protopapas Abbakum, adversarius ecclesiasticae reformationis per Niconem patr. peractae) I, 384 ad 408, 509—539; II, 1—31. Cum Neronov quam maxime Niconis reformationem oppugnabat, Abbakum protopop, anno 1651 Mosco-

viam venit. Sed ob animum a Niconis opere alienum, paulo post in exilium mittitur, ex quo a. 1664 ex imperatoris voluntate revertitur. Verum protopop cum externae pietatis studiosus esset, omnem etiam necessariam reformationem reiciebat, atque cum antiquos ritus dogmatum loco haberet, Niconianos haereticos ducebat, quin etiam imperatorem ad Antichristi castra pertinere putabat. Suos adversarios summo prosequatur odio, omnem scientiam ut diaboli semen respuebat, sanctitatem in externis exercitiis reponebat. Quin ut melius pugnare cum Nicone posset, miraculorum donum sibi concessum et a Deo ipso se missum esse affirmabat.

Th. M. Rossejkin, *Pervoe upravlenie Fotija, patriarha Konstantinopol'skago* (De prima Photii, patriarchae Constantinopolitani gubernatione) II, 194-228, 395-423; III 94-122; 448-479; 647—673. *R.* in describenda Photii vita, quam multis documentis illustrat, omnibus indolis eius vituperationibus colorem dare studet. Velut Photii in regio palatio commorationem nullo vel dubio modo ad Photii animum conformandum pertinuisse existimat. (p. 227; cf. Hergenröther, *Photius, Patriarch v. C. B. I*, 336—337). In referenda historia duarum partium inter se pugnantium, quarum duces Ignatius et Photius merito habentur, magis favet parti, quae etiam cum libertatis ecclesiasticae detrimento cum gubernio civili pacem concordiamque quaerebat, *οἰκονομίαν*, quam dicunt, adhibendam esse in vitae usu rata (p. 395—399). Cum vero s. Ignatii indolem atque ingenium tangit, ei optimus monachus, non optimus videtur fuisse patriarcha, cum ea quibus ad gubernandum patriarchatum administrandumque opus erant ei defuerint (p. 401—19). In ecclesia Constantinopolitana morem fuisse *R.* existimat ut patriarcha ob civiles perturbationes vel ex imperatorum voluntate cathedra pelli posset, eique qui succederet, qui canonice legitimus agnosceretur, ad patriarchalem dignitatem eligeretur (p. 95). Ut scriptor opinatur, Ignatii resignatio seria fuit et qui ei erant addicti ideo solum postea Photium deseruerunt, quia Photius promissionem de Ignatio honorando non servavit (p. 104 seq.). Ob quod schisma Bardas (non Photius) Ignatianos persequebatur. — Nicolaum I., qui licet sanctus papatum extollere summis viribus conabatur, occasionem nactum in epistula ad Photium missa Photii electionem propterea irritam habuisse putat, quod a laicis sine Romani episcopi consensu peracta est. In epistula Nicolai I. subiungitur condicio, qua Romanus Pontifex hanc electionem approbare possit: si res ecclesiasticas bene ac rite ordinaverit (p. 467). Quin etiam scriptor synodum a. 861 habitam concedit, etsi ipsa aliud senserit, rationem gubernii civilis, quod nempe Ignatius a sola potestate civili electus esset, ratam habuisse atque ipsum a cathedra removisse (p. 662 sq.). Concedit quoque litteras R. Pontificis in synodo circumcisas atque interpolatas esse (p. 664) atque: „приходится признать, что правительство оказывало замѣтное давленіе на ходъ соборныхъ за-сѣданій“ gubernium magnam exercuit vim in synodales sessiones

- (p. 673). Verum res ecclesiasticas ipsumque Photium ita depingit, ut Photius eiusque electio canonibus satisfaciens esse videatur.
- A. *Golubcov*, O proisloždenii, simvoličeskom značenii i ustrojstvě arhierijskago posolja (De origine, symbolica significatione, forma episcopalis baculi) II, 260—279. Baculum episcopale originem ducit a doctrina christiana, qua episcopi animarum pastores sunt summique pastoris Iesu Christi vicarii. Eorum opinioni qui insignia regia in episcopalis baculi formationem influxum exercuisse existimant, cum episcoporum potestas pastoralis tum ipsius baculi pastoralis nomen obstant. Prima vestigia atque incunabula iam saec. IV. reperiuntur, tempore vero procedente baculo in summa eius fronte crucis signum imponi coeptum. Cum vero in Oriente episcopi e potestate civili magis quam antea dependentes evaserunt ipsi, imprimisque eorum caput patriarcha Constantinopolitanus, pompam regiam magis in dies imitabantur. Illo episcoporum studio explicandus quoque est ulterior baculi episcopalis in Oriente usus atque evolutio. A saeculo XVII^o primum necessitatis causa, deinde baculi magis ornandi gratia (praesertim in Russia) baculo sudarium (orarium, velum, pannisellus) adiungebatur. Necessitatem sudarii russica denominatio „судоръ“ (complicatio, convolutio scl. sudarii) subintellegit. Baculi pastoralis origine considerata symbolica quoque eius significatio facile cognosci potest. Baculum nempe pastorale est signum externum potestatis atque legitimae iurisdictionis in subditos (p. 261).
- N. *Kapterev*, Ostavlenie Nikonom patriaršej katedry (De cathedrae patriarchalis per Niconem renuntiatione) II, 353—369, Nicon, patriarcha Mosquensis cum imperator eum cognomine magni domini (velikij gosudar') appellari vetuisset, cumque ipsum ad prandium 6/6 1658, quod in honorem principis Grusinorum celebrabatur, non invitavisset, cathedra patriarchali se abdicavit, atque in monasterium quod ipse fundaverat sese contulit. Niconis intentione commemoratum factum indolem „demonstrationis“ habuit. Tempore tamen procedente, cum imperator eius reditum minime curaret cumque a Niconis adversariis varia crimina ei obicerentur, Nicon varias causas abdicationis suae variis temporibus publice afferebat. Cum vero et episcopi eius reditum minime optarent, Nicon a. 1665 serio munere episcopali se abdicare voluit. Duplicem tamen condicionem suae resignationis proponebat ut in rebus ecclesiasticis a futuro patriarcha omnino liber esset utque sibi tria opulenta monasteria ad proprium usum concederentur.
- N. *Kapterev*, Kritika cerkovnoj reformy Nikona v literaturnyh proizvedenijah jeja protivnikov, III, 1—23: 177 ad 212; Otricatel'noe otnošenie k reformam Nikona v sredě pravoslavnyh, III, 363—388; Car Aleksěj Miħajlovič kak ustroitel' cerkovnyh děl poslě udalenija Nikona, III, 516—577. Niconis tempore tum episcoporum, tum ceteri cleri et populi iudicio scriptis etiam expresso Russorum pietas aliarum gentium pietate profundior et perfectior erat (p. 3). Etiam libri liturgici ipsorum omni ex parte perfecti sunt nullaque correcti-

one indigent (p. 9 sqq.). Graecorum vero recentium pietas eorundem opinione suspecta est, libri vero liturgici a haereticis corrupti sunt (p. 9). Quam ob rem Nikon ut reformator haereticus fuit (p. 14) et antichristi servus, qui in sua reformatione sola ambitione, levitate, antiquitatis russicae contemptu ducebatur (p. 14) eiusque opus magnum religioni orthodoxae detrimentum attulit (p. 16). Libros liturgicos non tam corrigebat, quam veteres libros interpolabat. Quod enim dicebat, se libros liturgicos ad exemplar antiquorum librorum graecorum et russicorum correxisse falsum est, cum ad hoc libros Graecorum recentes vel polonicos vel russicos interpolatos adhibuerit (p. 181, 202, 200). Episcopi, licet ad synodum coacti Nikonis reformationem approbaverint timore ducti, ne ab imperatore e sedibus pellerentur, tamen decreta synodalia, ut servarentur non urgebant. Quare effectum est, ut quivis sacerdos, prout ei placebat, libros, ritus ac caeremonias adhiberet magnaque confusio quoad ritum oreretur (p. 363, seqq.). Quam rem auxit ac firmavit Graecorum Moscoviam ad eleemosynam venientium opinio, Nikonem tanquam ordinis ac rerum ecclesiasticarum perturbatorem reputandum esse (p. 380 sqq.). Post Nikonis discessum, cum totum eius opus labefactari videretur, imp. Alexius M. ecclesiae russicae regimen re vera suscepit Nikonisque opus firmavit (p. 516 sqq.). Imperator enim, ut russicam ecclesiam cum graeca in unionem et pacem redigeret, Nikonem a. 1652 elegerat eiusque reformationem libenter approbarat (p. 517). Post eius discessum tales solum viros, qui huic reformationi faverent, dioecesibus episcopos praeficiebat (p. 528 sq.). Ut autem ecclesiasticam Nikonis reformationem firmaret, synodum episcoporum a. 1666, prius de eorum sententia per litteras certior factus, coëgit. In qua synodo episcopi, alii propter promissionem imperatori datam, alii, ne suam sententiam in priore synodo prolatam retractarent, Nikonis opus approbarunt, qua ratione eius reformationem confirmarunt (p. 529, 536, 547, 560). Kapterevi iudicio synodi laudatae pravitas praeter alia in eo etiam consistit, quod licet ritus in synodo a. 1551 ut haereticos damnatos approbarit, ne verbum quidem dixit, quid de sententia synodi a. 1551 habitae tenendum esset (p. 562), nec ullo modo discrimen inter dogmata ac ritus indicavit (p. 563).

A. Orlov, K charakteristikë hristologii Origena (De indole christologiae Origenis (II, 370—394). Cum Irenaeus et Tertullianus solum existentiam divinitatis et humanitatis in Christo defenderent, Origenes primus clare duplicis naturae, divinae et humanae modum unionis tractare coepit. Orlov, qui Harnack'ium sequitur Origenem suas de unione opiniones e Neoplatonismi et Gnosticismi doctrina hausisse putat. Etenim Christum docet esse „Logon-Didascalum, qui in terram venit, ut $\gamma\omega\sigma\omega$ veritatis nobis afferret atque ut exemplum pugnae spiritus cum corpore nobis exhiberet. „Quae Origenis christologia, reiectis erroribus, communis Patrum orientalium doctrina Orlovio videtur esse.

A. Orlov, K charakteristikë hristologii Harija Piktavijskago

(Quaedam de christologia Hilarii Pictaviensis (III, 123—145; 229 ad 285.

M. Tarčec, *Cerkovnost' kak princip npravstvennago bogoslovija* (Ecclesia ut fundamentum theologiae moralis) III, 24—93. Exposita theologiae moralis in Russia misera condicione de eius extensione et obiecto disputat cum ipsius opinione moralitatis christianae finis sit ut ducat hominem ad pietatem supernaturalem. Quae cum in sola ecclesia a Christo instituta obtineri possit, ecclesia ipsa fundamentum theologiae moralis habenda est, ita tamen ut iuridica lex ecclesiae catholicae non inducatur ut essentielle elementum perfectionis christianae. Etenim potius consideranda sunt dogmata christiana sub respectu morali cum applicatione subiectiva ad hominem. Quare quaestiones de lege naturali, de conscientia naturali, de naturali libertate non ad theologiam moralem, sed ad ethicam spectant (p. 55); quin et virtutes ordinem naturalem supponunt (p. 59 sqq.). Secundum scriptoris opinionem non exstat matrimonium christianum, nec res publica christiana, ut volunt catholici, sed ecclesia ea solum sub quodam respectu sanctificat (p. 76 sqq.)

M. Halaščyńskijj.

Croatica.

Janko Barlè: „*Povijest turopoljskih župa.*“ (Historia parochiarum in campo nobilium Turopoliensium sitarum.) Zagrabiae 1911. Pag. 298.

Universitas nobilium in campo Turopolia prope Zagrabiam in Croatia magnam habuit libertatem magnaue privilegia inde a rege Bela III. saeculo XIII. Quattuor parochias universitas haec complectitur: Dubranci, Odra, Stare Čiče et Velika Gorica. In libro praesenti fata parochiarum quavis ex parte describuntur. *B.*, praebendarius metropolitanae Ecclesiae Zagrabiensis, vir iis, quae de archidioecesi Zagrabiensi scripsit optime meritis, libri materiam sic composuit, ut uniuscuiusque parochiae primum historiam ecclesiae parochialis et capellarum per parochias sparsarum enarraret, deinde parochos, cooperatores aliosque sacerdotes in singulis parochiis ortos enumeraret ac vitam eorum describeret post populum eiusque indolem prout progrediente tempore se exhibuit, consideraret, denique adnotationes varias ad parochiarum vicissitudines pertinentes adiungeret. Ex libro apparet, omnes fere parochos et cooperatores in campo Turopoliensi c. a. 1574 glagolitas fuisse i. e. sacra lingua palaeoslavica ritu latino celebrasse: saeculo autem XVII. glagolitas paulatim in hisce regionibus evanuisse. Libro tria peculiaria capita de ratione, quae inter parochias Turopolienses et Iesuitas Zagrabiensis, Paulinos Remetenses et Clarissas Zagrabienses intercessit, adiecta sunt. Argumentum libri scriptor maxime ex nuntiis de visitationibus ca-

nonicis in archivo aepplis Cancellariae Zagradiensis depositis atque ex libris parochialibus et archivo universitatis nobilium Turo-poliensium deprompsit.

Dr. K. Dočkal.

Dane Reba. **Izbornik za crkveno-pravne odnose različitih katoličkih obreda s obzirom na istočnu crkvu u Hrvatskoj. Enchiridion iuris quod ab ecclesia inter varios ritus catholicos statuitur considerata ecclesiae orientalis catholicae in Croatia condicione.** (Gust. Neuberg) 1911. 4^o str. XXII+187.

Diligentissimus scriptor, canonicus ecclesiarcha ad graeco-orientalem catholicam ecclesiam cathedralem Crisiensem, varias constitutiones, multa decreta, declarationes, instructiones, quae relationem mutuum ritus orientalis et occidentalis in regno Croatiae illustrant vel aliquo modo illustrare possunt, undique congegessit et in collectionem satis amplam contulit. Toti operi aliqua fragmenta selecta eruditionis gratia praemisit. Primo loco positum est quoddam fragmentum ex manuscriptis episcopi Crisiensis Constantini Stanić eiusque institutum est ante oculos ponere discrimen inter catholicos orientalis et occidentalis ritus. Quo in fragmento inter alia etiam haec inveniuntur: „Igitur intra catholicos latinos et catholicos graecos, quod ad religionis substantiam attinet, nullum est discrimen. Eadem sunt utrisque fidei symbola, eadem dogmata, eadem in moribus educatio. Dantur quidem inter utroque variae et differentes opiniones, sed hae tam parum fidem laedunt, ut et apud romano-catholicos doctissimos habeant fautores. Tales sunt quaestiones de Eucharistiae forma, de matrimonii per adulterium dissolubilitate, de modo et forma purgatorii, de extensione iurisdictionis pontificiae quoad disciplinam ecclesiasticam etc. In his quidem, quae dogmatis sunt, graeco-catholici cum universali ecclesia ultro confitentur, quae variae ad scholarum opiniones spectant, tam graeci-catholici quam romani theologi salva fidei unitate in suo sensu abundant (III)“. Quae dicta nullo modo ostendunt discrimen quod nunc est inter utriusque ritus catholicos, quia quae sit eucharistiae forma, sitne matrimonium adulterio commisso dissolubile, quam late pateat iurdictio Romani pontificis in disciplina ecclesiastica administranda ambiguiam dici non potest, postquam, si rei caput consideratur non autem minoris momenti quaestiunculae ab ecclesia constitutum est, quid utriusque ritus catholici debeant tenere, si notam haereseos vitare volunt.

Secundo loco reperitur fragmentum excerptum e catechismo Bastašić ad ostendendam distinctionem fidei et ritus. Quod fragmentum non videtur momentum afferre ad rem explicandam, quam scriptor sibi proposuit. In tertio fragmento (X—XV) agitur de necessitate ritum graecum conservandi. Ex quonam fonte haustum sit hoc fragmentum, nusquam indicatur. Inter alia accusantur in eo lesuitae, quod in Polonia orientalem ritum turpissime corruperint (XII). Denique ultimo loco (XV—XVI) invenitur locus ex-

cerptus ex relatione officii dioecesanii Crisiensis altissimo throno de dato 10. II, 1811 submissa, in quo explicatur, quis sit genius populi graeci. Neque hoc documentum ad scriptoris propositum aptum videtur esse; illud potissimum quod dictum est „abstractis paucissimis dogmatibus“, quibus Graecos ab universali ecclesia differre dicitur (XVI), falsa niti opinione apparet.

Tota sylloge dividitur in partes tres. In prima parte exponuntur varia decreta, quae iuridicam rituum relationem illustrant secundum varias regiones: in dioecesi Crisiensi olim Marčensi seu Svidnicensi, in Galicia apud Ruthenos, in Transilvania apud Romanos, in septentrionali Hungaria, in regione patriarchatum orientalium, in Italia et insulis adiacentibus, postremo in America septentrionali. Itaque videmus doctissimum scriptorem, non se continuisse intra angustos Croatiae fines quod promiserat, sed omnium fere gentium et terrarum graeco-catholicorum rationem habuisse, quo facilius res comprehendere et intellegi posset. In secunda parte (97 ad 164) agitur de utriusque ritus permixtione, de iure matrimoniali in dioecesi Crisiensi, de decreto „Ne temere“ quomodo ad catholicos orientales et matrimonia diversi ritus pertineat, de auctoritate corporis iuris canonici, concilii Tridentini, constitutionum romanorum pontificum in rebus graeco-catholicorum, de percipiendis sacramentis iis locis, ubi sacerdos proprii ritus deest, de quibusdam Graecorum ritibus in latinas ecclesias introductis, de ritibus, cultibus, disciplina, aliisque, quae ecclesia graeco-catholica ab ecclesia occidentali recepit, de rationibus inter diversos ritus orientales, de poenis in eos, qui ius inter utrumque ritum conditum contemnunt. In parte tertia (167—180) scriptor aliquas epistulas et declarationes apostolicae sedis affert de servandis ritibus orientalibus eorumque sanctitate. Tanquam appendicula totius collectionis selecta sunt in fine quaedam ex instructione ordinariatus Banjalucensis dd. 4 martii 1901 nr. 151., ubi exponuntur rationes, quae inter utrumque ritum in Bosnia et Hercegovina intercedunt.

Si quid in hac re est mei iudicii, missis ambagibus negare debeo scriptorem propositum suum assecutum esse. Etsi enim optime meruit, quod in hac re edenda tanta diligentia officium suum praestitit quippe qui in nostris finibus facile princeps sit in his studiis colendis, quae maximi momenti et gravitatis sunt, tamen multa reprehendenda in hoc libro videntur esse. Primum dolendum est, quod res legenti non satis clare dispositae proponuntur. Sine ullo prooemio scriptoris, sine ullo indice sive capitum sive rerum in libro contentarum, sine ullo indice reali, sine ullis adnotationibus inserta sunt varia et diversa genera decretorum et constitutionum et declarationum in lingua latina, croatica et germanica. Ad quae addita sunt multa fragmenta ex monumentis historicis, ex variis decretis, ex commentariis publicis, in quibus de rationibus rituum in variis regionibus agitur. Vero ordine non observato ea quae collecta sunt perlustrare difficile est. Sane perpauci sunt parochi, qui tantam diligentiam adhi-

beant et tanto otio fruantur, ut occurrentibus quaestionibus plurima illa et inter se opposita decreta fragmentaque decretorum legere velint et quid faciendum sit invenire possint. Atqui imprimis eo consilio liber scriptus est, ut ducis et magistri loco consuli possit. Huic rei igitur deesse videtur. Collecta tamen litterarum monumenta, etsi iam magna ex parte edita erant, aliquid momenti afferunt ad cognoscendam a viris doctis quaestionem eiusque historiam. Liceat autem nobis sperare, scriptorem ipsum librum esse compositurum, quo via ac ratione iura exponantur, quae inter utrumque ritum nunc valeant.

Dr. Šimrak.

Bogoslovska Smotra. 1910. Commentarii trimestres adnexi folio „Katolički list“, conspectum theologiae catholicae Croaticae continentes. Quorum Dr. Ioseph Pazman et Dr. Edgar Leopold curam gerunt. Zagrabiae 1910. Fasc. I—IV. Pretium una cum folio „Katolički list“ 42 cor., sine hoc folio 5 cor.

Dr. *Josip Marić*, Modernistička Kristologija. (Doctrina „modernistarum“ de Christo). I. 1—41. Contra doctrinam catholicam de Christo duplex genus adversariorum extat: alii e numero Protestantium (Sabatier, Reville, Harnack) alii ex numero catholicorum (Loisy). Horum doctrinam de Christo Messia, quam modernisticam et eschatologicam appellat, M. ex operibus Loisy desumit et exponit.

O. *Urban Tališa*, Objektivne pogrješke u Bibliji i njena nepogrješivost (De veris S. Scripturarum erroribus earumque infallibilitate). I. 34—41. Quaestio est de verbis S. Pauli in I. Cor. 1, 14: „Neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Caium“ et ib. 16: „Baptizavi autem et Stephanæ domum“. Ad „contradictionem“ hanc cum infallibilitate S. Scripturae componendam Dr. Schulz in *Biblische Zeitschrift* discrimen inter errorem subiectivum et obiectivum excogitat, hunc in s. libris admittit, illum reicit. T. periculum doctrinae Schulzianæ rectae de inspiratione doctrinae imminens detegit, verba vero s. Pauli prouti et alia minus clara quintuplici modo loquendi „more humano“ (accommodatio, approximativo, dubitativo, poetico, „scientifico“) interpretatur et cum inspirationis notione componit.

Dr. *Josip Pazman*, Compositio Apostolica. I. 42—60. Compositio Apostolica est contractus, quo debitum auctoritate Summi Pontificis remittitur. De tali compositione P. disserit, et quidem, in quali casu adhibeatur, quis debitum remittere possit, et quonam modo. Expositis hisce generalibus rebus P. iam ad particularia transit, ad singulas compositiones de bonis Ecclesiae catholicae raptis tempore procedente factas. De illa compositione fusius exponit, quae novissimis temporibus in Italia et in Gallia diremptis bonis ecclesiasticis facta est.

O. *Petar Grabić*, Isusovo uskrsnuće (De resurrectione Christi). II 113 ad 140; III 225-254. Resurrectio Christi veritas est principalis religionis, catholicae, ab hostibus semper impugnata. G. varias opiniones

hostium fictas de resurrectione Christi considerat trutinamque iusta examinat. Opiniones veteres, quas Paulus, Reimarus, Strauss, Renan, Pfeiderer excogitaverunt, breviter, opiniones vero novas a Bergson Le Roy, Loisy. Harnack propositas copiose tractat. Maximam curam doctrinae „modernisticae“ Le Royanae tribuit, eam illustrat modoque pacato sine ira et studio redarguit.

Dr. *Edgar J. Leopold*, „Geneza (pogl. I—III) i biblijska komisija“ II. 140—154. *L.* propositiones Commissionis biblicae de caractere historico trium priorum capitum Geneseos confirmatas a Summo Pontifice 30. Iunii 1909 interpretatur.

O. *Urban Talija*, Najmodernija filozofija i etika, (De recentissimorum nostri temporis philosophorum ethica) II. 155—168; III. 255—268. Nomine nostri temporis philosophorum *T.* duplicis generis philosophos intellegit; eos qui eudaemonismo sociali (Paulsen) et qui progressismo sociali (Wundt) nomen dant. Utrique hominibus ethicam praescribunt, eamque fundamento firmo superstruere conantur. At — fundamentum hoc debile esse inmo nullum, *T.* ostendit. In pulcherrima eius commentatione scriptore docto digna unum illud ex parte historiae obicimus: exemplum Thomae de Torquemada tanquam „bestiae atrocissimae in cute humana“, qui Gallo Robbespiero nullo modo impar fuerit (II. 160), sensum catholicum laedere veritatisque non respondere.

Fra *Petar Vlašić*, „Sin Božji“ i „Sin čovječji“ (Quomodo intellegenda sint vocabula: „Filius Dei“ et „Filius hominis“) Commentatio exegetica IV. 321—338. Tribus partibus absolvitur. *V.* primum enarrat sententias veterum. exegetarum catholicorum de his Christi Domini denominationibus (s. Ioannis Chrysostomi, s. Hilarii, s. Athanasii, Maldonati, Cornelii a Lapide). Deinde sententias Harnackii, Delitschii, Bousseti ponit. Tum ipse quaestionem de „Filio Dei“ et Filio hominis“ solvit. „Filius Dei“ compluribus locis S. Scripturae verum et naturalem filium Dei significat, licet aliqui loci etiam improprie intellegi possint. „Filius hominis“ apud Danielem 7, 13 Messiam verum significat. Commentatio valde clare et diligenter conscripta est.

Dr. *Andrija Rački*, „Crkvene reforme francuske vlade u senjsko-modruškoj biskupiji (1809—1813). (Emendationes rei ecclesiasticae a regimine Gallico in dioecesi Segniensi et Modrusiensi ab a. 1809 usque ad a. 1813 susceptae). IV. 339—354. In pace Schoenbrunniana a. 1809 tota regio Croatica a sinistra parte fluvii Savi usque ad mare Adriaticum imperio Gallico subiecta est et cum nonnullis aliis provinciis novum „regnum Illyricum“ constituebat. Novo regno per quattuor annos tanquam vicarius imperatoris Napoleonis praeerat Augustinus Marmont, vir alioquin assiduus et iustus, qui multas res non solum civiles sed etiam ecclesiasticas provexit, saepe tamen ius canonicum violavit. Quas novas res bonas et malas *R.* enumerat earumque indolem lucide describit.

Dr. *Janko Šimrak*, Brak podjakona poslije redjenja prema

prava Istočne crkve. (De matrimonio subdiaconorum post sacrum ordinem inito secundum ius ecclesiae orientalis). IV. 369 ad 380. Ex libris canonicis ecclesiae orientalis Š. accurate probat, subdiaconatum etiam in ecclesia orientali impedimentum dirimens matrimonii quovis tempore fuisse.

Dr. *Juraj Cenkić*, *Zakon o rastavi crkve i države u Francuskoj i kanonsko pravo.* (De lege separationis ecclesiae a statu in Gallia eiusque relatione ad ius canonicum). I—IV. In longiore commentatione C. rationes affert, ob quas S. Sedes episcopique Gallici non solum legem de die 9. XII. 1905 sed etiam eius tria complementa (de die 2. I. et 28. III. 1907 et 13. IV. 1908) a limine reiecerint. Quae rationes quattuor sunt: 1. lex separationis concordiae utriusque potestatis a Deo volitae adversatur utrique nocet; 2. eadem lex regimini civili plenam potestatem in omnibus rebus intra limites territorii adiudicat; 3. ecclesiae novam constitutionem contra ius et fas praescribit; 4. denique eodem modo ecclesiam iure acquirendi bona temporalia spoliatur. Multae res communis utilitatis hic continentur. (Nondum ad finem res perducta est).

Bogoslovska Smotra. 1911. Fasc. I—IV.

Dr. *Rudolf Vimer*, *Istočni običaji i sveto Pismo* (De moribus orientalibus et s. Scriptura). Magna dexteritate modoque vere suavissimo R., professor studii biblici N. T. in theol. facultate Zagradiensi, mores orientales, caelum terrae sanctae (I. 1—10), deinde vitam Palaestinensium (II, 127—136) sibi optime notam, eo consilio depingit ut ostendat, hodiernam indolem terrae sanctae eiusque incolarum ad intellegendam et confirmandam s. Scripturam plurimum conferre. Quo in opere optimum successum habuit.

O. Hummelauer i O. Talija o nepogrješivosti biblije (Quid P. Hummelauer et P. Talija de infallibilitate s. Scripturae sentiant). I, 11—31. Defensio lectu digna libri a. 1908 ab Urbano Talija conscripto sub titulo „Errores seientifici et historici in libris inspiratis nec non citationes tacitae“ (Zagreb). Sententia Urbani Talija de quintuplici modo loquendi „more humano“ (cf. supra) defenditur, eiusque discrimen a sententia Hummelaueri inculcatur.

Dr. *Janko Šimrak*, *Sv. Ignacije Antiohijski i primat rimske Stolice* (Quomodo S. Ignatius Antiochenus primatum sedis Romanae probet). I, 32—42. Probata authentia et integritate epistularum s. Ignatii Š. argumenta pro primatu ex Ep. ad Rom. depromit, praesertim ex verbis *προκαθήμενη ἐν τόπῳ χωρίῳ Ῥωμαίων* et *προκαθήμενη τῆς ἀγάπης*. Utitur novissimis pervestigationibus patrologicis.

Dr. *Josip Marić*, *Modernistička Kristologija.* (Doctrina „modernistarum“ de Christo) I, 43—62. Res coepta anno priore porro tractatur. M. imprimis imaginem Iesu Christi historici ex evangeliiis, quae synoptica nuncupantur, breviter delineat eumque Deum verum fuisse probat, tum vero doctrinam Loisy falso dicentis, Christum

se nunquam verum Deum manifestasse nec deitatis sibi unquam conscium fuisse. argumentis solidis reicit.

- Dr. *Fran Barac*: Je li Isus Krist živio? (De historica Christi veritate) I, 63—71. Nova adversariorum scripta hac de re recensentur vanaque commenta Arthuri Drews de Christo „mythico“ diluuntur.
- Dr. *Josip Pazman*, Roma e l'Oriente. I, 71—76. P. errores dogmaticos et historicos commentationis „Pensées sur la question de l'union des Eglises“ in commentariis, quos supra diximus, a Maximiliano principe Saxonico conscriptae illustrat refutatque.
- Dr. *Svetozar Ritig*, Martyrologij srijemsko-pannonске metropolije (De martyrologio Archidioecesis Syrmienensis et Pannoniensis) II, 113—126, III, 248—268, IV, 353—371. Scriptor libri „Povijest i pravo slovenštine“ (Zagrabiae 1911) novo operi manum imposuit: stabiliendo corrigendoque martyrologio veteris et venerabilis ecclesiae Syrmienensis. Non est dubium, quin hoc opus difficillimum sit in tanta silva fontium mirum in modum inter se discrepantium, sed etiam optimum meritum ob notitiam ecclesiae domesticae provectam atque ob correctionem librorum liturgicorum intentam. In tuto positis fontibus, i. e. martyrologiis, catalogis, calendariis et actis martyrum tum occidentalis tum orientalis ecclesiae stabilitaque eorum auctoritate R. ad catalogum martyrum Syrmienensium ordine chronologico stabiliendum transit. Hoc anno usque ad martyres mensis aprilis pervenit. Summa criticae inquisitionis est, quod alios martyres e martyrologio Syrmienensi nunc vulgato eicit, alios ei inserit, alios eiusdem nominis ad unum hominem referri probat. Magno ingenii acumine disserit de s. Anastasia (6. et 8. Ian. et 25. Dec.), s. Synerote eiusque comitatu (23. Febr.), de s. Hermogene et Fortunato (26. Aug.) Opus vere magni pretii.
- O. *Petar Grabić*, Važno poglavlje iz religioznoga života (De quodam vitae religiosae gravi capite), II, 137—158. Inscriptio nimis vaga! G. loquitur fuse et minus stricte de evolutione doctrinae catholicae paulatim facta secundum commenta professoris Loisy.
- Dr. *Rudolf Vimer*, Malta ili Mljet? (Melite an Meleda?) III, 217 ad 235 et IV, 313—314. Quaestio est, quid nomine insulae Melitae (Act Ap. 28, 1), in qua s. Paulus post naufragium salvus factus est, intellegatur. In suo opere „Vita s. Pauli“ (Život sv. Pavla, Zagreb 1907) R. affirmavit, insulam Melitam s. Pauli non esse intellegendam insulam „Meleda“ (Mljet) in mari Adriatico sed insulam „Melite“ (Malta) in mari Ionio. Contra hanc opinionem editus est libellus „Melita del naufragio di S. Paolo è l'isola Meleda in Dalmazia. Spalato 1910“, ubi contrarium probatur. In hac commentatione R. argumenta adversarii ex ordine acriter impugnat et plane dissipat, suam vero propositionem maxima ingenii acie et splendide defendit.
- Fra *Petar Vlašić*, Kula babilonska i pometnja jezika (De turri Babylonica et linguarum confusione) III, 236—247 et IV, 335 ad 352, Quaestiones propositas V. ex verbis hebraicis solvere et declarare conatur. Tamquam verisimillimam sententiam tenet, turrin

Babylone re vera constructam esse, et quidem ut signum populo Semitico, ne per terras dissiparetur. Admittit veram confusionem et quidem unius linguae (alias linguas iam mutatas et evolutas ponit). Argumenta multa a V. adducta vi carent.

Dr. *Josip Marušić*, *Ženidbe medju naravnim srodnicima* (De matrimonio inter cognatos) IV, 372—384. Tria considerantur 1. quid leges variarum nationum et religionum tempore procedente de impedimento matrimonii, quod cognatio naturalis vocatur, statuerint; 2. cur ecclesia catholica hoc impedimentum statuerit; 3. quomodo dispensatio impetranda sit et in quibus casibus.

Dr. *Jurai Cenkić*, *Zakon o rastavi crkve i države u Francuskoj i kanonsko pravo* (De lege separationis ecclesiae a statu in Gallia eiusque relatione ad ius canonicum), III, 269—280. Res anno proximo coepta porro tractatur. Ecclesiae vindicatur ius acquiriti et possidendi bona temporalia. Tractatus totus scriptorem in iure canonico valde versatum esse ostendit.

Dr. *Kamilo Dočkal*.

The Librarian of

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS



QUORUM EDENDORUM CURAM GERIT
AD. ŠPALDÁK.



ANNUS VIII.
1912.

LES »ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS«
PARAISSENT QUATRE FOIS PAR AN.
〈À PRAGUE II-505〉



PRAGAE BOHEMORUM.

Edi permisit RR. aep. Ordinariatus Pragensis.

Index.

Pars I.

- A. Špaldák*, Qua ratione probari tentatum sit „Filioque“ potius dicendum esse quam „per Filium“ p. 1—18
- A. Palmieri*, De Orientalium in schismate defendendo peccatis p. 19—40
- Georgii Coressii* De processione Spiritus Sancti Dialogus in latinum a Georgio Križanič conversus editur et prooemio et notis instruitur p. 40—50
- A. Palmieri*, De scriptoribus russis theologiae moralis qui theologiae moralis lutheranae auctoritatem secuti sunt . . . p. 157—166

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium:

Quae cum ita sint, dogma ss. Trinitatis ad universam veritatem cognoscendam non solum ad cognoscendum Deum pertinere apparet. Ad diversitatem finitam statuendam hoc dogmate movemur et ducimur. Qua posita menti via indicatur, quae ad veram Dei cognitionem in dogmate ss. Trinitatis ducit. Ad quam cognitionem consequendam iam non solum moveri et duci nos necesse est, sed ad id simpliciter credendo sumendum est quod in dogmate ss. Trinitatis praebetur, cum mens finita illa inter se opposita superare omnino non possit.

Dogma ss. Trinitatis non est ipsum vera Dei cognitio, sed est formula, quae ad Dei veram cognitionem ducere potest. Eo notiones nostrae corriguntur, cum mundi cognitionem a Deo repetamus et mundum sensibilem ficticiumque superemus; eo mens nostra e finibus rerum finitarum in infiniti regionem egredi atque contrarium eius facere cogitur quod Deus creando fecit¹³⁾. Eo mens nostra regitur ad naturae et spiritus differentiam vere cognoscendam, quod recte fieri mens ipsa cognoscit, et quod necessarium esse cognoscit propter visorum in mente nostra imperium seu propter cogitationis anomaliam. Eo denique menti nostrae auctoritas praebetur, quam mens ipsa veram esse cognoscit et quam

¹³⁾ „Das Unendliche können wir nur dadurch denken, dass wir die Form der Endlichkeit von unserm Denken abstreifen, dass wir die Gegensätze, in die im endlichen Denken und in der Wirklichkeit alles zerfällt, überwinden, dass wir mit andern Worten das Umgekehrte von dem thun, was Gott that als er die Welt schuf. Wie er von sich aus die endliche Realität mit ihren auseinanderliegenden Gegensätzen setzte, so müssen wir von uns aus die geschaffene Realität der Endlichkeit und Gegensätzlichkeit entkleiden, um das Unendliche zu erfassen. Es ist das Gesetz der Erkenntnis Gottes, dem wir hiermit einen Ausdruck geben, ein Gesetz, das für uns darum eine ganz allgemeine Bedeutung hat, weil wir eben nichts Endliches richtig erkennen können, wenn wir es nicht durch den Gedanken Gottes ergänzen. Wir bezeichnen es als das Gesetz der Umkehr [cf. JUSTUS, p. 155], weil es uns das Umgekehrte von dem zu thun befiehlt, was Gott bei der Schöpfung that. Wie das Gesetz der Rectification [cf. JUSTUS, p. 24, 46] die notwendige Voraussetzung des Gesetzes der Identität bildet, so bildet das Gesetz der Umkehr die notwendige Ergänzung des Gesetzes des Grundes“. UPHUES, p. 97. — „Der scheinbare Widerspruch, der darin liegt, dass wir vom Endlichen aus das Unendliche, vom Zeitlichen und Geschaffenen aus den ewigen Schöpfer nicht allein erkennen, sondern auch definieren wollen, hebt sich durch das Gesetz der Umkehr, welches wir als das wahre Grundgesetz des endlichen Denkens erkannt haben. Im normalen Zustande würde sich dieses Gesetz ohne Anstoss vollziehen, insoweit die von Gott geschaffene Creatur ihr Begründetsein in Gott im normalen Zustande so erkennt, dass sie nicht aus Gott hinaus tendiert, sondern in Gott hinein reflektiert... Die Aufgabe der Korrektion ist, diesen normalen Zustand durch die Störung hindurch mittelst der Rektification im Bewusstsein aufrecht zu halten“. MICHELIS, Kath. Dogm. 414. Cf. Philos. Platon. I 115. Xpuct. 'Irenie 1881 II 557.

absolute necessariam esse cognoscit, cum illa inter se opposita componere non possit seu propter cogitationis rationem finitam. (Cf. Uphues p. 129—134).

Dogma ss. Trinitatis, prout ab ecclesia enuntiatur, notionibus continetur, quae cum nostro cogitandi modo, a visis minime sevocato, conveniunt¹⁴). Sed ipsa ecclesiae enuntiatio postulat, ut res modo a visis alieno, veritati cognoscendae accommodato cogitetur. (Michelis, Kath. Dogm. p. 36). Nam cum personas dicimus, dubium non est, quin finitum illud et relativum, quod in nostra mente notioni personae adhaeret, abiciendum sit nec in absolutum transferendum. Nam si in Deo tres personas humano modo cogitamus, prout quaevis persona individuum est, tritheismus sequitur. Itaque cum de tribus personis in Deo loquimur, non tria individua vel substantiae cogitandae sunt, sed unus verus Deus ut personalis, sui conscius, cogitans, volens, amans (ib. 37). Vel ipsa nomina Patris, Filii, Spiritus S. (quae quasi corriguntur cum eadem personae prima, altera, tertia appellantur indicio sunt dogmatis enuntiationem a visorum ratione non recedere; magis id apparet ex iis, quibus tres personae distinguuntur: Filius ut a Patre genitus, Pater igitur ut ingenitus, Spiritus S. ut spiratione a Patre et Filio procedens; voces vero circuminsessionis et similes, quibus theologi ea, quae rem visorum ratione comprehensam necessario consequuntur, evitare conantur, eadem ratione contineri, quam cogitatio sequi non possit, negari non potest. Sed cum theologi Patrem ut principium sine principio a Filio et Spiritu Sancto differre dicunt, se cogitationi rationem illam corrigenti defuisse ostendunt. Fingunt enim Patrem ut primam personam iam totam divinam substantiam in se habere, quam Filio et cum Filio alio modo Spiritui Sancto communicet, id quod (etsi illud mittimus, quod in ea sententia ipsum ad visa pertinet) eatenus verum est, quatenus notio substantiae a notione personae separata cogitatur, cum dogma demum in personis substantiam realem cogitandam esse significet.

Deus ut personalis concipitur propterea, quod, si ut impersonalis cogitaretur, spiritu et homine inferior esset; non potest tamen ut individuum personale eius rationis cogitari, qualis est finita, humana personalitas. Non potest autem cogitari nisi distinctione personarum posita; itaque, cum dualitate diversitas tantum et

¹⁴) MICHELIS, Die Philos. Plat. II 330.

ratio finiti in Deum transfertur, trinitas ponenda est, sc. dualitas unitate sublata (ib. p. 53)¹⁵). Numerum ut talem non esse nisi rationem abstractam logicam, nec aliam vim habere nisi formalem logicam constat (p. 52). Unde manifestum est diversitatem et separationem unitatis substantiae trinitatisque personarum in Deo non esse nisi partem conformationis mentis, qua Deum ad visa revocamus, supra quam cogitatio nostra finita numquam ascendere poterit (p. 53). Non dico illud, quod dogmaticè unitate substantiae et trinitate personarum significamus, in Deo reale non esse, sed illud quod in Deo reale est, notionibus humanis enuntiare non possumus, nisi diversitatem et separationem quandam enuntiemus, quae ut talis in Deo non sit, ideoque in cogitatione, ut vera sit, corrigi debeat (p. 53). Similiter necessitudines rationesque chymicas, quae inter atomos materiae re intercedunt, numeris significamus, etsi illos numeros ut mentis nostrae abstractae rationes sunt, causam eventuum, quae apparent, esse non putamus¹⁶). Recte dici potest Deum esse absolutam synthesin materiae et spiritus, modo ne obliviscamur legis, qua convertendam esse cogitationem enuntiatur (cf. p. 13¹³), quam secuti potius spiritus et materiae diversitatem inde, unde nati sunt, repetere debemus (p. 418).

Illae difficultates, quae oriuntur, cum dogma ut solet enuntiatur, evanescent si Deum ut absolutam conscientiam definimus. Nam id, quod in dogmate ecclesiae enuntiatur, Deum esse unum, summum, vivum, personalem et momenta suae realitatis in se ipso

¹⁵) Ct. Phil. Plat. II 330; Kr. Günth. Phil. 141.

¹⁶) „Wenn die Chemie die Erkenntnis gewonnen hat, dass die erscheinenden Körper auf einer Mischung der Elemente nach festen Zahlengesetzen beruhe, so sind wir uns vollkommen bewusst, dass nicht diese bestimmten Zahlen als solche, als die abstrakten Momente unseres Denkens, der Grund und die bewirkende Ursache dieser realen Lebenserscheinung, sondern dass sie nur der Ausdruck der realen Beziehungen und Verhältnisse sind, in denen die Stoffatome zu einander stehen oder gesetzt sind. Wir sind uns ferner bewusst, dass wir in diesem Falle diese Beziehungen und Verhältnisse als ein die Stofftheile beherrschendes, sei es als ein den Stofftheilen immanentes Gesetz, wie es die bloss beobachtende Naturforschung nimmt, sei es als einen über ihnen stehenden Willen, wie die Religion sagt, erkennen. So ist auch das Zahlengesetz, welches sich in der Unterscheidung der Personen oder der Momente des absoluten Bewusstseins ausspricht, nur ein abstrakter Ausdruck des absoluten Bewusstseins, des realen Lebensprozesses in Gott, und wohl können wir ahnen, dass alle im Endlichen gewissermassen wirksame Zahl nur in dieser Beziehung zum Unendlichen ihren Grund hat, nicht aber dürfen wir das absolute Bewusstsein unter das Gesetz der Zahl stellen, sondern wie die Synode von Toledo sagt: „Haec sancta Trinitas, quae unus et verus est Deus, nec recedit a numero nec capitur numero“. MICHELIS, Kath. Dogm. p. 54.

habere¹⁷⁾ ea ratione sine illis difficultatibus enuntiatur. Etenim in notione conscientiae unitatis notio inest, quae multitudinem (trinitatem) rationum, quibus integratur, continet. In me, ut mei conscio, est cognoscere, velle, sentire; ego ut subiectum scio me ut obiectum non ut separatum vel ut duo sed ut unum (p. 50)¹⁸⁾. Aliis verbis: conscientia est unitas immanens trium rationum — si metaphysice loquimur, unitas subiecti et obiecti, si psychologicè loquimur, unitas cognoscendi, volendi, sentiendi (p. 48). Notione igitur conscientiae absolutae significatur in Deo pluralitatem (trinitatem) rationum inesse, quae simul existentes et prout nobis res enuntianda est, essentiali necessitudine seu relatione inter se coniunctae unum personalem vivum Deum constituunt (p. 50). Absoluta conscientia a conscientia finita eo differt, quod Deus est conscientia, quae nullum esse extra se habet (i.e. absolutum; finitum enim, cum voluntate illius contineatur, ad hanc notionem non pertinet), sed cuius conscientia sit eius esse; mens creata est conscientia, quae sui conscia non est nisi cum materia et ab ea ut re a se diversa¹⁹⁾. Metaphysicis vocibus uti dicere possumus conscientiam nostram esse imperfectum subiecti in rationem obiecti transitum (unvollkommene Subjekt-Objektivierung), quatenus subiectum se non cognoscit ut obiectum nisi per aliquid quod est extra se, ut nostri conscii non firmus nisi rebus, quae extra nos sunt, sensibus apprehensis;

¹⁷⁾ „Das Eine höchste lebendige persönliche Wesen, welches die Momente seines Pealseins in sich selbst hat“.

¹⁸⁾ „In mir als bewusstem Wesen ist Erkennen, Wollen, Fühlen; ich als Subjekt weiss mich als Objekt nicht als auseinander und zwei, sondern eben in der Einheit. Ich brauche auf diese Formen, in denen sich das Bewusstsein in mir empirisch offenbart, nicht näher einzugehen, um den aufgestellten allgemeinen Begriff des Bewusstseins als einer Einheit in der Vielheit sie constituierender Momente zu erheben, und ich verahre mich, indem ich Gott als das absolute Bewusstsein erfasse, ausdrücklich und nachdrücklich vor dem Missverständnisse, als ob ich diese besonderen Formen zum Massstabe des absoluten Bewusstseins machen wollte. Vielmehr wird sich zeigen, dass gerade eine solche voreilige Übertragung das Hindernis für das Denken war, zu dem im christlichen Grunddogma wirklich liegenden Abschluss zu gelangen“. MICHELIS, Kath. Dogm. 50.

¹⁹⁾ Богъ какъ абсолютное сознание, есть такое сознание, моменты котораго, составляющіе самое бытіе его, не суть только формальные моменты (какъ въ конечномъ сознаниі, которое свое бытіе имѣетъ только въ своемъ отношеніи къ тому, что не есть само оно, — къ противостоящей ему матеріи), но реальныя. Въ своемъ конечномъ сознаниі мы никакъ не можемъ реализовать своихъ моментовъ. Во абсолютномъ сознаниі есть множественность (троичность) моментовъ, которые въ ихъ событіи и въ ихъ существенномъ отношеніи другъ къ другу составляютъ единое личное и живое существо истиннаго Бога. Догматъ знаетъ сущность только какъ существующую въ Лицахъ и Лица какъ реальную модификацію субстанціи. BOLOTOV, Xp. Чт. 1881 II 558.

psychologicis autem vocibus usi conscientiam nostram definire possumus cognoscendi et volendi et sentiendi unitatem, cognoscendi voce significantes rerum, quae extra nos sunt, in nos actionem, volendi voce nostram in res externas reactionem, sentiendi voce mentis, ut voce barbara utamur, inseitatem seu ipsum esse conscientiae in se. Ubi apparet sensum propius accedere ad conscientiae substantialitatem quam cognoscere aut velle, quibus proxime conscientiae actiones significantur. Similiter Deum caritatem esse Scriptura Sacra dicit. (p. 420).

Hac ratione non mutatur sed explicatur dogmatis enuntiatio, quam ecclesia sanxit, et dogma contra mentis non correctae arrogantiam defenditur (p. 54—55; 420; 455)²⁰).

²⁰) „Nun aber müssen wir erwägen, dass wir in unserem aktuellen Bewusstsein nur die Projektion des ewigen Verhältnisses unter der Bedingung unseres in der Sprache an die Vorstellung oder den Begriff gebundenen Denkens haben und haben können, wonach wir uns bewusst bleiben müssen, dass sowohl der Begriff der Person wie der Begriff der Substanz ein nur von unseren verschobenen Verhältnissen aus gebildet sein kann. Hiernach werden wir sagen müssen, dass wir über die schon im dogmatischen oder theologischen Ausdrücke begründete Unterscheidung des absoluten und des endlichen Bewusstseins, welche auf Unterscheidung von Person und Sache hinausgeht [alius, aliud], nicht hinaus kommen, wohl aber die Begründung dieser Grenze unserer Erkenntnis in unserem diesseitigen an die Sprache gebundenen Denken verstehen und daher vor den naheliegenden Fehlern der Überschreitung der Grenze nach der einen oder anderen Seite uns hüten können. Und das ist ja eben die wesentliche Aufgabe des korrekten Denkens, das Dogma zwar einerseits in seiner ewigen Wahrheit vor den unberechtigten Angriffen der Philosophie, insoweit diese selbst nur auf dem unkorrigierten Denken beruht, zu schützen, andererseits aber auch vor dem Rückfall in die Prätionen unmöglicher Leistungen zu bewahren, indem vielmehr als das Ziel erkannt und fest im Auge behalten wird, von der nachgewiesenen Störung aus den empirischen Zustand unseres Bewusstseins zu erklären. . . Wir müssen uns damit begnügen, im korrekten Denken die sachliche Unterscheidung des absoluten und des endlichen Bewusstseins dahin festgestellt zu haben, dass das absolute Bewusstsein kein Sein ausser sich hat (d. h. als solches, das endliche Sein kann diesen Begriff des absoluten Seins als solchen nicht alterieren, weil es auf der Schöpfung, auf dem Willensakt des Absoluten, beruht), sondern dass eben sein Sein in den Momenten seines Bewusstseins subsistiert, während das endliche Bewusstsein, der Geist im Gegensatze zum Stoffe, eben als solches den Stoff als ein anderes Sein neben sich erkennt, wodurch dann zugleich die wesentliche innere Beziehung des endlichen Geistes zum Stoffe, sowie der Begriff und die Existenz des geschaffenen reinen Geistes und der ewigen Bedeutung des Stoffes in der Schöpfung, und endlich die wahre Stellung des Menschen gesichert ist; dass wir ferner dieses in der Schöpfung gesetzte Verhältnis der Glieder der Schöpfung untereinander in ihrer ewigen Wahrheit nur dann richtig erkennen können, wenn wir es nicht mehr unter der Form der Störung denken, in die wir mit unserem diesseitigen Denken hineingezogen sind, und dass es also drittens die einzig wahre Aufgabe der Glaubenswissenschaft sein kann, eben diesen empirischen Zustand aus jener im Bewusstsein nicht zerstörten Wahrheit begreiflich und verständlich zu machen. . . . Positiv stellt sich, wenn wir nun das reale Unendliche und das reale Endliche in Unterscheidung von einander und dieses als in

Restat, ut commemoremus, nihil obstare, quominus, etsi teneatur omnes actiones Dei trium personarum esse communes, tamen quaedam opera singulis personis separatim tribuantur seu, ut theologi dicunt, approprientur²¹⁾. His omnem rationem eorum, quos Filioque praeferre attulimus, paucis explicasse nobis videmur. Iudicium de ea dogmatis catholici defensione alias instituemus.

A. Špaldák.

jenem begründet festhalten, die Frage ein, wie wir denn, wenn wir nun auch von allem dem, was eben nur im endlichen Verlauf begründet ist, Gott freigestellt haben, über die Schwierigkeit im Denken hinwegkommen, dass doch nun die Existenz des Endlichen selbst gegen das Unendliche sich abgrenzen, also doch das Unendliche hinterher wieder zu einem Begrenzten gemacht werden muss. Wir empfinden sofort, dass bei dieser Frage das Gesetz der Umkehr, welches einfach von dem realen Endlichen auf das reale Unendliche umbiegt, ohne vom Unendlichen aus zu reflektieren, nicht eingehalten ist; aber wir müssen uns doch der nur scheinbaren Berechtigung der Frage klar bewusst werden und können es auch, wenn wir uns nur bewusst bleiben, dass wir die Korrektur selbst ja nur in der Form des unkorrigierten Denkens vollziehen können. Dass die Formalbegriffe, Verneinung, Raum, Zeit als solche in unserem Bewusstsein heraustreten, das gehört eben schon der Störung und nicht der Schöpfung an, und deshalb haben alle Fragen, die erst auf den im Bewusstsein herausgetretenen Formalbegriffen beruhen, wissenschaftlich genau so viel Berechtigung, wie wenn ein Knabe, der noch nicht weiss, dass alle Winkel im Dreieck = $2 R$ sind, die Frage stellt, weshalb in einem gleichschenkeligen Dreieck jeder der beiden anderen Winkel = 45° ist. Im normalen Schöpfungsverhältnisse und also im Gesetze der Umkehr sind alle jene aufregenden Fragen noch nicht begründet und deshalb haben sie auch kein Recht, anders als aus der Störung erklärt zu werden. Gottes Existenz als des absoluten Bewusstseins motiviert auch noch nicht die Möglichkeit der Verneinung (in Gott ist kein Nein); im endlichen Gegensatze ist vermöge der Wesensunterscheidung des Geistes vom Stoffe der Sache nach das Nein (im Bewusstsein des Geistes) begründet, aber es braucht noch nicht im Bewusstsein herauszutreten, wenn das endliche Bewusstsein (der geschaffene Geist) dem Willen Gottes gemäss sein Verhältnis zum Stoffe in der normalen Weise vollzieht; es tritt im menschlichen Bewusstsein in der Sprache formell und weiterhin selbst substantiell (aus dem Nicht wird ein Nichts) hervor, weil hier das Bewusstsein unter dem Gesetze der Bindung an die Form steht, die durch die in die Schöpfung eingetretene Störung bedingt war. Ebenso ist es mit Zeit und Raum [Cf. JUSTUS, pag. 21. 23. 46]. Wenn nun die Philosophie auf der Grundlage dieser Komplikation der Verhältnisse Herz und Nieren erschütternde Fragen stellt, ohne auf das Gesetz und den Grund der Verwicklung eingegangen zu sein, so ist sie dem oben bezeichneten schülerhaften Frager zu vergleichen, dem ein vernünftiger Lehrer doch keine andere Antwort geben kann, als dadurch, dass er ihn über das Grundgesetz aufklärt. Mehr Recht hat die Frage nach der Begrenzung Gottes durch die Schöpfung, des Unendlichen durch das Endliche nicht. Im normalen Verhältnisse koincidiert der Begriff des Denkens mit dem Begriffe der Schöpfung und deshalb, weil ich nur denken, resp. mir der Unterscheidung des Denkens von der Vorstellung nur bewusst werden kann, indem ich den Grundbegriff der Schöpfung, die Realität des endlichen Gegensatzes von Geist und Stoff erfasse, so kann im normalen Zustande die Frage nach der Begrenzung des Unendlichen durch das Endliche gar nicht entstehen, und damit ist so lange jede Berechtigung einer solchen Frage abgewiesen, als sich diese Fragen noch auf der Grundlage der nicht in Rechnung gebrachten Störung bewegen.“ MICHELIS, Kath. Dogm. 420—425.

²¹⁾ MICHELIS, Kath. Dogm. p. 51; 180. 189.

De Orientalium in schismate defendendo peccatis.

Litteras Orientalium maxime saeculi XII—XV pervolventi plurima occurrunt documenta, quibus schismatis seu aversionis a catholicis ratio cum tanta a lege christiana defectione coniuncta apparet, ut christiani nominis vis et virtus eo magis evanuisse videatur quo vehementius a Romana ecclesia abhorruerint. Quo enim animo erga catholicos affecti post schisma esse debuerint, quanto studio iis ecclesiae unitati, quae perierat, restituendae danda fuerit opera, facile intellegitur et, si quis accuratius eiusmodi officia cognoscere velit, Acta Conventuum Velehradensium evolvere potest. Hic autem ea colligentur unde discemus, quam diversa ab his officiis Orientalibus placuerint. Primum, quomodo quaestiones inter Latinos et Graecos controversas tractaverint, deinde quomodo de Latinis iudicaverint, denique quomodo iis tractandi visi sint considerabimus.

Ac primum quidem quae Latinis exprobrata in litteris Orientalium inveniuntur, proferemus.

A

Criminationes Graecorum in Latinos, ne perperam misceantur, quattuor in classes distribui queunt: nimirum in criminationes: a) *dogmaticas*; b) *rituales*; c) *disciplinares*; d) *morales*; atque e) *in criminationes quae auctoritatem Romanorum Pontificum ininuunt vel aspernantur*. Ex nuda earum mentione cuilibet persuasissimum erit, scruta ramentaque graecos scriptores collegisse, ut calumniis potius, quam argumentis, Latinos appeterent.

a) Generatim statuitur illud Filioque, quod sexcenta invexerit absurda in mysterium Smae Trinitatis, schisma absolvisse¹⁾; maximum posuisse inter Graecos ac Latinos discrimen²⁾, latinam haeresim genuisse³⁾. Tanti momenti haec habetur symboli additio,

¹⁾ 'Ο καθ' ἑλγης τῆς μακαρίας Τριάδος μυσία συμφορῶν ἀπόφημα. — ARSENIUS (episcopus), Три статьи неизвѣтнаго греческаго писателя начала XIII вѣка въ защиту и обвиненія новостей латинскихъ въ вѣрѣ и благочестіи (Tres disquisitiones ignoti cuiusdam scriptoris graeci initii saeculi XIII pro tuendis et refellendis latinis novitatibus in fide et pietate), Mosquae, 1892, p. 1.

²⁾ Τὸ δὲ μεῖζον, ὡς νομίζομεν, τῆς διαστάσεως, ἣ ἐν τῷ ἀγίῳ συμβόλῳ ἐπίσης ἐστίν. — NICETAE (Nicaeni), Περὶ τῶν ἀζύμων. PAVLOV, p. 137.

³⁾ SYMEON (Thessalon), P. G., t. CLV, col. 97.

ut in fidei confessione latinis proposita qui a catholicis defecissent castris, disertis verbis ea reiciatur, ceteris silentio praetermissis¹⁾).

2. Praeterea nonnulli aiunt Latinos finem decrevisse inferni, purgatorium fabulatos²⁾).

b) Ad ritus ecclesiasticos quod attinet, Latinos a veritate canonibusque hisce in capitibus deflexisse Graeci intendunt scriptores:

3. A multis de azymis disceptatum est, tamquam de praecipuo schismatis fulcro et causa³⁾).

4. Cum baptismum conferunt, tres divinas personas audacter commiscent: trium enim personarum in nomine puerulos baptizant una tantum immersione⁴⁾).

5. Contra veteres traditiones statim post collatum baptismum infantulos haud inungunt chrismate sacro⁵⁾).

6. Dum Graeci in baptismate conferendo aiunt: *Baptizatur servus Dei*, ut ostendatur sua sponte baptizandus ad sacrum accedere baptismum, Latini superbia tumidi utuntur hac formula: *Ego te baptizo*, quo fit ut alium a Graecis scopum assequendum sibi proponant⁶⁾).

¹⁾ En harum confessionum specimen, quae saeculis XIV ac XV usu venerant in graeca Ecclesia: Ἀποβάλλομαι τὴν παρά τῶν Λατίνων γενομένην προσθήκην ἐν τούτῳ τῷ ἁγίῳ συμβόλῳ τὴν λέγουσαν, ὅτι ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πιστεύω γὰρ καὶ ὁμολογῶ, ὅτι ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἀποβάλλομαι δὲ καὶ πάντα τὰ ἔθνη αὐτῶν καὶ τὴν πολιτείαν, τὴν διαγωγὴν, ὅσα εἰσὶν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας τῆς ἀποστολικῆς καὶ τῆς νομοθεσίας τῶν ἁγίων Ἀποστόλων καὶ τῶν ἁγίων Πατέρων. — MIKLOSICH et MÜLLER, Op. cit., t. II, p. 8. Vide etiam t. I, pp. 501, 506, 550; t. II, pp. 84, 160, 266, 449, 454.

²⁾ Κατὰ τὸν Ὀριγένην καὶ τέλος οἰοῦναι κολάσεως δογματίζουσιν οὗτοι, Πουρριγῶριον τι προφέροντες, πρὸ τῆς κολάσεως ἐκείνης προκαθαρτήριον, ἐν ᾧ καὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας λέγουσιν εἰσιόντας ἀποτινῆναι δίκην ἄχρι τῆς ἡμέρας τῆς τελευταίας, Ὅπερ οὐδεὶς τῶν ἁγίων ἐφρόνησε, καὶ ἀναιρετικὸν τοῦτο τῶν κυριακῶν λόγων, τῶν τὴν κόλασιν αἰώνιον εἶναι, καὶ τὴν ζοὴν λεγόντων αἰώνιον. *Dialogus*, c. XXIII, col. 117.

³⁾ Haec gens propter duo, ut ita dicatur, Latinos accusans, aestimat oportere ab eis se dividi. Unum et principalius quod aiunt Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere; secundum quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam. BARLAAM, *De unione romanae Ecclesiae et processione Spiritus Sancti*, P. G., t. CLI, col. 1266. Ad rem HERGENRÖTHER: Das von Photius bekämpfte Filioque blieb bis zum fünfzehnten Jahrhunderte der vornehmste Stein des Anstosses: alles Andere konnte nur die Kluft erweitern, aber nicht sie schaffen. — *Photius*, t. III, p. 875. — Ἀρμενίζουσιν ἐν ταῖς αὐταῖς ἀξήμοις. COTELERIUS, t. III, p. 506 n. LVII.

⁴⁾ Εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτίζουσιν, ἐπιλέγοντες τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὡς δοκεῖν τοῦτο, τῶν προσώπων συναλοιφήν. — COTELERIUS, t. III, p. 497, n. XII; SYMEON, *Dialogus contra haereses*, c. XX, col. 102.

⁵⁾ Τὸ χρίσμα τοῦ μύρου οὐ δίδόμενον ἐν καιρῷ τελοῦμενον. — Τόμος ἀγάπης, p. 566.

⁶⁾ Ἡμεῖς λέγομεν „Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ“ δεικνύοντες ἐντεῦθεν τὴν ἀνθαιρέτον καὶ ἐξ ἰδίας θελήσεως κίνησιν τοῦ βαπτιζομένου πρὸς τὸ θεῖον βάπτισμα. Ἡμεῖς δὲ ἀλαζόνως πῶς καὶ ὑπερηφάνως ψατέ, „Βαπτίζω ἐγὼ τὸν δεῖνα“, ἔπερ οὐ τὸν αὐτὸν τῷ ἡμετέρῳ ἔχει σκοπὸν. MANUEL (magnus rhetor), *Apologia et refutatio capitum fratris Francisci*, P. G., CXL, col. 480.

7. Presbvteri latini non conferunt chrisma¹⁾.

8. Chrisma conficitur a Latinis non oleo sed ex aqua²⁾.

9. Haud merent Latini ut gregi christiano adscribantur, cum Graecis adlatrent profitentibus transsubstantiationem fieri dominicis verbis una cum Spiritus Sancti invocatione (*epiclesis*)³⁾.

10. Sacra communione vescuntur feria sexta hebdomadae maioris, ac morti proximiores cum evadunt: verumtamen species eucharisticae quae ab eis sumuntur azyma non sunt consecrata, sed communis panis nullomodo oblatus⁴⁾.

12. Apud eos communicantes os abluunt aqua, quam deinceps exspuunt. Conficitur inde vel Iesum Christum dedecore affici, vel ab eis sacram eucharistiam, perinde ac si praesens in ea Iesus Christus non adesset, despectui haberi⁵⁾.

13. Laicos sacris epulis in calice et pane non admittunt, quemadmodum facit et accepit Ecclesia, sed secundum aliam consuetudinem⁶⁾.

14. Infantibus baptizatis Christi corpus nequaquam praebent, etiamsi ad plures annos pervenerint⁷⁾.

15. Unus sacerdos ter, vel quater celebrat in uno die, cum felix sit, qui unam digne possit cantare⁸⁾.

16. In confessione peragenda pessime se gerunt. Etenim ad confitendum currunt, non autem multum curant de abstinentia a peccato: quin etiam quaedam prohibita patrandi a Papa ipsiusque episcopis facultatem impetrant et accipiunt, multisque

¹⁾ Bessarione a. XV, p. 10. 11.

²⁾ Bessarione a. XV, p. 9. 11.

³⁾ Τὸ γενέσθαι τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ. ἀπὸ τῶν ἱερατικῶν πιστεύομεν σαφῶς ἐνεργεῖσθαι εὐχῶν, καὶ τελειοῦσθαι τῇ τοῦ σταυροῦ σφραγιδί, καὶ τῇ ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τῶν κυριακῶν φωνῶν. . . . τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς τῆς χάριτος αὐτῶν διαδόχοις ἅπαρ τοῦτο παρασχουσῶν, δόνασθαι διὰ τῶν εὐχῶν ἐνεργεῖν. — SYMEON, *Expositio de divino templo*, c. 88, P. G., t. CLV, coll. 735; 737.

⁴⁾ Τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ πάντες μεταλαμβάνουσι. καὶ ἐν τῇ ἀποθνήσκουσι. Πλὴν οὐδὲ τότε ἐκ τοῦ παρ' αὐτοῖς ἁγιασθέντος δῆθεν ἄζυμου, ἐξ ἑτέρου δὲ κοινοῦ, καὶ ἀπροσκομίστου. — COTELERIUS, t. III, p. 496, n. IX.

⁵⁾ Ὁ μεταλαμβάνων τῶν παρ' αὐτοῖς ἁγιασμάτων ὕδατι περικλύσας τὸ στόμα εἰς ἕδαφος αὐτὸ ἀποπτέει καὶ καταπατεῖ· εἰ οὖν ἐκεῖνα Χριστοῦ, πῶς ἁματιστέα; εἰ δ' ἁματιστέα, οὐ τοῦ Χριστοῦ. — *Cod. Monac.* 256, f. 72; HERGENRÖTHER, *Photius* t. III, p. 821.

⁶⁾ Λατίνοι, οὐδὲ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ποτηρίου καὶ ἄρτου κοινωνοῦσι τοῖς λαϊκοῖς· ὡς ἡ Ἐκκλησία ποιεῖ, καὶ παρέλαβεν, ἀλλὰ καθ' ἕτερον ἔτος. — SYMEON, (Thess.), *Dialogus contra haereses*, c. XX, P. G., col. 101.

⁷⁾ Οὐδὲ κοινωνίας τοῖς βαπτιζομένοις μεταδιδόσκει βρέφει, καὶ τοῖς ἄχρι πλείων ἔτων ἐλθούσι. Καὶ τὰ πλείω τούτων βρέφη ἀσφράγιστα. Καὶ οἱ πλείστοι αὐτῶν τελευτῶντες ὅσοι μὴ λαλεῖν δύνανται. ἄμειροι τοῦ ἐφοδίου τῆς ζωῆς, δίχα κοινωνίας τῶν μυστηρίων τῶν ὧδε ἐξερχόμενοι. — *Ib.*, c. XX, coll. 101—104. Si pueri, tradit Symeon, baptisate reviviscunt, et sacro liniuntur unguento, nulla est causa quae Latinos prohibeat ab eis communione sacra nutriendis: Καὶ μὴ κατὰ τινος ἁμελεῖν, καὶ ἐν τούτῳ καινοτομοῦντας ἀλόγως, καὶ ἀπιστῶν τὰ βρέφη τῆς κοινωνίας. Ὅτι οὐκ ἴσασι τὰ βρέφη, φασί, τίνος κοινωνοῦσι. Βαβαὶ τῆς ἀλογίας ἅμα καὶ ἀπιστίας. Καὶ διατὶ βαπτίζεις λοιπόν; ἢ διατὶ χρίεις τῷ μύρῳ; *De Sacramentis*, c. LXIX. *Ib.*, col. 236.

⁸⁾ PANTALEO (Diac.), *Contra Graecos*, P. G. t. CXL, col. 543.

datur licentia carne utendi sanctissimi ieiunii tempore, et aliis pellicem habendi et quaecumque petierint illicita obtinent: neque paucis dici potest quanta contra christianorum vitam Patrumque canones agere non erubescant¹⁾).

17. Ordinationes aliter faciunt ac tradiderunt Patres et Apostoli, qui docuerunt eas peragendas manuum impositione, non autem chrismatis unctione ut mos est Latinis²⁾).

18. Diaconi latini possunt recipere consecrationem episcopalem etsi non receperunt consecrationem sacerdotalem³⁾).

19. Ordinationibus sacris apud Latinos plures non adsunt episcopi, eaeque per impositionem aperti Evangelii haud fiunt, sed unus episcopus alterum consecrat episcopum chrismatis unctione; si vero plures adsint, haec participatio nihil ad sacram confert ordinationem⁴⁾).

20. Tempore quadragesimae sese abstinent a missis prae-sanctificatorum celebrandis.⁵⁾

21. Multos simul ad sacros evehunt ordines episcopos, sacerdotes, ac diaconos⁶⁾).

22. Novatores latini tenent sacrum oleum iis qui vitae spem habent tradendum non esse, sed iis tantum qui moriuntur, cum peccata remittendi virtutem in se contineat, contrario modo apostolicis traditionibus, sicut in omnibus, etiam in his sentientes et agentes⁷⁾).

23. Coniugium Latinorum nullis ex causis dissolvi romana decernit Ecclesia, quae perperam interpretatur verba Iesu Christi apud Matthaeum: *Μωϋσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεπεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτως*

1) Καὶ δῆθεν μὲν πρὸς τὴν ἑξομολόγησιν τρέχουσι· οὐκ ἀποσχέσθαι δὲ τοῦ κακοῦ λόγος πολὺς παρ' αὐτοῖς. Ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπηγορευμένων τινὰ πράττειν παρὰ τοῦ πάππα, καὶ τῶν ἐπισκόπων αὐτῶν, συγχώρησιν ἔξαιτοῦσι τε καὶ λαμβάνουσι, καὶ διδοῦσι πολλοῖς ἄδεια κρέατος μετέχειν τῷ καιρῷ τῆς ἀγριωτάτης νηστείας, καὶ ἄλλοις παλλακὴν ἔχειν, καὶ ἄπερ αἰτήσονται ἄλλα τινὰ τῶν ἀθεμιτῶν λαμβάνουσι· καὶ ἀπλῶς οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὅσα παρὰ τὴν χριστιανικὴν ζωὴν καὶ τοὺς τῶν Πατέρων κανόνας ἐνεργεῖν οὐκ αἰσχύνονται. — SYMEON, *Dialogus contra haereses*, c. XXI, Loc. cit., col. 107.

2) Τὸ τὰς χειροτονίας ἐτέρως ποιεῖν ἢ ὡς οἱ Πατέρες παραδεδώκασι καὶ Ἀπόστολοι. Παρέδωκαν γὰρ οὗτοι, δι' ἐπιθέσεως χειρῶν ταύτας ἐνεργεῖν καὶ οὐ χρίσματος, ὡς νομικῶς οἱ Λατίνοι. *Ib.*, c. XX, col. 101.

3) Bessarione XV, p. 11.

4) Οὐδ' ὑπὸ πλείονων ἐπισκόπων, ὡς ὁ ἀποστολικὸς κανὼν λέγει, οὐδὲ διὰ τῆς τοῦ Εὐαγγελίου ἀνεφ' ἡμένου ἐπιθέσεως, ὡς ὁ μέγας διδάσκει Διονύσιος· ἀλλ' εἰς ἐπίσκοπος παρ' αὐτοῖς πολλάκις ἐπίσκοπον χειροτονεῖ, καὶ χρίσματος μύρου τινός, παρὰ τὴν τῶν Ἀποστόλων παράδοσιν· μάλιστα δὲ νομικῶς. Εἰ δὲ καὶ πάρεσι ποτε πλείους τῶν ἐπισκόπων, ἀλλ' οὐ συλλειτουργοῦσιν οὗτοι τῷ πρώτῳ. Οὐδὲ γὰρ δύνανται. Διὸ μὴ συλλειτουργοῦντες, οὐδὲ συγχειρονοῦσι τὸν χειροτονούμενον. — SYMEON, *D. c. h.*, c. XX, col. 104.

5) Ἐν τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ καθ' ἑκάστην τελείαν λειτουργίαν τελοῦσι, καὶ οὐ προηρησμένων. COTELERIUS, t. III, p. 498, n. XVII.

6) Πολλοὺς ὁμοῦ χειροτονοῦσιν, ἐπισκόπους, ἱερεῖς, ὁμοῦ τε καὶ διακόνους. *Ibid.* n. XV.

7) Τὸ ἅγιον ἔλαιον οὐ χρὴ διδοῦσθαι τοῖς ἐλπίδα κεκτημένοις ζωῆς, ἀλλὰ τοῖς ἀποθνήσκουσι μόνον, ἐπειδὴ ἁμαρτημάτων παρέχεται ἄφεσιν· ἀπεναντίας τοῖς ἀποστολικῶς ὡς ἐν ἅπασι καὶ ὅδε καὶ φρονοῦντες καὶ πιάττοντες ῥήμασι. — SYMEON, *De Sacramentis*, c. LVI, *Ib.*, col. 204. Cf. Z k Th XXX (1906) 598.

Λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται¹⁾).

24. Comedunt agni paschalis carnes: ossa deinceps comburunt, eorumque cineres colligunt totumque custodiunt annum. Hisce cineribus fideles inspergunt, ut maiore nisu sanctitatem colant²⁾).

25. Cineres sacri quibus utuntur Latini, ex combustis animalium impurorum ossibus conficiuntur. Feria autem quarta primae hebdomadae quadragesimae eisdem caput, frontem, faciem inspergunt fidelium, stulte arbitrati eos membra roborare hominesque aptiores efficere ad ieiunia toleranda: insuper huiusmodi cineres cotidie panibus quibus in prandio vescuntur, admiscent³⁾).

26. Pretiosam crucem tempore quadragesimali adorare prohibentur vel conspicerе, eamque sindonibus obvolutam asservant in ecclesiis⁴⁾).

27. Agnum paschalem simul cum Corpore Christi et Sanguine super altare ponunt⁵⁾).

28. Qui apud eos maiore potiuntur episcopi auctoritate ac dignitate, ecclesiam ingrediuntur ad sacram peragendam liturgiam nudorum puerorum comitatu, quos aquis lustralibus aspergunt, eosque tradunt per huncce ritum strenuissimos fore bellatores, ad vulneraque invictos⁶⁾).

29. Sacram eucharistiam qua par est veneratione prosequuntur eamque vel secum parvis in bulgis vel marsupio adferunt⁷⁾).

1) Ἡμεῖς τὴν περιπεσοῦσαν γυναῖκα πορνείας μολυσμῷ, τοῦ ἀνδρὸς ἀποδυστάμειν καὶ χωρίζομεν. Ἡμεῖς δὲ οἱ κατ' ἐκ πολλῆς δικαιοσύνης ἐνούσης ὑμῖν, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν παρανοίας καὶ υποκρισεως καὶ αὐτῷ ἀντιφθεγγόμενοι ἔστε ἀναιδῶς τῷ Κυρίῳ δὴ καὶ μετὰ λόγου πορνείας οὐ διαχωρίζετε, ἐθῶντες τὸν ἄνδρα ἀμαρτάνειν, εἰς τὸ ἴδιον ἀεὶ σῶμα, ἕπερ ὁ θεὸς ἀπείργει Παύλος. MANUEL, Loc. cit., n. 6, col. 481; Τόμος Ἀγάπης, p.

2) Ἐσθίουσι τὰ κρέατα τοῦ ἀγνοῦ, τὰ δὲ ὀστέα καίουσι, καὶ τὴν ἐξ αὐτῶν αἰθάλην τηροῦσιν εἰς ὄλον ἐνιαυτόν, καὶ ἐξ αὐτῆς ἐπιπάττουσιν οἷς βούλονται, καὶ ἀγιάζουσιν ὡς νομίζουσι. COTELERIUS, t. III, p. 499, n. XX.

3) Κατὰ τὸν ἑαρινὸν τοῦ ἡλίου τρόπον, ἐπισωρεύοντες ζῆφον ἀκαθαρτῶν ὀστέα, ὄνων καὶ κυνῶν καὶ τοιοῦτων, κατακαίουσι ταῦτα καὶ λαμβάνοντες τὴν ἐξ αὐτῶν αἰθάλην ἐμβάλλουσιν ὕδατι καὶ χρωῶνται εἰς βαντισμὸν καὶ ἀγιασμόν, ὡς οἶονται, τῶν βαντισομένων. Κατὰ τὴν παρ' αὐτοῖς εἰσοδὸν τῆς μ' ἡρῆς τὴν τετράδα τῆς α' ἐβδομιάδος ἐκ ἐκείνης τῆς ὕδατι πεφυραμένης αἰθάλης περιχρῖουσιν οἱ τοῦ βήματος τοὺς προσερχομένους εἰς κορυφὴν καὶ μέτωπον καὶ τὸ πρόσωπον, βοήθειαν εἰς νηστείαν καὶ ἀρετὴν ἐκ τούτου πιστεύοντες διδόναι καὶ πιστευόμενοι. Λέγεται δὲ ὡς ἀπὸ τῆς τοιαύτης αἰθάλης συμφυρῶσι καὶ εἰς τοὺς ἐπιδευπνίους ἄρτους αὐτῶν. Τὰ τοιαῦτα γοῶν ποίας μισαρότητος οὐ νικῶσιν ὑπερβολῆν; Cod. mon., 256, f. 73; HERGENRÖTHER, tom. III, p. 824.

4) Τὸν τίμιον σταυρὸν κατὰ τὴν τεσσαρακοστήν, οὔτε προσκυνοῦσιν, οὔτε ὀρθοῦσιν ἄλλ' ἐν ἀφανεῖ τόπῳ συνθῶσιν εἰλήσαντες κατακρύπτουσι. — COTELERIUS, t. III, p. 502, n. XXXVII.

5) Bessarione a. XV, p. 10. 11.

6) Οἱ μέγιστοι τῶν ἀρχιερέων αὐτῶν ἐν τῇ εἰσοδείῃ εἰς λειτουργίαν περιάγουσι πολλάκις παιδία γυμνά αὐτῶν προσδεύοντα, καὶ ταῦτα βαντίσαντες ἀπολύουσι καὶ διδάσκουσιν, ἐκ τῆς τοιαύτης τελετῆς ἄτρωτα καὶ ἀγήγητα ἐν πολέμοις ἀνδρωθέντα διαφυλάττεσθαι. Cod. mon., 256, f. 73; HERGENRÖTHER, t. III, p. 826.

7) HERGENRÖTHER, t. III, p. 826.

30. Quinque digitis signum crucis oblique faciunt¹⁾.

31. Post prandium ab accipienda eulogia vel benedictione sanctissimae Virginis abhorrent: quin etiam Graecos ob piam hancce consuetudinem cachinnis insectantur, perinde ac si cibis potuque expleti sumerent ipsi sacra mysteria²⁾.

32. Pleraque festorum dominicorum statutis ab Ecclesia diebus contra canones haud peragunt³⁾.

33. Hebdomada sancta sepulcrum Iesu Christi, non secus atque in theatris agitur, instruunt⁴⁾.

34. Ut in theatro quaedam faciunt divinis legibus contraria, veluti cum exprimunt mysterium annuntiationis Salvatoris et cetera, in triviis et plateis homines contra ordinem ponunt, quorum unus quidem Virginem refert, alterum autem Mariae virum appellant, hic vocatur angelus, ille vero senex dierum, cui canos capillos in barbam componunt, quos cum Latini non habeant venuste contra leges naturae tondentes alieno ponunt⁵⁾.

35. Sanctas quoque imagines, omissa lege consuetudinis, saepe alio modo conficiunt quas humanis capillis et stolis pro pictis crinibus atque indumentis exornant, quod non est capillorum aut vestium imago, sed cuiusdam hominis coma et vestimentum, neque imago vel figura exemplarium. Unde imagines modo irreverenti concinnant et exornant⁶⁾.

36. Historias sanctorum passionem Christi, in ecclesiis suis non designant. Et ipsam non pictura, sed opere plunario in similitudine sculptilium et in terra similium (fictilium) faciunt⁷⁾.

37. Theodorus Agallianus qui ad dimidium saec. XV vitam duxit, recentiores latinae Ecclesiae sanctos reprobat, in eosque

1) Μετά τῶν πέντε δακτύλων, πλαγίως πῶς τάχα σταυρὸν ποιοῦσι, καὶ τὴν ὄψιν κατασφραγίζουσιν οὕτως. — COTELERIUS, t. III, p. 500, XXIV. „Quinque digitis quomodo aliqui benedicunt, et cum pollice faciem signant, tanquam monothelitae. Cum igitur debeant disponi digiti in consignationibus, quod per eos duae naturae significantur, et tres personae, prout Christus monstravit, quando in caelum ascensus discipulis manibus elevatus benedixit. — PANTALEO, col. 542.

2) Μετὰ τράπεζαν οὐ λαμβάνουσιν εὐλογία τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ἐπὶ τούτῳ διασύροντες κωμικοῦσιν. ὡς οἱ Γραικοὶ μετὰ τὸ φαγεῖν καὶ πιεῖν εἰς κόρον, μεταλαμβάνουσι τῶν ἀγιασμάτων. — Ib., p. 503, n. XL.

3) Τὰς πλείους τῶν δεσποτικῶν ἑορτῶν ἀκαίρως καὶ συγκεχυμένως ἐπιτελοῦσι. καὶ οὐ κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν Πατέρων. — Ib., p. 499, n. XXI.

4) *Cod. mon.*, 256, f. 76.

5) Ἐπι δὲ καὶ ὡς ἐν ὀράματι τῶν ποιοῦσι παρὰ τοὺς θεῖους θεσμούς. Οἶονεὶ γὰρ ἐξεικονίζοντες τὰ τοῦ εὐαγγελισμοῦ τῆς Παρθένου καὶ Θεομήτορος, καὶ τὰ τῆς σταυρώσεως τοῦ Σωτῆρος καὶ λοιπά, ἐπὶ τριόδων καὶ πλατειῶν ἀνθρώπους καθιστῶσι παρὰ τὴν τάξιν. Καὶ ὁ μὲν τυποῖ τὴν Παρθένον, καὶ τὸν ἄνδρα ἐκείνον Μαριάμ αὐτοὶ ὀνομάζουσιν· ὁ δὲ ἄγγελος ὀνομάζεται· ὁ δὲ Παλαιὸς τῶν ἡμερῶν, ὃ καὶ περιτιθέασι τρίχας λευκάς εἰς τὸν πώγωνα. Ἐπεὶ γὰρ οὐκ ἔχουσι κείροντες ταύτας θρυπτικῶς καὶ παρὰ τοὺς θεσμούς τῆς φύσεως οἱ Λατίνοι, ἀλλοτρίως τιθέασιν. — SYMEON, *Dialogus contra haereses*, c. XXIII, loc. cit., col. 112.

6) Τὰς ἱερὰς εἰκόνας παρὰ τὸ νομομισμένον ἑτέρῃ τῶν πολλὰκις ἀνιστοροῦσι ταύτας καὶ καλλωπίζουσιν. — Ib., col. 112.

7) PANTALEO, loc. cit., col. 542.

invehitur ut in homines ab hominibus sanctitatis sertis redimitos¹⁾).

b) Disciplinae ecclesiasticae legis flocci fieri a Latinis tradunt scriptores graeci. Apud eos cuncta immutantur, corrumpuntur quae maioribus accepta referuntur, novamque ac plane dissimilem induunt faciem²⁾. In eis praecipue, quae ad cibos spectant, pietatis canones ac puritatis violantur³⁾. Omnia novitatem redolent⁴⁾).

38. Comedunt ursos, picas, testudines, echinos, canes fluviales, cornices, cervos, iaros⁵⁾).

39. Ieiunant sabbato, vel si festum dominicum in hunc diem inciderit⁶⁾).

40. Sabbatis et dominicis totius quadragesimae caseum atque ova pueris comedenda praebent⁷⁾).

41. Dum aliquem ab anathemate solvunt, usque ad lumbos eum vestibus exuunt, lorisque aut virgis caedunt, atque ita solutum anathemate dimittunt⁸⁾:

42. Presbyteri caelibatum praese ferunt⁹⁾).

43. Una cum barba totius corporis pilos praesules radunt, idque agunt purificationis causa¹⁰⁾).

44. Varias apud eos induunt vestes qui vitam monasticam profitentur¹¹⁾).

1) Περὶ δὲ τῶν παρὰ τοῖς Λατίνοις ὀνομαζομένων ἀγίων . . . εἰπὼν γὰρ ἔφθην ὅτι οὐκ ἀνεκλήρουσεν αὐτῶν τινα ὁ Θεός, οὐκ ἐδόξασε διὰ σημεῖων, ἃ τοῖς πιστεύουσι παρακολουθεῖν ὁ Κύριος ἀπεφύγατο, κἀντεῦθεν εἶπον εἶναι δῆλον ὅτι οὐκ ἐπίστευσαν ὀρθῶς. Καὶ ἐπεὶ οὐκ ὡς ἄνθρωποι ἤδη ἀπέθανον. συνέβη δὲ ὡς ἀνθρώπους παρὰ ἀνθρώπων φημιζέσθαι, οἱ δὲ λογισμοὶ τῶν ἀνθρώπων πάντες δειλοὶ καὶ ἐπισηφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι αὐτῶν. — Διάλογος μετὰ μοναχοῦ τινος κατὰ Λατίνων, Τόμος χαρᾶς, Rimnic, 1705, p. 627.

2) Καὶ ἀπλῶς ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἅπασιν παρὰ τὰ παραδεδομένα ποιῶσιν ἀνωθεν καὶ οὐδὲν κατὰ τὸν τόπον τὸν πατρικόν, πάντα δὲ νέα παρ' αὐτοῖς καὶ ἐξηλλαγμένα. — Τόμος ἀγάπης, col. 566.

3) Ἐν τῇ διαίτῃ τῆς τροφῆς πᾶν αὐτοῖς ἀνευλαβές καὶ ἀκαθάarton. — Ib., p. 566.

4) Καινοτομία πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. — Ib., p. 566.

5) Ἐσθίουσι . . . τὰς ἄρκους, τὰς τζακάλας, τὰς χελώνας, τὰς ἀκανθοχοίρους, τοὺς κυνοποτάμους, τὰς κορώνας, τοὺς κόρακας, τοὺς λάρους, καὶ τὰ ἕμια. — COTELERIUS, t. III, p. 505, n. XLVII.

6) Κἀν τύχη ἐν σαββάτῳ αὐτῇ ἢ γέννησις τοῦ Χριστοῦ, ἢ τὸ βάπτισμα, ἢ τις ἑτέρα ἑορτή, οὐ καταλύουσι τὴν νηστείαν. — Ib., p. 505, n. LII. Cf. Bessarione a. XV, p. 10.

7) Ἐν τοῖς σάββασιν καὶ ταῖς κυριακαῖς τῆς ὅλης τεσσαρακοστῆς, τυρὸν καὶ ὠὰ δίδουσι τοῖς παιδίοις εἰς βρώσιν. — Ib., n. L. Cf. Bessarione I. c.

8) Ἀφορισμοῦ τινὰ λήοντες, γυμνοῦσιν αὐτὸν ἕως ὀσφύος, καὶ μαστίζοντες ἐπὶ γυμνοῦ λώροις, ἢ λήροις, ἀπολύουσιν ὡς συγκεχωρημένον ἐντεῦθεν. — COTELERIUS, p. 499, n. XIX.

9) Bessarione a. XV, p. 10.

10) Οἱ ἄρχιερεῖς ξυρῶνται . . . τὰς τρίχας τοῦ ὅλου σώματος, ἀγνισμὸν τοῦτο οἰόμενοι. — COTELERIUS t. III, p. 501, n. XXVII. Cf. Bessarione a. XV, p. 11.

11) Τὸ σχῆμα τοῦ μοναχοῦ παρ' αὐτοῖς διάφορον καὶ σὺχ ἐν. — Τόμος ἀγάπης p. 566. — Πάντα ποιῶντες καινότερα . . . ὡς καὶ τὸ σχῆμα τῶν μοναχῶν Ἐνὸς γὰρ ὄντος τοῦ σχήματος, εἰς πολλὰς οὕτοι τοῦτο κατέτεμον μοίρας, καὶ πλείστα τὰ σχήματα πεποιθήσαν. — SYMEON, *Dialogus contra haereses*, c. XX, col. 104.

45. Monachi qui ad episcopalem dignitatem evehuntur carnes comedunt, ac futilibus de causis ieiunium non servant¹⁾).

46. Sedes episcopales apud eos auctione quasi constituta veneunt²⁾).

47. Facile ab una sede in alteram transferuntur³⁾).

c) Ad mores quod attinet scriptores byzantini generatim decernunt Latinos praeceptis evangelicis haud parere. Molliter vivunt, luxuria diffluunt. Voluptatibus indulgere nigro lapillo eis haud notatur. Quae christianos non decet, immo iis prohibentur, ea, pro lubitu perpetrant⁴⁾). Latinos presbyteros omni crimine maculatos conviciantur huiusmodi theologi.

48. Clerici et monachi cotidie ex mollitie a que ostentatione vestes induunt laicorum vestibus consimiles⁵⁾).

49. Fornicatio nullo modo reprobatur. Toleratur ut vel sacris addicti muneribus suas habeant pellices ac spurios natos⁶⁾). „Apud Latinos, audacter calumniatur Symeon Thessalonicensis, fornicari est propemodum inculpatum, ita ut istud censeant sanctitati non obstare; quippe plures ex eorum sacerdotibus pellices habent, et liberos manifeste ex fornicatione et palam in lupanaria ingrediuntur, et impudenter moechantur, nec prohibentur ne sacra faciant. Laici autem, eorum exemplo, pellices accipiunt, et fornicantes non erubescunt, nequaquam cogitantes in hoc esse peccatum et immunditiam⁷⁾“.

50. Nonnulli sacerdotes, dum amicam noctu tacite et occulte sub lecti stragulam admittunt, hoc non fornicationem sed somnum

¹⁾ Si quis monachus in episcopatum promoveatur, carnes manducat intrepide Et monachi parva vexati aegritudine carnibus vescuntur. — PANTALEO, col. 543; *Cod. mon.* 256, f. 79; HERGENRÖTHER, t. III. p. 825.

²⁾ Τὰς ἀρχιερωσύνας ἐπὶ χρήμασι διδουσι φανερώς. — COTELERIUS, tom. III, p. 501, n. XXX.

³⁾ Αἱ τῶν ἀρχιερέων μεταθέσεις ἀπὸ ἐπισκοπῆς εἰς ἑτέραν, τέλει ἀκόλυτον παρ' αὐτοῖς. — COTELERIUS, t. III, p. 501, n. XXIX.

⁴⁾ Βίον ζῶσιν οὐ εὐαγγελικόν. Τροφή γὰρ πᾶσα καὶ πορνεία παρ' αὐτοῖς οὐ μεμπτέα, οὐδέ τι τῶν ἀπηγορευμένων χριστιανούς. — Τόμος ἀγάπης, p. 566.

⁵⁾ Οἱ αὐτῶν ἱερατικοὶ πάντες καὶ μοναχοὶ τὴν καθημερινὴν ἐσθῆτα ὁμοίαν τοῖς μοναχοῖς περιβάλλονται, ὑπὸ βλακειᾶς καὶ περπερείας . . . καὶ γυναικίζονται. — COTELERIUS, t. III, p. 504, n. XLVI.

⁶⁾ Ἔτι καὶ τὴν πορνείαν παρ' αὐτοῖς μὴ ἔλως κάλασιν ἔχειν, οὐδ' ἐν τοῖς ἱερωμένοις αὐτῶν, ἀλλ' ἀναίδην παλλακῆς καὶ πορνικῆς ἔχειν παῖδας, καὶ καθ' ἑκάστην ἱερουργεῖν. — Τόμος ἀγάπης, p. 567.

⁷⁾ Παρὰ Λατίνοις τὸ πορνεύειν σχεδὸν ἀνέγκλητον, καὶ τοσοῦτον ὡς μηδὲ κώλυμα αὐτοῖς εἰς ἱερωσύνην ἔλως εἶναι. Τῶν παρ' αὐτοῖς γὰρ ἱερωμένων πολλοὶ παλλακῆς τε ἔχουσι, καὶ τέκνα φανερώς ἐκ πορνείας, καὶ προδήλως ἐν τοῖς χαμαιτυπείοις εἰσέρχονται, καὶ πορνεύουσιν ἀναίδως, καὶ ἱερουργεῖν οὐ κωλύονται. Καὶ οἱ λαϊκοὶ δὲ τούτων κατὰ τόπους λαμβάνουσι παλλακῆς, καὶ ἀνερυθριάστως πορνεύουσι, μὴ λογιζόμενοι τοῦτο ἀκαθαρσίαν εἶναι καὶ ἁμαρτίαν. — *Dialogus contra haereses*, c. XX, col. 105.

ac pollutionem tempore somni peractam censent, nec non crimine carere arbitrantur¹⁾).

51. De iuramento haud recte sentiunt, nequaquam vetitum id arbitrati, eoque contra praecepta Evangelii in futilissimis negotiis abutuntur²⁾).

52. Periuria facile committunt³⁾).

53. Fatum censent cuiuslibet hominis mortem provocasse⁴⁾).

54. Integrum est eis canes, ursos aliaque immunda animalia in ecclesias introducere⁵⁾).

55. Laici una cum canibus cibum sumunt; traduntque illis patellas scatellasque lingendas, in iisdemque cibos ministrant⁶⁾).

56. Purgamenta tangunt, nec a sordibus prohibentur, ut videntur multi. In ea quibus cibos parant vasa maculatas tunicas et feminalia immittunt⁷⁾).

57. Membrorum superflua quibus foedantur ad labia osque admovent⁸⁾).

58. Dicitur quosdam ex eis per speciem bonae valetudinis sua urini lavari. Interdum ex ea bibunt, quo nihil execrabilius⁹⁾).

59. Aiunt in paradisum ingredi quotquot in bellis occiduntur, quamvis ob scelera pugnando ceciderint¹⁰⁾).

60. Graecorum piissimos bogomilos appellitant iisque religiosos praedicant Armenios, eosque peiores aestimant Hebraeis ac Mahumetanis¹¹⁾).

1) Ἱερατικοὶ τινες παρ' αὐτοῖς πορνεύοντες, ἐν τῇ εἰσδέχεσθαι τὴν ἐρωμένην νυκτός, ἀφώνως καὶ ἀθεάτως ὑπὸ τὸ ἐφάπλωμα τὸ ἐπὶ τῆς κλίνης, οὐ πορνεῖαν, ἀλλ' ὄναρ τοῦτο κρίνουσι καὶ ἐνουπνιασμόν, καὶ ἀνεύθυνον ὄϊονται. — COTELERIUS, t. III, p. 500, n. XXV.

2) Τὸν ὅρκον ἀκόλυτον τελείως ἤγγουνται, καὶ εἰς φαυλοτάτας ὑποθέσεις αὐτῆ καταχρῶνται. — Ib., p. 495, n. V.

3) Καὶ τὰς ἐπιτορκίας οὐδὲ μικρὸν υποστέλλονται. — Ib., p. 495, n. VI.

4) Ὅποῖοι ἂν τις θανάτῃ παρ' αὐτοῖς πέσοι, τὸ βιζικὸν αὐτοῦ αἰτιῶνται, βαρβάρως οὕτω τὴν τήχην ὀνομάζοντες καὶ τὸ εἰμαρμένον καὶ πεπρωμένον. — *Cod. mon.* 256, f. 78; HERGENRÖTHER, t. III, p. 825, n. 35.

5) Ἀκόλυτον παρ' αὐτοῖς τὸ εἰσάγειν ἐν τοῖς ναοῖς κύνας, ἄρκους, καὶ τοιαῦτα ἄλλα ζῷα ἀνάθαρτα. — COTELERIUS, t. III, p. 503, n. XLI.

6) Συνεσθίουσιν οἱ κοσμικοὶ τοῖς κισί, καὶ ἐκιδιδάσκει τούτοις ἐκλείπειν τὰ τῶν αὐτῶν τραπέζης ὀψοδόχα τρύβλια· καὶ αἰθίς ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἑαυτοῖς δειπνον ποιοῦνται τρυβλίων. — Ib., p. 505, n. LIII.

7) Καὶ τῶν περιτωμάτων αὐτῶν ἄπτονται, καὶ οὖρον ἀπογέθονται, ὡς εἶδον πολλοὶ . . . Ἐν τούτοις (τὰ τῆς τροφῆς ἐνεργούσι σκεύεσιν), καὶ τοὺς μεμολυμένους χιτῶνας καὶ τὰς ἀναξυρίδας εἰσάγουσιν. — SYMEON, *Dialogus*, c. XX, col. 105.

8) Τὰ ἐκ τῶν μελῶν αὐτῶν περιπτώματα ἐξ ὧν καὶ ὁ μολυσμὸς, προσφέρουσι (φεῖ') αὐτῶν τοῖς χεῖλεσι καὶ τῇ στόματι. — SYMEON, *loc. cit.*, col. 105.

9) Λέγεται ὅτι τινὲς αὐτῶν προσφάσει σωματικῆς εὐεξίας, τὸ ἑαυτῶν οὖρον νίπτονται· ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐξ αὐτοῦ πίνουσιν· οὐ τί γένοιτ' ἂν βδελυρότερον; COTELERIUS, t. III, p. 506, n. LV.

10) Τοὺς ἐξ αὐτῶν ἐν πολέμοις κτεινομένους σεσημαμένους δοξάζουσι καὶ κατ' εὐθὺ λέγουσιν ἐλάθειν κατὰ παραδείσου, κἄν διὰ πλεονεξίαν, ἢ μιαιφονίαν, ἢ τινα κακίας ἐτέρας ὑπερβολῆν μαχόμενοι ἔπεσον. — Ib., p. 504, n. XLIV.

11) Τοὺς εἰσεβεστάτους τῶν Γραικῶν Βογομίλους καλοῦσι, καὶ τούτων εἰσεβεστέτους, τοὺς Ἀρμενίους, οὓς καὶ ἰνγσίως στέργουσι· καὶ πού καὶ Ἑβραίων καὶ Σαρακηνῶν χείρονας ἡμῶς βλασφημοῦσι. — Ib., p. 503, n. XLII.

61. Hebraeorum vetus Testamentum impie venerantur¹⁾.

62. Huc pertinent etiam criminationes quae continentur in libello, qui inscribitur "Όσα έποίησαν εν τή άρία Κ. μετά τήν άλωσιν²⁾".

d) Complura denique scriptores byzantini sphalmata deprehendunt de auctoritate et ratione agendi Romanorum Pontificum romanaeque hierarchiae.

63. Iam inde a Photii temporibus primatus Romani Pontificis negabatur³⁾. Tamen pauciores controversiae quam de Filioque, extitere de primatu Romani Pontificis, quem vel scriptores byzantini Latinis infensissimi luculenter interdum agnoverunt. Prae ceteris audiatur Symeon Thessalonicensis: Omnium Ecclesiarum princeps est sedes romana: veritatem enim non abscondimus: nam volebamus eius principatum agnoscere, si tantum orthodoxae fidei characterem servavisset intemeratum⁴⁾. Latinis, qui primatum romanum astruunt, contradicere opus non est, neque id laedit Ecclesiam. Ostendant tantummodo in Petri fide et illius successorum eum persistere: et habeat sibi Petri omnia, et primus sit, et vertex, et caput omnium et supremus antistes; id enim de patriarchis romanis, qui pro tempore fuerunt, scriptum est; et apostolicus hic thronus, et qui in eo insidet Pontifex, rectam fidem tenens successor dicitur Petri, *nullusque recte sentientium et loquentium oppositum affirmabit*⁵⁾. „Quemadmodum, ait Symeon Thessalonicensis, negato Christo, Petrus iam Petrus non est, nec apostolus, neque primus, ita nec is qui Papa dicitur, iam erit Papa, cum non habeat Petri fidem, quam trina confessione, utpote diligens, signavit Petrus, postquam ter negavisset⁶⁾. Consequitur romanae sedis iura graecos quosdam scriptores odio in Latinos innutritos haud reiecisse: ea tamen ad tempus abolita declarasse ob romanorum Pontificum a sincera Petri fide defectionem. Primatus tamen romanus, potius quam illud Filioque schisma genuit

¹⁾ Και τήν παλαιάν και νομικήν βίβλον. εν χειράι φερομένον Έβραίων. σεβασμώς προσκυνούσι και περιπέτουσιναι. — Ib., n. XLII.

²⁾ Cf. Bessarione a. XV, p. 309.

³⁾ Bessarione a. XV, p. 7—8.

⁴⁾ Πρώτη πάντων τελούση (sedes Romana). Οδ γάρ κηρόττομεν τήν άλήθειαν, έπει και πρώτην έβουλόμεθα. και έποθομεν έχειν αυτήν. ει τον χαρακτήρα της όρθοδοξου πίστεως, μόνον άκηλίδωτον διατήρει. — Loc. cit., P. G., t. CLV, col. 100.

⁵⁾ Το λέγειν Λατίνοισ προΰταν'είναι τον Έρώμη, αντιλέγειν ουκ άναγκαίον, ουδέ παραβλάπτον τοϋτο τήν Έκκλησίαν έστι. Δειξάτωσαν μόνον αυτόν εν τή πίστει όντα τοϋ Πέτρου και των διαδόχων τοϋ Πέτρου και πάντα έχέτω τά τοϋ Πέτρου, και πρώτος έστω και κορυφή και κεφαλή πάντων, και άκρος άρχιερέυς. Και γάρ τοϋτο περι των κατά καιροϋς πατριαρχών Έρώμη γέγραπται. και άποστολικός σϋτος ο θρόνος, και ο επ' αυτόν της όρθοδοξίας έχόμενος άρχιερέυς διάδοχος λέγεται τοϋ Πέτρου: και ουδέις των όρθά φρονούντων τε και λεγόντων επι τοϋτοις άντερει. — Ib., col. 120.

⁶⁾ Και ώσπερ ου Πέτρος ο Πέτρος, ουδ' άπόστολος. ουδέ πρώτος τον Χριστόν άρνησάμενος, ουδ' ο λεγόμενος Πάππας έσται Πάππας ποτέ, μη τήν πίστιν έχων τοϋ Πέτρου ή τριτη ήμολογία, ως άγαπών ο Πέτρος έσφράγισεν. έπει τρίς έξηγήσατο, — *Dialogus contra haeres.*, c. XXIII, col. 121.

aluitque, ex quo praesertim nomen romani Pontificis e diptychis abrasum est¹⁾, eiusque in posterum ne mentio iniceretur pro viribus obstitere clerus populusque byzantinus²⁾.

Praeterea hisce in capitibus docent Romanos Pontifices innovasse:

64. Petro eiusque successoribus qui azyma obtulere, eos iniuriam intulisse³⁾.

65. Romani Pontifices non sancti Petri successores, sed Petrum ipsum se et dicunt, et credunt, ac fere supra Petrum sese deificant, seipsos totius orbis christiani dominos iactantes⁴⁾.

66. Contendunt romanam Ecclesiam catholicam esse apostolicamque, unam cunctas complectentem, ac Romanum Pontificem cunctos continentem, et subesse ei omnes Christi oves omnesque christianos ad placita romanae Sedis profitenda pertrahere nituntur⁵⁾.

67. Nefarie agitur a Latinis in novi Pontificis electione. Novus Pontifex, electus a Synodo, adducitur ad cadaver defuncti praedecessoris, huiusque iners manus collo illius imponitur; hicce ritus censetur eiusdem unctio et consecratio. Pontifex ita consecratus funera persolvit suo praedecessori, ac munia pontificalia ut legitimus Papa obit⁶⁾.

68. Suo lubitu Romanus Pontifex futurorum iuramentorum violationem permittit, ac poenas ob hoc crimen solvendas condonat⁷⁾.

69. Papa remittit etiam homicidia, ceteraque peccata, tam futura quam praeterita, suisque subditis sternit viam ad prava perpetranda: insu per, quod magis risum movet, indulgentias, quas vocant, ad tres annos vel plures aut pauciores, largitur. Hoc idem peragunt ad peccata quae tempore iam praeterito commissa fuere. Huiusmodi largitio indulgentiarum legibus ecclesiasticis haud san-

1) Πώς και κατά τίναν τρόπον ἐχωρίσθησαν ἀπ' ἡμῶν οἱ λατίνοι καὶ ἐξεβλήθησαν τῶν πρωτείων καὶ τῶν διπτύχων. — HERGENRÖTHER, *Monumenta*, p. 154—163.

2) ACROPOLITA, *Annales*, c. XVII, P. G., t. CXL, col. 1028-32.

3) Ἄξυμια προσφέρουσι, καὶ συκοφαντοῦσι τὸν τάχα καὶ αὐτοῖς αἰδέσιμον μέγαν Πέτρον, καὶ διάδοχον αὐτοῦ, ὡς ταῦτα παραδιδόντα αὐτοῖς. — COTELERIUS, t. III, p. 496, n. VIII.

4) Τὸν Πάπαν, οὐ διάδοχον τοῦ ἁγίου Πέτρου, ἀλλὰ τὸν Πέτρον αὐτόν, καὶ λέγουσι καὶ πιστεύουσι, καὶ ὑπὲρ τὸν Πέτρον θεοποιοῦσι σχεδὸν κήριον αὐτὸν χριστιανότητος ἀπάσης ἀνακηρύττοντες. — *Ib.*, t. III, p. 501, n. XXXII.

5) Λέγουσιν αὐτὴν τὴν Ἐκκλησίαν τῆς Ῥώμης, εἶναι τὴν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν μίαν περιεκτικὴν ἅπασιν, καὶ ἓνα συνεκτικὸν τῶν ἁπάντων ἀρχιερέων, τὸν Πάπαν, ὡς Πέτρον ἓνα, καὶ ὑπ' αὐτὸν πάντα τὰ πρόβατα τοῦ Χριστοῦ· καὶ πάντα χριστιανὸν ἐλκουσιν εἰς ἐνώμιστον τοῦτον ὁμολογίαν. — *Ib.*, n. XXXIII.

6) Ὁ διάδοχος τοῦ τελευταίου Πάπα, οὕτω καθίσταται. Ἐκλέγονται τοῦτον ἢ κατ' αὐτοῦς σύνοδος, καὶ προσάγουσι τῇ νεκρῇ λειψάνῃ τὸν ζῶντα καὶ λαβόντες τοῦ ἀναισθητοῦ τὴν χεῖρα, ἐπιτιθέασιν τῇ τραχήλῳ τοῦ ἐν αἰσθήσει· καὶ τοῦτο χρεῖον τοῦ διαδόχου καὶ τελείωσιν ἡγγηται· καὶ οὗτος πρῶτος εὐθὺς ἐπὶ τῇ κηδεῖα ἱερουργεῖ τοῦ χριστοῦ νεκροῦ, καὶ εἰς τὸ ἐξῆς εὐχριστότατος καὶ κραταίως ἀρχιερατεῖται. — *Ib.*, p. 498, n. XVI.

7) Ὁ Πάπας αὐτοῖς συγχωρεῖ αὐτοῖς μελλόντων ἔργων παράβασιν, καὶ τὴν ἐπὶ ταύτῃ κατάκρισιν. — *Ib.*, p. 496, n. VI.

citur: sed Romani Pontifices eam invenerunt ut muneribus ac nummis fidelium, qui inutilem hanc suorum peccatorum veniam receperunt, ditentur¹⁾).

70. Papa et praesules latini delectantur christianorum caedibus, ac salutiferos appellant qui eas patrant²⁾).

71. Papa eiusque episcopi ciderim gestant, palliumque induunt quod mulieres deceat, nec non paludamenta sericis filis contenta variisque coloribus picta, gerunt etiam chirothecas tempore celebrationis sacrae liturgiae³⁾).

72. Episcopus qui digni habentur depositione Romanus Pontifex propriae relinquit censurae: immo saepe maiore episcopatu eos donat⁴⁾).

Criminationes theologiae byzantinae in romanam Ecclesiam, qua fieri potuit sinceritate ex graecis fontibus percensuimus. Ut rite animadvertit Hergenröther, in eis consarcinandis pro lubitu Graeci dogmata, ritus, ecclesiasticaeque disciplinae statuta commiscuere.

Summa est autem tum graecorum, tum russorum scriptorum dissensio in capitibus controversis inter Graecos ac Latinos enumerandis. In epistula, quae Theodosii Pečerskii nomini addicitur, duodeviginti recensentur discrepantiae⁵⁾; undeviginti in epistula Metropolitanae Nicephori ad Jaroslavium Svjatopolkovičium⁶⁾; viginti in epistula eiusdem scriptoris ad Vladimirim Vsevolodovičium⁷⁾; viginti septem in Controversia cum Latino Georgii metropolitae⁸⁾. Ioannes Metropolitae permultis novitatibus ait Latinos indulsisse⁹⁾; ex eis tamen sex ut principales memorat¹⁰⁾.

1) Ὁ Πάπας καὶ τὸ τοῦτου ἀρχιερατικὸν συγχωροῦσι φόνους, ἐπιπορκίας καὶ λοιπὰς ἁμαρτίας τὰς εἰς τὸ μέλλον καὶ τὸν ἔμπροσθεν χρόνον; τοῖς δὴθεν συγκεχωρημένοις ἀνοίγοντες θύραν εἰς πᾶσαν ἄτοπον πράξιν. Καὶ τὸ ἔτι γελαιωδέστερον, ἐπὶ ῥητοῖς χρόνοις τοῖς μέλλουσι, διδάσκει τὴν συγχώρησιν, δυοὶ τυχόν, ἢ τρισὶν, ἢ μείζουσιν, ἢ ἐλάττωσι. τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ παρελθόντος παίξουσι, καὶ ὄρισμένον ἀφίσταν ἁμαρτημάτων, χρόνων, ἢ μηνῶν, ἢ ἡμερῶν. Οὐκ ἂν εἰπεῖν ἔχοντες ἐκ ποίων θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν τὰ τοιαῦτα παρέλαβον, εἰ μὴ ἐκ τῆς ποσότητος τῶν σταθμούντων πρὸς αὐτοὺς δώρων, παρὰ τῶν δεχομένων τὴν ἀνόνητον ἄφεισιν. — Ib., pp. 499—500, n. XXII.

2) Ταῖς σφαγαῖς τῶν χριστιανῶν ἐπευδοκοῦσιν οἱ τοῦτων ἀρχιερεῖς, καὶ μᾶλλον ὁ Πάπας, καὶ σωτηρίους τοὺς θρῶντας αὐτὰς ἀποφαίνονται. — Ib., p. 504, n. XLIII.

3) Ὁ Πάπας καὶ οἱ αὐτοῦ ἐπίσκοποι κίθαριν φοροῦσι, καὶ μανθίαν θηλυπρεπή.... Ἄλλ' οὐδὲ ἐκ τριχῶν ἢ τοῦτων ἱερατικὴ περιβολή.... ἐκ νημάτων δὲ σερικῶν καὶ πολυχρωμάτων φοροῦσι καὶ χειρόρτας, ἐν ἀμφοτέραις ἱερουργοῦντες. — Ib., n. XLV.

4) Τὸν ἁμαρτήσαντα ἐπὶ καθαιρέσει ἐπίσκοπον, καὶ ἐξομολογησάμενον, ἐπὶ τῆς οικείας ἐπιτιμίας ὁ Πάπας ἐξ· καὶ μείζονος δὲ πολλῆς αὐτὸν ἐπισκοπῆς ἀξιοῖ. — Ib., p. 501, n. XXXI.

5) О вѣрѣ хрестіанскоїи п о латыньскоїи (De fide christiana et latina), MACARIUS, Петорія русскоїи церкви (Historia russicae Ecclesiae, t. II, Petro-poli, 1889, p. 322—26.

6) MACARIUS, Ib., p. 341—349.

7) MACARIUS, t. II, p. 336—341.

8) MACARIUS, t. II, p. 332—336.

9) Πολλὰ γὰρ εἰσιν ἃ παρ' ὑμῶν ἐξῴθεν τῶν θείων καὶ ἱερῶν τομιμάται καὶ πράττεται. — PAVLOV, p. 173.

10) CELCOV, p. 104—109.

Ad sententiam Nicetae Seidi, triginta duo capita controversa Graecos a Latinis seiungunt¹⁾). Percensent alii quadraginta et unum²⁾, alii vero sexaginta³⁾. Eo tandem ventum est, ut Nilus patriarcha const. (1380—1388) declararet romanam Ecclesiam sescentas in haereses lapsam esse⁴⁾; Symeon Thessalonicensis (1410—1429) effutiverit Latinos omnia innovasse contra traditiones Apostolorum, Salvatorisque nostri, ac Patrum qui Apostolis successerunt⁵⁾; sesventa dissona christianis peragere⁶⁾; plurimis scandalis in Ecclesia dedisse ansam, quo factum est ut eorum communionem iure meritoque Graeci detestati sint⁷⁾; Georgius Scholarius Latinos appellat haereseon monstra⁸⁾ eosque suis novitatibus omnia in Ecclesia pessumdedisse incusat anonymus scriptor⁹⁾.

Non solum scriptores byzantini secum pugnant in latinis *erroribus* enumerandis, verum etiam alii alia tradunt cum decernunt quisnam inter eos maioris momenti sit aestimandus, potiorque extiterit causa perennitatis schismatis. Sed haec hactenus.

B

Venimus ad iudicia, quae Graeci de Latinis ferebant. Atque credi vix potest quot affluat theologia byzantina mediae quam vocant aetatis conviciis in Latinos contumeliosisque. Nihil inconcin-

1) Καὶ τούτων ἕτερα πλείονα, εἰς τριάκοντα καὶ δύο κεφάλαια ποιούμενα ἀκριβῶς. — PAVLOV, p. 188. Τριάκοντα δύο ἀριθμοῦνται τὰ πάντα, ἃ καὶ ἀληθῶς αἰτία τῆς μέσον ἡμῶν διαστάσεως. — ALLATIUS, *De Consensione*, col. 1112.

2) DOSITHEUS, *Τόμος Ἀγάπης*, Iassii, 1698, p. 13.

3) Τὰ αἰτιώματα τῆς λατινικῆς ἐκκλησίας, COTELERIUS, op. cit., tom. III, p. 495—509. Huius documenti textum alterum in pluribus ei dissonum, quem Cotelerius edidit, continet cod. graecus 256 bibliothecae mon., HARDT, *Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae regiae bavaricae*, t. III, Monachii 1806, p. 85—87.

4) Ἡ μὲν γὰρ τῆς Ῥώμης Ἐκκλησία πάλαι νεωτερίσασα περὶ τὴν ἀποστολικὴν καὶ πατρικὴν πίστιν, ὡσπερ εἰς ἑτέρας ἐνέπεσε μυρίας αἱρέσεις — MIKLOSICH et MÜLLER, *Acta patriarchatus const. (1315—1402) e codicibus manuscriptis bibliothecae palatinae vindobonensis*, t. II, Vindobonae, 1862, p. 34; HERGENRÖTHER, t. III, p. 820.

5) Πάντα ποιῶντες καινότερα καὶ παρὰ τὴν τῶν Ἀποστόλων καὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν παράδοσιν καὶ τῶν διαδόχων τῶν ἀποστόλων Πατέρων, — *Dialogus contra haereses. P. G.*, t. CLV, col. 104.

6) Μυρία χριστιανοῖς ἀνάρμοστα ἐνεργῶσι. — *Ib.*, col. 104. Ἐπὶ τούτῳ δὲ (illud Filioque), καὶ ἕτερα πλείστα παρὰ τὸ ἀνωθεν ἔθος τῆς Ἐκκλησίας κεκαινοτόμηται παρ' αὐτοῖς. μᾶλλον δὲ πάντα σχεδὸν τὰ τῆς Ἐκκλησίας. — *Ib.*, col. 101. Οὐ κατὰ πίστιν ἢ λατινικὴ καινοτομία σφάλλεται, ἐπεὶ κατὰ τοῦ ἱεροῦ κινεῖται σύμβολον τῆς πίστεως, ἀλλὰ καὶ κατὰ πάντων σχεδὸν τῶν ἔθων τε καὶ παραδόσεων τῆς ἱερᾶς Ἐκκλησίας. — *Ib.*, col. 141.

7) Ἡμῖν προσεκτέον τὴν πρὸς αὐτοὺς κοινωνίαν, μάλιστα δὲ γε καὶ ἐξαιρέτως διὰ τὴν μεγάλην ἐν τῇ πίστει καινοτομίαν, δι' ἣν καὶ πλείστα τὰ σκάνδαλα τῇ Ἐκκλησίᾳ γεγένηται. — *Ib.*, col. 117.

8) DOSITHEUS, *Τόμος ἀγάπης*, p. 18.

9) Οἱ πολυμηροὶ πρὸς τὰ θεῖα, οὕτω πάντα τὰ τῆς Ἐκκλησίας σχεδὸν ταῖς καινοτομίαις ἀνέτρεψαν, καὶ ἐπὶ τούτοις οὐ συνιῶσιν οὐδὲ ἐρυθριῶσιν, ἀδελφέ, φέρονται δὲ μᾶλλον κατὰ τῶν ζηλωτῶν τῆς Ἐκκλησίας τῆς ὀρθοδοξίας. — Κατὰ Δατίνων, *Ib.*, p. 565.

nus, strigosius, ineptius quam lutulentae theologorum byzantinorum doctrinam catholicae Ecclesiae adorientium obiurgationes. Latini appelluntur calumniatores acerbissimi; virorum clarissimo nomine qui florere insectatores; proditores veritatis; perperam ac falso locos Sacrarum Scripturarum explanantes pravumque in sensum detorquentes, rectaeque fidei dogmata deturpantes: incusantur sanctorum praeclaram famam albo dente mordere, ac sanae doctrinae nitorem obfuscare¹⁾. Romana impetitur Ecclesia ut Veteris Novique Testamenti corruptrix ab eaque veritates fidei, consuetudines liturgicas statutaque sacrae disciplinae mirum in modum violata vel novitatibus infecta esse decernitur²⁾.

De Latinis non verentur theologi byzantini fabulari eos naturae physicae aequae ac moralis vitiis laborare; aheneam, dixeris, cervicem gestare; ferox ostentare supercilium; levigatas genas, more adulescentium; dextram ad vulnera inferenda semper pronam: nares elatas ira aestuantes. In eorum oculis haud lucet sinceritas; os ad ingluviem dehiscit; conversatio est aspera atque invenustis rudis facetiis³⁾.

Ut Latinos invisos efficiant, frigidis salibus haud raro huiusmodi theologi suos inspergunt libellos. Latini perhibentur superbissimi, suisque in cogitatis pertinaces. Tanta est eorum impudentia, inquit Agallianus, ut res omnium in conspectu positas perfricta fronte denegent se videre. Nugatoria fabella haec criminatio vera ostenditur. Accidit ut Latinus quidam cum obviam iret Agalliano, ad solum ex recentibus fluviis luto aspersum prolaberetur. Ut hisce in rerum adiunctis fieri assolet, rogavit Agallianus: „Cecidistine, o Latine“. — „Minime, perbene valeo“, hic respondit, quamvis in luto volutatus⁴⁾. Traditur etiam Latinum septuagenarium Graeco percunctanti an senex esset, callide respondisse: „Iuvenis sum, septuagesimum agens annum“. Ancipiti hoc responso, ait Agallianus, latinus veterator senectutem, qua angebatur, haud

1) Οἱ βέβηλοι τὰς ψυχὰς, οἱ πικροὶ τοῦ ὄντος συκοφάνται, οἱ κατήγοροι τῶν ἐπαινετῶν, οἱ τῆς ἀληθείας προδόται, οἱ τοῦ ψεύδους προήγοροι, οἱ τῆς τοῦ Κυρίου θεολογίας παρεξηγηταί, οἱ τῶν ὁρθῶν δογμάτων ἀθετηταί, καὶ τῶν σχολιῶν ὑψηγηταί, οἱ τῶν ἁγίων διάβολοι. — AGALLIANUS (Theodorus), Διάλογος μοναχοῦ τινος κατὰ Λατίνων. Τόμος χαρᾶς, p. 614.

2) Καθεστηκεν ἡ λατινικὴ Ἐκκλησία πᾶσαν τὴν παλαιὰν καὶ τὴν καινὴν ἀνασκευάσασα. Ἐξένα δόγματα καὶ ἔθη τοῖς λόγοις ἢ τε θεολογία ταύτης, παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου παράδοσιν καὶ ἐν τῇ συμβόλῃ προσθήκῃ, καὶ ἡ τῆς ἱεροτελεστίας μεταποίησις, καὶ τὰ ἔθη, ἃ παρὰ τὴν καθολικὴν παρατήρησιν διαπράττει, καὶ παραδίδωσιν. — Ib., p. 620.

3) Ὁ χαλκοῦς αὐχὴν, ἡ ἀλαζὼν φρήν, ἡ ὀρθὸς ὄφρυς, ἡ αἰεὶ ξυριῶσα καὶ νεανειουμένη παρεία, ἡ φιλαίματος δεξιὰ, ἡ ἀκροχολῶσα βίη, ὁ μετέωρος ὀφθαλμὸς, ἡ ἀπλειστός γνάθος, ἡ ἀστοργὸς γνώμη, ἡ τορὴ καὶ τραχαλὴ λαλιά. — Ib., p. 631.

4) Ἐτυχε παραδεῖνόντι μοι Λατίνος ἔμπροσθέν μου πορευόμενος, τοῖς δ' ἀπὸ τῶν κατ' ἐκείνου καιροῦ συμβάντων ἄμβρων πηλοῖς, συνέβη τὸν Λατίνον ὀλισθήσαντα πεσεῖν. Φαμένου δὲ μου, ὦ φράγκε, πέπτωκας, τοῦτον ἔτι τὸ τέλιματι κυλιόμενον φᾶναι ὀχί, ἴσταμαι καλῶς. — Ib., p. 631.

fassus est, atque importune sciscitantem aevum, quod iam traduxerat, celavit¹⁾).

Si Latini catholicam fidem, Graecis effutientibus, depravarunt, suaque maxima corrumpere perversione, dubium non est, ait Macarius Ancyranus, quin eis tantum illud sit schisma tribuendum, quod Graecos adegit ad romanam abiciendam Ecclesiam²⁾; dubium non est quin eos ut haereticos anathemate percellendi Graecos pietatem colentes manserit officium, eorumque dogmata detestandi vitandique, haud aliter atque gangraenam³⁾).

C

Talia iudicia de Latinis sequebatur etiam ratio agendi cum iis.

Omne cum Latinis commercium, omnis necessitudo reprobatur. Scriptor russus, cuius opella contra Latinos nomini Theodosii Pečerskii addicitur, principem Izjaslavum hortatur ut Latinorum horreat novitates. Consuetudines, mores, dogmata Latinorum toto pectore ei fugienda: piaculum ei foret suas filias nuptum dare Latinis, vel tolerare ut Latini ex eodem, quo ipse utitur, lance vel cyatho cibum potumve sumant, vel eorum obsonio vesci⁴⁾).

Graeci, tradit Matthaëus Vlastares, tenentur Latinos hospitio non accipere neque iis salutem dicere ne pravis eorum doctrinis operibusque assentiri videantur. Deum enim non habent, qui Christi placita firmo et sincero corde non profitentur, curctis haeresibus viam communien.es. Nefas igitur coniunctionem cum Latinis haberi, qui praecipua fidei dogmata novitatum errorumque sordibus infecerint⁵⁾).

¹⁾ Φύσει γάρ υπάρχουν οι ἀλαζόνες καὶ ἀγέρωχοι, καὶ τὸ σφῶν αὐτῶν ἐλάτωμα καὶ σφόδρα πρόδηλον ὄν, ὁμολογῆσαι οὐ καταδέχονται, ὡς καὶ ἀπὸ τούτου τοῦ ἀστείου ἔστι μαθεῖν. Ἡρετό τις ἐβδομηκοντούτην λατῖνον εἰ γέρων ἔστιν, ὃ δ' ἀπεκρίθη, οὐχί, ἐβδομήκοντα δὲ χρόνων νεανίας εἰμί. Δυσὶ γὰρ περιστοιχισθεὶς, τῇ τε μὴ καταδέχεσθαι τὸ κατατρώχον αὐτὸν γήρας συνειπεῖν, καὶ τὸ μὴ δύνασθαι τὸν ἀριθμὸν τῶν χρόνων κρύψαι, πρόδηλον ὄντα ἐπὶ τὴν νεανίαν ταύτην ἐξέδραμεν. — Ib., p. 631.

²⁾ Οἱ Λατῖνοι τῆς εὐθείας ἐκτραπέντες ὁδοῦ τῶν ἀγίων Πατέρων, καὶ τῇ ἰδιορρυθμίᾳ στοιχοῦντες, καὶ ταῖς οἰκθεῖν κεναῖς δόξαις καὶ παραδόσεσιν, καὶ ταῖς διὰ τοῦ ἀγίου πνεύματος τῶν θεῶν διδασκαλίαις μ. . . τὸ μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν σχίσμα οὐ αὐτοί, οὐχ ἡμεῖς αἴτιοι προσχαίροντές τε καὶ ἐρειδόμενοι. — Κατὰ Λατίνων, c. XCVII, Τόμος Καταλλαγῆς, Jassii, 1694, p. 168. . Ἀλλά γε καὶ αὐτοὶ Λατῖνοι εἰ βούλοιντο ὀρθῶς καὶ δικαίως τὰς ψήφους ἐπάγειν, δοίη τε αὐτοῖς ὁ Θεὸς δοκιμὸν νοῦν, οὐχ ἡμᾶς, ἀλλὰ σφᾶς αὐτοὺς εὐρήσουσιν αἰτίους τῶν μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν διαστάσεως καὶ ἀκοινωνησίας. — Ib., c. XCVIII, p. 172.

³⁾ Τὰ μὲν ἔκφυλα τῶν Λατίνων δόγματα ἀποβλέπεσθαι καὶ φεύγειν, ὡς γὰρ γεραιαν. ἐπίσημῃ δυνάμει χρεῖ. Ib., c. CII, p. 195.

⁴⁾ . . . Вѣрѣ же латыньствѣн не прелучагтесе. ни обѣчая ихъ держати, і комканы ихъ бѣгати, і всякаго ученія ихъ бѣгати, і порова ихъ гнушати, и блюсти своихъ дочери не давати за нихъ, ни у нихъ поимати, ни братати, ни поклонити, ни цѣловати его, ни съ нимъ изъ единаго судна ясти, ни пити, ни бранна ихъ приимати. MACARIUS, *Historia russicorum*. t. II., p. 322.

⁵⁾ Εἰ δὲ τοὺς κοινωνοῦντας μόνον ἑτεροδόξοις, εἰ καὶ τῆς ὑγιᾶς οὐ μεθίστανται δόξης οὐκ ἔπειτα δεῖν ὃ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος εὐθυνοῦν ἄνευ προσέσεσιν, πῶς οὐκ ἂν εἴη, δεῖνον καὶ τῆς αἰασοῦν ἀξιοῦν κοινωνίας τοὺς περὶ τὰ καιρία τῶν τῆς Ἐκκλησίας δογμάτων ἐληλετημένους ἐσφάλλου. θήραν ἀντὶ κοινωνίας πάσαις ἀνεωγότας αἰρέσεις. Τί

Ex principiis iuris canonici graeci Balsamon deducit Latinos a graecis Ecclesiis expellendos sacramentisque a graecis presbyteris confectis haud communiendos. „Qui non est mecum contra me est (inquit divinum Evangelium) et qui non colligit mecum dispergit. Quoniam igitur ante annos multos occidentalis Ecclesiae (Romae inquam) celebris conventus divisus est ab aliorum quattuor sanctorum Patriarcharum spirituali communionem et ad mores institutaque divertit a catholica Ecclesia, et ab orthodoxis aliena: quam ob causam nec Papa in divinis sacrificiationibus communi patriarchalium nominum relatione dignus habetur; non debet latinicum genus manu sacerdotali per divina et immaculata mysteria sanctificari, nisi deponat prius se a latinicis consuetudinibus et institutis abstenturum, et secundum canones instructus fuerit, et orthodoxis adaequatus“¹⁾.

Eidem sententiae suffragatus Vlastares inquit an liceat captivis latinis sacram synaxin per graecos presbyteros praeberi, atque haec decernit: „Necesse est ut Latini, qui nostris avent roborari sacramentis, azyma reiciant; carnibus sese abstineant prima quadragesimae hebdomada; symbolum recitent nullis alterationibus corruptum, ut concilia statuerunt. Sacris enim canonibus prohibetur quominus haereticis sacra detur communio, vel coniugii vinculo socientur orthodoxi cum eis qui orthodoxa dogmata nec retinent neque profitentur“²⁾. Tam Balsamon quam Matthaeus Vlastares mordicus tuentur cum Latinis conubium

δὲ ὁ τῆς βροντῆς υἱός, καὶ τῶν ὀρθῶν δογμάτων τῆς θεολογίας μυσταγωγός. Πᾶς ὁ παραβαλῶν φησί, καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ θεὸν οὐκ ἔχει. Καὶ εἴτις πρὸς ἡμᾶς ἔρχεται, καὶ ταύτην οὐ φέρει τὴν διδαχὴν, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε. Ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς. — Ἐκ τοῦ β' βιβλίου τοῦ „Βλασταρέως“ μέρη κατὰ Λατίνων. Τόμος Καταλλαγῆς, p. 451.

1) Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστὶ (τὸ θεῖον ἔφησεν Εὐαγγέλιον)· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει. Ἐπεὶ οὖν πρὸ χρόνων πολλῶν ἀπεσχίσθη τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας (τῆς Ῥώμης φαρμέν) τὸ περιώνυμον ἄθροισμα ἐκ τῆς τῶν ἐτέρων τεσσάρων ἀγίων πατριαρχῶν πνευματικῆς κοινωνίας, καὶ ἀπεσχονίσθη πρὸς ἔθνη καὶ δόγματα τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας καὶ τῶν ὀρθοδόξων ἀλλότρια. Διὰ γὰρ τοῦτο οὕτε ἐν ταῖς θείαις ἱεροτελεστείαις, κοινῆς τῶν πατριαρχικῶν ὀνομάτων ἀναφορᾶς ὁ πάπας ἡξίωται, οὐκ ὀφείλει γένος λατινικὸν ἐκ χειρὸς ἱερατικῆς διὰ τῶν θείων καὶ ἀχράντων μυστηρίων ἀγιάζεσθαι· εἰ μὴ κατάθῃται πρότερον ἀπέχεσθαι τῶν λατινικῶν δογμάτων τε καὶ συνθηθειῶν, καὶ κατὰ κανόνας κατηχηθῆ καὶ τοῖς ὀρθοδόξοις ἐξισωθῆ. — BALSAMON, *Responsa ad interrogationes canonice sanctissimi patriarchae Alexandriae domini Marci*, P. G., t. CXIX, col. 1047. Citatur hic locus a MARCO Ephesino in *Epistola*: Τοῖς ἀπανταχοῦ τῆς γῆς καὶ τῶν νήσων εὐρισκομένοις ὀρθοδόξοις, Τόμος ἀγάπης, pp. 583—584; P. G., t. CLX, coll. 164—65.

2) Πρότερον ἀποταξάτωσαν τοῖς ἄξιοις. Ἐν τούτοις γὰρ καὶ Ἰουδαῖος ἑορτάζει, καὶ τῇ πυκτοφαγίᾳ· παλαιὰ γὰρ καὶ τοῦτο ἁμαρτία, ἣ πρῶτος ἀπορραπίζει Πέτρος ὁ κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων διδασκων, ὡς λάχανα καὶ κρέα ἐσθίειν ἄψυχα δηλαδὴ καὶ ἀναίμα. Τοιαῦτα γὰρ τὰ σφαττόμενα, ὡσπερ τὰ πνιγόμενα ἔναίμα. Ἀνάλογον γὰρ τῆ ψυχῆ τὸ αἷμα. Ἀποσχέσθωσαν καὶ τῆς κατὰ τὴν τυροφάγον ἑβδομάδα κρεωφαγίας, ἐξομολογησάσθωσαν καὶ ἱερομοναχοὶ πιστοῖς, καὶ ὁμογενέσιν ἡμῖν. Πρὸ πάντων δὲ καὶ ἐπὶ πᾶσιν ὁμνύτωσαν τὴν παρακαταθήκην φυλάττειν τοῦ ἀγίου συμβόλου ἀπαραποίητον οἷαν ἦτε πρώτη σύνοδος ἡ ἐν Νικαίᾳ, καὶ ἡ δευτέρα, καὶ αἱ λοιπαὶ καθ' ἑξῆς ἐκδεδώκασι. καὶ τότε τῆς ἀγίας κοινωνίας ἀπολαύτωσαν. — *Ib.*, p. 453.

Graecis haud ineundum¹⁾. Latinos a graecis arcendos ecclesiis, eisque inhibendum quominus pro Graecorum pueris compatrium munere fungantur²⁾. Haec enim concessa ut ait Vlastares, falso cuiquam in animo inducerent parvum discrimen Graecos a Latinis avertere nec non utriusque generis fidem aequè probandam³⁾.

Haud satis tamen arbitrati sunt scriptores graeci feiventiore odio in Latinos invecti hosce suis e templis expellere, eisque vel in captivitate constitutis solacia religionis christianae denegare. Ultra fas ac nefas progressi, in eam tandem devenerunt sententiam, ut edicerent baptismum latinum ut invalidum renovandum, ac Latinos christianis haud adscribendos⁴⁾. Quo factum est ut vesani quidam clerici byzantini sacro baptismate iterum latinos pueros, perinde ac si baptizati non essent, eluerent⁵⁾. Non desunt tamen qui hanc rationem agendi detestati eam censoria virgula signarint statuerintque Latinos qui graeca in castra sese reciperent, unctione chrismatis tantum egere ut graecae Ecclesiae

1) Οὔτε ἐν ταῖς εὐχαῖς συγκοινωνοῦμεν αὐτοῖς. οὔτε ἐν τῇ κατὰ σάρκα συναφεῖα συνιστῶμεν γάμοις. — Ib., p. 454. — Κατὰ τὸν παρόντα κανόνα, ὡς ἔοικεν ἀναγκάζει τὸ μέρος τῆς Ἐκκλησίας τοὺς Λατίνους ἐξόμνυσθαι θέλοντας γυναῖκας λαβεῖν ἐκ τῆς Ῥωμανίας. — BALSAMON, *In can. XIV conc. Chalce.*, P. G., t. CXXXVII, col. 440; t. CXIX, col. 1273.

2) Ἐπεὶ γοῦν Λατίνοι οὐ διὰ μικρὸν, ἀλλὰ διὰ πλάτος μέγα καὶ δυσδιεξίτητον ἐκ τῆς τῶν ὀρθοδόξων Ἐκκλησίας ἀπεξενώθησαν, πάντως οὐδὲ χάριν ἀναδοχῆς παιδῶν πνευματικῶν μεσιτευομένης δι' ἁγίων εὐχῶν καὶ ἁγιασμάτων πολλῶν ἡμῖν συγκοινωνήσουσιν, ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἀκοινωνησίᾳ κατακριθῶμεν. — BALSAMON, P. G., t. CXIX, col. 1065.

3) Εἰ δὲ που καὶ τῶν Λατίνων ἐπίους ὄρωντες ἐπὶ τοὺς θεοὺς εἰσιόντας ναοὺς σὺν ἡμῖν τε ἰσταμένους εὐχαριμένοις ἐσθ' ἔτε, καὶ ψάλλουσιν, ἢ καὶ τὴν ἱεράν τελοῦσι μυσταγωγίαν, καὶ τοῦτο πλάνον ἐνήκεν αὐτῶ μικρὸν ἢ οὐδὲν οἶσθαι ὃ περὶ τὴν πίστιν ἡμᾶς τῶν Λατίνων διέστησιν. — I. c. p. 454.

4) Callistus I, patriarcha const. (1350—54; 1355—63) in litteris ad patriarcham bulgarum Tirnovi invalidum declarat baptismum more Latinorum collatum: Τὸ δὲ δὴ βαπτίζειν τοὺς ἱερεῖς τῶν Βουλγάρων εἰς μίαν κατάδυσιν καὶ περιρραντίζειν αὐτοὺς, ὡς ἔτυχεν, ἕδατι ἐστὶ πρᾶγμα ἀσπώτατον καὶ δυσσεβείας ἀνάμεστον· ἢ γὰρ διάταξις τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ πανευφύμων ἀποστόλων καὶ οἱ ἱεροὶ τούτων κανόνες πάντας τοὺς βαπτιζομένους εἰς μίαν κατάδυσιν, ὡς μὴ βαπτισθέντας κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος παράδοσιν ἀναβαπτίζεσθαι παρακαλεῖονται. — MIKLOSICH et MÜLLER, *Acta Patriarchatus constant.* t. I, p. 441 (doc. CLXXXVI). Tunc temporis sedem patriarchalem tirnoviensem regebat, ut GOLUBINSKIJ conicit, Theodosius II. († 1362 iuxta Sergium Vladimiriensem), Краткіи очеркъ исторіи православныхъ церквей болгарскої, сербскої и румынскої (Parvum specimen historiae ecclesiarum orthodoxarum bulgaricae, serbicae et valachicae), Mosquae, 1871, p. 84. Textum slavicum vitae huiusce patriarchae a Callisto const. exaratae edidit Bodjanskij et Daskalov: Жизнь и жизнь преподобнаго отца нашего Θεοδοσία, иже въ Терновѣ постничествовавшаго, ученика суща блаженнаго Григорія Синаита, списано святѣйшимъ патриархомъ Константина града, Кирѣ Каллистомъ, Чтенія ондр., 1860, t. I, n. III, p. 1—23. Vide PHILARETUM (Cernigoviensem), Святые южныхъ славянѣ (Sancti Slavorum meridionalium), Petropoli, 1894, pp. 53—59.

5) Testem habemus ODONEM de Diogilo: „Audivimus scelus eorum morte luendum, quia quotiescumque nostrorum conubia contrahunt, antequam convenient, eum qui romano more baptizatus est, rebaptizant“. — P. L., t. CLXXXV, col. 1220. — Concilium lateranense IV, anno 1215 congregatum, haec eadem testatur: „Licet Graecos in diebus nostris ad oboedientiam sedis apostolicae revertentes fovere et honorare velimus, mores ac

suum nomen darent¹⁾. Vel infestissimus Latinis Macarius Ancyranus disertis verbis semel atque iterum hanc sententiam tuitus est²⁾.

D

Restat, ut quid inde efficiatur, paucis comprehendam.

Clerus byzantinus pro eo, ut concordiam animorum foveret, iram sui gregis in Latinos concitabat ac diris criminationibus calumniisque romanam discerpebat Ecclesiam. In quibus nihil reperitur quod nobiliorem scientiae speciem portendat. Explanatibus commentariisque fere omnes carent. Argumenta, quibus propositae criminationes fulciantur, frustra in eis requires. Cunctis verborum ornamentis detractis, huiusmodi elenchi vel eisdem plane locutionibus veteres Caerularii criminationes renovant, vel eas appendiculis producant, vel novis ac saepe ridendis calumniis adaugent. Ut ait Celcov, in hisce antiquioris polemicae documentis signum Caerularii appositum quasi conspicitur: negotiosa tamen res foret, ni dicam humanis viribus altior, accuratius determinare quidnam in unoquoque elencho singuli scriptores suo e penu deprompserint, ac vetustioribus documentis appinxerint³⁾. Tenet idem scriptor hanc litteraturam polemicam ditissimam ferri, si scriptionum copia perpendatur, quas complectitur: si theologica tamen argumenta in eis discussa consideraveris, palam tibi fiet

ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quae periculum generant animarum, et ecclesiasticae derogant honestati. Postquam enim Graecorum Ecclesia cum quibusdam complicitibus ac fautoribus suis ab oboedientia sedis apostolicae se subtraxit: in tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, quod inter alia quae in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tanquam per hoc inquinata lavissent. Baptizatos etiam a Latinis, et ipsi Graeci rebaptizare ausu temerario praesumebant; et adhuc sicut accepimus quidam agere hoc non verentur. — MANSI, t. XXII, coll. 990—991. Mirum igitur non est hisce Graecorum probris affectos Latinos, ut ait Odo, iudicasse Graecos non esse christianos, caedesque illorum pro nihilo duxisse et a praedis ac rapinis difficiliter revocari potuisse. — P. L., t. CLXXXV, col. 1220.

¹⁾ Ad quaestionem „Baptizandine Latini“, Nilus archiepiscopus rhodius (saeculo XIV) respondet eos sacro tantum chrismate perungendos: Μόρω χρίσι και ευχάς μόνον. — ALMAZOV, Непзданные канонические отвѣты конст. патриарха Луки Христоверга и митрополита родоскаго Нила, Записки athenaei imperialis odessensis, t. XCI, 1903, pp. 435—436.

²⁾ Ἐπει γάρ τοὺς ἀπὸ Λατίνων πρὸς τὴν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν ἐπιστρέφοντας, μετὰ τὸν τοῦ σφετέρου δόγματος ἀναθεματισμὸν, καὶ μὴ μὲν χρίσθαι ἐδικαίωσαν οἱ ἀπὸ γε τῆς ἀρχῆς τοῦ σχίσματος μέχρι καὶ τοῦ νῦν θεοφόροι καὶ ἅγιοι Πατέρες. — Op. cit., c. CXVIII, Τόμος καταλλαγῆς, p. 203. — Μετὰ καὶ γάρ τὸν τοῦ σφετέρου δόγματος ἀναθεματισμὸν, τῷ ἁγίῳ μὴ μὲν χρίουσι τοὺς Λατίνους οἱ καθ' ἡμᾶς ἱερωμένοι, τὸ τε μέτωπον αὐτῶν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς ἄνας, τὸ στόμα τε καὶ τὰ ὄτα. — Ib. p. 204.

³⁾ На всѣхъ ихъ лежитъ отпечатокъ перечня Михаила Керуларія, но опредѣлить, что именно въ каждомъ изъ такихъ перечней составляетъ оригинальное произведение какого-либо его автора едва ли возможно. — Op. cit., p. 103.

huiusmodi scriptiones summa laborare indigentia ad rerum pondus doctrinaeque praestantiam quod attinet¹⁾.

Insuper non mentiar, si dixerō superbiam in iis cum inscitia et pravitate animi de primatu contendere. Graeci scriptores videntur sibi fastigium attingisse in studiis theologicis, propterea quod concilia oecumenica intra limites byzantini imperii convocata erant²⁾. Inflatīs buccis suas magnifice extollunt traditiones ab Apostolis acceptas, ac Latinos eas odisse effutiunt, ignorantia, vel insolentia gloriae, aut invidiae stimulis adactos³⁾. Non desunt qui fabulentur Vandalos urbe potitos ad suas pravas consuetudines Romanos allexisse, nb iisque profluxisse Latinorum novitates, quae utramque scindunt Ecclesiam⁴⁾.

In capitibus controversis recensendis, odio tantum, scriptoribus orthodoxis fatentibus, Graeci indulgent⁵⁾; ea memorant, non tamen ad eorum significationem explanandam aggrediuntur; principia quibus utimur in rebus methodo scientifica pertractandis, penitus oblitentur⁶⁾. Satis habetur omnes Latinorum consuetudines, quas Graeci consuetudinibus suis haud consonas depre-

1) Полеми́ческая противулатинская литература XIII вѣка, конечно, можетъ быть названа богатою по своему объему, но никакъ не по содержанию. — *Ib.* p. 112.

2) Οὐχὶ πᾶσα αἴρεσις ὑπ' αὐτῶν (τῶν Γραικῶν) ἀνηρέθη; Οὐχὶ πᾶσαι αἱ ἀγίαί καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι ὑπ' αὐτῶν συνεκροτήθησαν; — ARSENIUS (episcopus), Николая Гидрунтскаго игумена греческаго монастыря въ Казулахъ, три записи о собесѣдованіяхъ Грековъ съ латинянами по поводу разностей въ вѣрѣ и обычаяхъ церковныхъ (Nicolai Hidruntini, ἡγουμένου graeci monasterii apud Casulam tres scriptiones de colloquiis Graecorum cum Latinis, circa discrepantias in fide consuetudinibusque ecclesiasticis), Novogrodii, 1896, pag. 13. De Nicolao Hidruntino plura tradiderunt ALLATIUS, *De Consensione.* coll. 703—705; DEMETRACOPULOS, *Ορθόδοξος Ἑλλάς*, pp. 34—35.

3) Ὅρας, ὅτι πολλὰ κρατεῖ ἡ τῶν Γραικῶν Ἐκκλησία ἀγράφως κατὰ μόνην τὴν τῶν ἀποστόλων παράδοσιν εὐαπόδεκτα πέλοντα. ἅτινα ἡμεῖς Λατίνοι βδελυττόμενοι ἀποστρέφετε, ἢ κενοδοξία ἢ ἀγνωσία τοῦτο ποιοῦντες. ἢ φθόνῳ τέως κινούμενοι μισεῖσθε. οὕς ἀγαπᾶν μᾶλλον ἔδει. — *Ib.*, p. 15.

4) Οἱ Οὐανδαλοὶ τῆς Ῥώμης ἐπικρατήσαντες καὶ κυριαρχήσαντες ὑμῶν, πρὸς τὰ σφῶν ἔθνη καὶ ὑμᾶς μετεποίησαν, καὶ πάντα ὅσα νῦν ἐλαττώματα ἔχετε, διαιροῦντα ὑμᾶς ἀφ' ἡμῶν, καθὼς ἐξεπαίδευσαν. — NICETAS SEIDUS, *Λόγος σχεδιασθεὶς πρὸς τοὺς Ρωμαίους, καὶ δύο ταῦτα ἀποδείκνων, ὅτι τε αἰθεσιμώτερα τὰ νέα τῶν παλαιῶν, καὶ ἐπι ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ. ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἐκπορεύεται τὸ ἄγιον Πνεῦμα*, PAVLOV, *Κριτικαὶ οἰψίτες*, p. 187. Vide ALLATIUM, *De Consensione*, coll. 475—479; 1111—13. De Niceta Seido pauca tradit Demetracopulos, *Ὅρθ. Ἑλλάς*, p. 14. Haec eadem calumnia de Vandalis haereticis Latinorum magistris legitur apud Joannem, metropolitam claudiopolitanum: Καὶ ἔπερ ὕστερον ἐν τοῖς κατόπιν χρόνοις ἀπὸ τῶν Οὐανδάλων ἐλάβετε. τῶν οὕτω νῦν Νεμίτζων λεγομένων. ὡς τῆς Ῥώμης κυριευθείσης παρ' αὐτῶν, καὶ τοῦ ῥήγος ὑμῶν ἐπιτάττοντος, ὡς Ιουδαίζοντος. ἄπερ ἐπιτάξοι, ταῦτα καὶ μὴ βουλομένοις ποιεῖν πῶς παρὰ τοῦ Ἀποστόλου διασχρῖζεσθε λαβεῖν. — Περὶ τῶν ἁζύμων. PAVLOV, p. 189. De auctore agit DEMETRACOPULOS, pp. 29—30. Hicce scriptor sua argumenta saepe ad verbum ex Petro Antiocheno et Leone Achridano deprompsit, CELCOV, pp. 138—143.

5) LEBEDEV, p. 107.

6) Iuvabit meminisse Balsamonem, Romanum Pontificem tertium locum inter quinque Patriarchas tenere declarasse, propterea quod in hoc verbo κάραι. ubi litterae initiales quinque sedium patriarchalium coadunantur, tertia

hendunt, anathemate percellere, cachinnis obruere, maledictis appetere¹⁾. Dirissima in Latinos iacere argumentum habebatur vehementis patriae amoris et constantiae in fidei orthodoxae veritatibus tuendis. Exinde factum est ut vel modestissimis scientiarum postulatis haec polemica Graecos inter ac Latinos acta vix ac ne vix satisficiat²⁾. Perperam Latinis tribuuntur ridicula aut ficta crimina: haereseos nota consuetudinibus liturgicis inuritur, quae nullum in fide ponunt inter utramque Ecclesiam discrimen. Iuvat etiam verba Stevarti recitare, qui tot falsas criminationes iure stomachatus, vehementer eas carpit: „Vanitas graecanica satis superque patescit ex sexaginta capitibus, quae excrisimus eo consilio, ut omnes intelligant, quibus mendaciorum portentis, Graecorum scriptores imperitum vulgus a Latinis, atque adeo a sede Petri abalienarint. Nam pleraque ex iis, quae supra diximus capitibus, vel sunt manifesta mendacia, vel criminationes, vel ritus adiaphori, quos pro varietate nationum observare nullum penitus sit piaculum. Quodsi capita quaedam veritatis quidpiam interspersum habent, id tamen vel malitia, vel ex inscitia, tot admixtis pseudologiis, obscuratur, ut vix nisi a valde attento deprehendi queat... Haec omnia putida sunt commenta, ab istis eo ingenio conficta, quo hodie nostri novatores catholicos infinitis mendaciis onerant eo solum fine, ut plebem sibi obnoxiam reddant, et a Pontifice Romano Petrique ovili ad sua porcilia traducant³⁾).

Mitiore stylo suos criminationum elenchos scriptores russos composuisse, pro comperto habetur. Una excipitur epistola, quae falso Theodosii Pečerskii nomini addicitur, quaeque vehementissimo in Latinos imbitur odio. Ex byzantinis fontibus res suis in elenchis contentas scriptores russi hauserunt⁴⁾. Dubitare

littera Roma designaretur: Καὶ χάρις τῶν κατὰ πάσαν τὴν οἰκουμένην ἀγίων Ἐκκλησιῶν, τοῦ Θεοῦ δικαίως καλούμενοι, διαφορὰν ἀνθρωπίνην οὐ πάσχουσιν, οὐδὲ κατὰ μικρολόγους ὁ πάππς Ῥώμης ὕρισπαθεῖ, ὅτι αὐτὸς μὲν διὰ τοῦ Ρ στοιχείου τρίτος τῆ θέσεως τῶν γραμμάτων καταστοιχείωται, ὁ δὲ Κωνστ. διὰ τοῦ Κ τιμᾶται καὶ προτερέβεται. — Μελέτη χάριν τῶν πατριαρχικῶν προνομιῶν. *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 1016.

1) Въ ученую полемику вносятся совершенно не научный принципъ: всякая разность eo ipso есть или погрѣбность, или заблужденіе. — *CELCOV*, p. 323.

2) *Ib.*, p. 324.

3) *Maxima bibliotheca Patrum*, t. XXVII, Lugduni, 1677, p. 473. Capita controversa inter Graecos et Latinos recensent etiam Balsamon, Ἐξήγησις τῶν ἱερῶν καὶ θείων κανόνων. *P. G.* t. CXXXVII, coll. 164; 440; 798—9; 112; 752; 1400; MACARIUS (Ancyranus), Κατὰ Λατίνων, Τόμος καταλλαχῆς. Iassii, 1694, pp. 195—98; VLASTARES, Ἐκ τοῦ βιβλίου β' κατὰ Λατίνων, *Ib.*, pp. 441—444.

4) Что касается древне-русскихъ полемическихъ сочиненій, то они находятся въ полной зависимости отъ византийскихъ полемическихъ произведеній. — *CELCOV*, p. 143.

tamen videntur interdum de iis, quae graecis magistris affirmant¹). Pavlov tenet eos non latuisse discidium inter Graecos ac Latinos ex dogmaticis vel ritualibus discrepantiis haud manasse, sed ex plane diversa apud utrosque constitutionis ecclesiasticae indole, ex diversaque qua potiebantur auctoritate in utraque Ecclesia membra hierarchiae²). Apprime sciebant Russi in paucis, et quidem minoris momenti, Latinos a Graecis dissentire; sed cum ex graecis spuriisque fontibus hauserint tribus tantum idiomatis Latinos tolerare ut sacra peragerentur officia, slavicumque idioma proinde in liturgia oblitterandum, coeperunt fidem adhibere Graecorum calumniis, ac Latinos toto pectore aversari³).

Itaque inexpiabile odium exhalant confertissimi illi criminationum elenchi; porro idem odium spirant Graecorum de Latinis iudicia et praecepta. Atque ita haec vis odii labentibus annis exarsit, ut cunctos byzantinae gentis animos pervaserit⁴), eis-que, dixerim, adfixa permanserit. Motivis tam religiosis quam politicis adacti horrebant Graeci amicitiam cum Latinis exercere, eosque maiore execratione dignos habebant, quam sectatores Mahumeti⁵). Episcopus quidam Monasterii, quem Fridericus I (1152—1190) legatum misit ad Isaacum II Angelum (1185—1195) narrat se in ecclesia Sanctae Sophiae Nicetam II Muntanem (1187 ad 1190) audivisse in haec verba erumpentem: „Si graecus vir centum latinos in Terram Sanctam peregrinantes occidat, suorum

¹) In litteris Joannis metropolitae Russiae ad Clementem antipapam habetur: „Εὐ ἀληθῶς, ὡς ἠκούσαμεν. παρ' ὑμῖν πράττεται τὰ τοιαῦτα...“ PAVLOV, p. 185.

²) Не въ догматахъ и не въ обрядахъ состояло коренное ихъ различіе. а въ жизненныхъ основаніяхъ самой церковности, въ характерѣ іерархической власти и ея отношеніяхъ къ христіанскому обществу. Но это понимали у насъ уже въ XI вѣкѣ. — PAVLOV, p. 5.

³) *Ib.*, p. 5.

⁴) Ненависть къ латинянамъ превратилась, во времени лѳонской уніи, въ великую силу, живущую въ народѣ и двигавшую народъ. — Исторія попытокъ къ соединенію церкви греческой и латинской въ первые четыре вѣка по ихъ раздѣленіи (*Historia tentaminum pro reconciliandis Ecclesiis graeca et latina primis quattuor saeculis earum scissionis*), Petropoli, 1868, p. 118.

⁵) *Ib.*, pp. 111—112. Michael Anchiali in dialogo cum Emmanuele, ut verbis utar ALLATHI, *De Consensione*, col. 558, „impie asserit tyrannidi Turcarum, quam Latinorum haeticorum dominatui subdi“: „Εὐ κατὰ τι κοινωνοῦμεν τοῖς Ἰταλοῖς, τὰ μέγιστα ζημιούμεθα. ἐς αὐτὸ τὸ δόγμα λαβόντες τὸν κίνδυνον ἀνατρέχοντα κυριεῖαι δὲ μοῦ τις Ἀγαρηγὸς τὸ φαινόμενον καὶ μὴ μοι συντρέχει τὸ νοούμενον Ἰταλός. Τῷ μὲν γὰρ οὐχ ὁμογνωμῶ, κἀν ὑπόκειμαι. τοῦ δὲ ἐχώρισα, ὃν ἐκεῖνος ἀποδιώκει ἐνστερνισάμενος. — Διάλογος ὃν ἐποίησεν ὁ ἀγιώτατος καὶ σοφώτατος πατρ. Κ. κὺρ Μιχαήλ ὁ Ἀρχιάλου πρὸς τὸν πορφυρογέννητον βασιλέα κὺρ Μανουήλ τὸν Κομνηνὸν περὶ τῆς τῶν Λατίνων ὑποθέσεως, ὅτε πολλοὶ τῶν ὑπὸ τὸν πάπαν ἀρχιερέων καὶ ἐπισκόπων καὶ φρερίων εἰς τὴν Κ. κατέλαβον. τῶν Ἐκκλησιῶν ζητοῦντες τὴν ἔνωσιν καὶ μηδὲν τι ἕτερον ἀπὸ τῶν Γραικῶν ἀπαιτοῦντες, ἢ παραχωρῆσαι τῷ πάπῃ τῶν πρωτείων καὶ τῆς ἐκκλησίας, δοῦναι δὲ τὸ μνημόσυνον. LOPAREV, *Объ униатствѣ императора Мануила Комнина (De ὁνωτισμῷ imperatoris Manuelis Comneni, Vi Vrem.*, 1908, t. XIV, p. 353.

criminum veniam consequetur, etiamsi decem occiderit e suis concivibus“¹⁾).

Recte igitur monuit Barlaam: „Non tantum differentia dogmatum separat corda Graecorum ab Ecclesia romana, quantum odium quod intravit in animos eorum contra Latinos ex multis et magnis malis, quae per diversa tempora passi sunt Graeci a Latinis et adhuc patiuntur per singulos dies: quod odium nisi prius abiciatur ab eis, non poterit unio fieri“²⁾).

Remotissimos igitur Orientales fuisse a debita relatione ad Latinos et ad unitatem ecclesiae, satis apparet.

A. Palmieri.

Georgii Coressii, De processione Spiritus Sancti Dialogus in latinum a Georgio Križanič conversus editur et prooemio et notis instruitur.

Prooemium.

Georgius Coressius (*Γεώργιος Κορέσσιος*) ex nobili Byzantinae urbis familia, quae in insulam Chium emigraverat, in urbe metropolitana ipsius insulae lucem aspexit, altero dimidio saeculi XVI. Studiis vacavit in athenaeis paduano et pisauriensi. Huius postremae urbis in atheneo graecum professus est idioma, ad breve tamen tempus. Ut refert ANGELUS FABRONIUS, „anno 1609 Georgius Moschettius, et ipse graecus, locum dedit in athenaeo pisauriensi Georgio Coressio in Chio insula nato, qui in postulanda liberaliore mercede, quam quae sibi pendebatur, ea de se rettulit, quae non parum valuerent ad movendum principis animum. In his hominibus erat doctrina, nec moderata nec mitis, sed paulo as-

¹⁾ Graecis praesentibus et legatis nostris, monasteriensi episcopo, et suis collegis in ecclesia Sanctae Sophiae patriarcha const. publice praedicavit quod quicumque graecus centum peregrinos occideret, si decem Graecorum reatum incurrisset, indulgentiam consequeretur a Deo. — *Epistola Frederici imperatoris I ad Henricum regem Romanorum eius filium, De negotio Terrae Sanctae et quanta passus sit ab imp. const.*, MARTÈNE, *Veterum scriptorum et monumentorum historicorum, dogmaticorum, moralium, amplissima collectio*, t. I, Parisiis, 1724, col. 911; PICHLER, t. I, p. 297. Sedem monasteriensem id temporis tenebat Hermannus von Katzenellbogen (1174–1203) GAMS, *Series episcoporum Ecclesiae catholicae*. Ratisbonae, 1873, p. 295

²⁾ *Oratio pro unione*, P. G., t. CLV, col. 1336.

perior ac durior. Nosti graecorum mores contentionum cupidos, loquaces, prae fractos, et parum fideles¹⁾“.

Anno 1633, teste NECTARIO patriarcha hierosolymitano, ab Ecclesia constantinopolitana accersitus est, ut de controversiis fidei cum Antonio Legero, calvinianae haereseos praecone, ageret. Eodem teste, quae in hisce controversiis disceptata fuere, scripto mandavit, ut ex eis graeci pastores argumenta depromerent ad confodiendam haeresim calvinianam. Multa etiam scripsit ad transsubstantiationem, et sacrarum imaginum cultum, quae inedita in insula Chio asservabantur, quaeque prae manibus habuit Nectarius²⁾. Quo anno postremum obierit diem non satis constat. Ad sententiam NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI, mortem oppetiit anno 1641³⁾. Hanc tamen chronologiam a veritate aberrare rite demonstravit LEGRAND, eo quod reperiuntur in archivis litterae Coressii anno 1654 missae⁴⁾.

Hoc de eo eiusque scriptis iudicium fert praecitatus Nicolaus Comnenus Papadopoli: „Haud abnuerim scripta eius rudi stylo, ac ferreo quodam dicendi caractere deformia esse, contra quod solent nostri, dum vernacula lingua scribunt aut disserunt. Cum de dogmatibus quoque philosophatur, blaterare hominem, ac desipere usque ad delicias fatebere. At non caret ingenio, et facundus est, et eruditus, et in multa scriptorum graecorum lectione versatus, denique in iis etiam, quae delirat, acutus; atque ita quandoque subtilis, ut vel ipse Photianis fuerit suspectus. Hinc ab ipsis anathemate percussus sacrorum communione abstinuit se; unde factum, ut ad castra Latinorum iam senex transfugisse visus sit“⁵⁾.

¹⁾ *Historia academiae pisanae*, t. II, Pisis, 1792, p. 447—448.

²⁾ Γεώργιος μὲν γὰρ ὁ Κορέσσιος, ἀνὴρ σοφώτατος καὶ πολυμαθέστατος, καὶ θεολόγος τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, παρὰ τῆς ἐν Κ. ἱερᾶς συνόδου ἀπὸ Νίου μετεπέμπετο, καὶ τότε μὲν ἱκανῶς διελέχθη μετὰ τινος Ἀντωνίου Λεγγίου τῶν ἐκ τοῦ Λουθῆρου ὁπαδῶν· καὶ ἐγγράφους τὰς διαλέξεις ἐκείνας ποιήσαντες ἐκείσε, ταύτας λιπὼν τοῖς ἡμετέροις πρὸς ἀπολογία, ἐπανήλθεν οἴκαδε. Κᾶν τοῦτο αἰτίας εὐλόγου δραξάμενος ὁ ἀνὴρ, τοῖς συνταχθεῖσι αὐτῷ θεολογικοῖς βιβλίοις, πλείστους λόγους καὶ ἀποδείξεις κατὰ Λουθῆρου καὶ Καλουῖνου ἐγκατέμειξε, καὶ κατὰ τῶν ἐκείνου δογματῶν πολλὴν τὴν σπουδὴν κατεβάλλετο, πλείστα συγγραψάμενος, περὶ τε τῶν ἱερῶν μυστηρίων, καὶ μετουσίωσης τοῦ ἁγίου ἄρτου, καὶ πραγματικῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας ἐν τούτῳ. Καὶ περὶ προορισμοῦ δὲ οὐκ ὀλίγα συνετάξατο, πρὸς ἀνατροπὴν τὴν δόξιν, ἣν περὶ τούτου Λουθηρο-Καλουῖνοι ἔχουσιν· Ἀλλὰ καὶ περὶ εἰκόνων, καὶ ἁγίων πρεσβείας πολλὰ διαλέγεσθαι· ὅλος γὰρ ἐγένετο τοῦ σκοποῦ τούτου, ἀνατρέψαι δηλαδὴ εὐσεβῶς πάντα τὰ ἐκείνων νεωτερίσματα. Σφίζονται δὲ καὶ φυλάττονται ἐν Χίῳ παρὰ τοῖς ἐκείνου ὀμιληταῖς ἅπαντα τὰ τούτου συγγράμματα, ἕθεν καὶ ἡμεῖς ταῦτα ἐπορισάμεθα. — NECTARIUS hierosolymitanus, *Adversus Galli Claudii contra Graecos iniurias et calumnias brevis responsio interrogantibus*, apud RENAUDOTIUM, *Gennadii Homiliae de Sacramento Eucharistiae... seu Appendix ad acta, quae circa Graecorum de Transsubstantiatione fidem relata sunt in opere de Perpetuitate Fidei*, Parisiis, 1709, p. 173—174.

³⁾ *Historia gymnasii patavini post ea, quae hactenus de illo scripta sunt, ad haec nostra tempora plenius, et emendatius deducta*, Venetiis, 1726, t. II, p. 296.

⁴⁾ *Bibliographie hellénique du XVII siècle*, t. III, Parisiis, 1895, p. 256.

⁵⁾ *Op. cit.*, t. II, p. 296.

Etiam acrius in eum invehitur ALLATIUS: „Georgius Coresius Chius, professione medicus, ingenio rudis et contumax, dictione barbarus, et loquens magis quam eloquens, pietate amphibius, religione ex schismate, Latinis per quos profecerat (Pisis namque studuit) improbus, cum dicto quotidie odium in eos acerrimum ostendat, et scripto etiam aliquando tam insignite iniuriam faciat; Graecis, quorum patrocinium videtur suscipere, cum schismatis venena evomat, eosque a recto veritatis tramite in profundum haereseos barathrum conetur abducere, parum fidus“¹⁾. Eum appellat medicum corruptorem animarum MATTHAEUS CARYOPHYLLUS: Κορέσιος ζῶν ἐν κάρῳ στείλει λόγους λαλῶν ἢ μὴ γνούς, ἱατρὸς ψυχροθύροσ. E contra scriptores orthodoxi summis eum laudibus extollunt, ut pulcherrimum germen, ac fragrantissimum florem chien-sis insulae: suis scriptis, ait Nectarius, acuit doctorum linguas, sapientes sapientiores efficit, confirmat orthodoxos, haereticorum acerbas infringit linguas²⁾. Dositheus hierosolymitanus eum praecipue laudat propterea quod Latinos acriter adortus est, ac fabulatur Iesuitas falsas litteras ei appinxisse, quibus inique Romanam Ecclesiam calumniatum se esse obtestatus esset³⁾.

Uberiora de Coresii vita scriptisque in tertio Nomenclatoris fasciculo trademus. In praesens satis habeo quae de processione Spiritus Sancti ab eodem conscripta sunt, vel typis evulgata, vel inedita meminisse:

a) *Διάλογοι περὶ τοῦ παναγίου καὶ ζωαρχικοῦ Πνεύματος, Inc. Ἐγκαίρως ἐμοὶ γε δοκεῖ. Reperiuntur in cod. Hierosol. 129.⁴⁾*

b) *Περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ κατὰ τῆς ἐν Φλωρεντία συνόδου, Cod. hierosol. 448. Inc. Ἐρχομένοις ἡμῶν τῆς προόδου περὶ τοῦ θείου.⁵⁾*

1) *De ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione*, Coloniae, 1648, col. 997.

2) Τὸ ὠραιότατον βλάστημα. τὸ ἄνθος τὸ εὐωδέστατον τῆς περιφήμου καὶ λαμπρᾶς πόλεως τῆς Χίου... Μετὰ τὰ συγγράμματά του καὶ μετὰ θάνατον τῶν διδασκάλων τὰς γλώσσας εἰκονίζει. τοὺς σοφοὺς σοφωτέρους κἀμναι, τοὺς ὀρθοδόξους ἐπιστηρίζει, τῶν αἰρετικῶν καταπαθεὶ τὰς γλωσσοαλίνας. — ΝΕΚΤΑΡΙΟΥ Ἱεροσολύμων ἐγκύκλιον εἰς Γεώργιον τὸν Κορέσιον ἐκδιδόμενον ὑπὸ Α. Παπαδοπούλου Κεραμέως. Δελτίον τῆς ἱστορικῆς καὶ ἐθνολογικῆς ἐταιρείας τῆς Ἑλλάδος, Athenis, 1890, t. III, p. 526—527.

3) Ἦν δὲ ἀντικείμενος εἰς ἄκρον τοῖς Λατινόφροσι, καθ' ὧν καὶ συνέγραψε πολλά. Οἱ Γεζουβίται ὅμως μετὰ τὸν θάνατον αὐτοῦ μὴ δυνάμενοι τοῖς συγγράμμασιν αὐτοῦ ἀντειπεῖν, ἐπλασαν ἐπιστολὴν τινα, ὡς τάχα ἐσχεδιασμένην, καὶ γεγραμμένην ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Κορεσίου, μαρτυροῦντος σφαλῆναι διὰ τὸ κατὰ Λατίνων γράψαι, οὕτως δὲθεν τῆς παπιστικῆς Ἐκκλησίας ἀληθοῦς Ἐκκλησίας, καταψευδόμενοι τοῦ ἀνδρός φανερώς, καὶ γὰρ ἕως τῶν ὅρων τῆς κομῆσεως αὐτοῦ οὐκ εἶπε τοιοῦτόν τι ἢ συγγενεὶ αὐτοῦ ἢ μαθητῇ ἢ ἄλλῳ τινὶ ὀρθοδόξῳ, ἀλλὰ σχεδὸν καὶ ψυχρορατῶν, κατέκρινε τὸν παπισμὸν. — Περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις πατριαρχευσάντων. Bucharestii, 1715, p. 1178—1179.

4) PAPANOPULO-KERAMEUS, Ἱεροσολυμιτικὴ Βιβλιοθήκη, t. I, Hierosolymae, 1891, p. 221.

5) Ibid., p. 428.

c) *Περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος*. Inc. Ἐπιτυχόν τι τοῖς σοῖς γράμμασιν. Reperitur in codice 252 bibliothecae constant. μετοχίου sanctissimi Sepulcri¹⁾.

d) *Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος πρὸς τὸν Γάλλον Λεονάρδον*, Citatur ab Allatio atque ab archimandrita Demetracopulo.²⁾

e) Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος. διορθωθὲν ἐν πολλοῖς καὶ διαφεθὲν εἰς κεφάλαια καὶ τμήματα παρὰ Δοσιθεοῦ Πατριάρχου Ἱεροσολύμων. Reperitur in sylloge, quam Dositheus hieros. inscripsit: *Τόμος καταλλαγῆς*, lassii, 1692, p. 276 ad 410. In ingenti hoc volumine Coressius doctrinam exponit catholicam illius Filioque eamque nititur refellere. Opus totum 22 capitibus continetur. Innumeros fere citat auctor theologos latinos, praecipue scholasticos, qui doctrinam catholicam tuiti sunt. Saepe saepius testimonium invocat Bellarmini, cuius argumenta convellere studet;³⁾

f) *Κυρίου Γεωργίου Κορεσσίου τοῦ Κίου* (sic), *Διάλεξις μετὰ τινος τῶν φράρων*. In 4^o, 9 paginae. Hoc opusculum reperitur in sylloge quadam scriptionum theologiarum graecarum, quam maxime rare in bibliothecis inveniri testatur LEGRAND: Livre de la plus grande rareté⁴⁾ Tenet Legrand haec opuscula typis edita esse Constantinopoli, sat probabili sententia anno 1627, in typographia, quam iussu Cyrilli Lucareos Nicodemus Metaxas urbem in illam attulerat.⁵⁾ Suspicitur MANUEL GEDEON hanc in praesens rarissimam syllogen alterum exhibere opus, quod ex typographia Nicodemi Metaxae in lucem prodiit. Primum enim opus videtur fuisse Tractatus contra Iudaeos (*Πραγματεία κατὰ Ἰουδαίων* ipsius Cyrilli Lucareos⁶⁾). Ut narrant scriptores orthodoxi hocce parvum volumen in tantam concitavit iram Iesuitas tunc temporis, ut technas omnes adhibuerint ad typographiam cyrillianam evertendam, suorumque votorum compotes facti sint.⁷⁾ Supervacaneum arbitror haec asserta per Cyrillum Lucarin evulgata nullis niti documentis.

De hoc dialogo pro suo quisque lubitu scriptores varia tulere iudicia. Opus insipiens atque infantissimum, eum vocat ALLATIUS;⁸⁾ insigne vero PROKOPOWICZ.⁹⁾ In eo, ut in enchiridio, statim patet scholasticam methodum apprime novisse auctorem. Difficile sane aggreditur thema, de modo scilicet pro-

¹⁾ Ibid., t. IV, Petropoli, 1899, p. 225.

²⁾ Ἡ ὁρθόδοξος Ἑλλάς, Lipsiae, 1872, p. 153.

³⁾ PALMIERI, *Dositeo, patriarca greco di Gerusalemme*, Florentiae, 1909, pag. 52.

⁴⁾ LEGRAND, op. cit., t. I, p. 242.

⁵⁾ DOSITHEUS hierosol. Op. cit., p. 1174.

⁶⁾ Περὶ τοῦ πρώτου ἐν Ἀνατολῇ τυπογραφείου. Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, 1880, t. I, p. 37.

⁷⁾ Ibid. p. 71—72.

⁸⁾ *De consensione* etc., col. 998.

⁹⁾ *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, Gothae, 1772, ad annum 1644.

cessionis Spiritus Sancti, ac de eius missione, utrum sit temporalis an aeterna. Obscure interdum evolvitur eius argumentatio quae principiis generalibus theologiae catholicae dilui potest. Illud praesertim censoria virgula notandum, quod auctor saepe nititur auctoritate Petri Lombardi, ex cuius scriptis varios depromit locos, perinde ac si hic pater theologiae scholasticae latinae osoribus illius Filioque adscribendus sit.

Ut iam adnotavi, textus graecus huius dialogi rarissime in bibliothecis reperitur. Adest Romae unum exemplar in bibliotheca casanatensi, Cod. miscell. 1349. Eiusdem versionem latinam concinnavit *Georgius Križanič* (Crisanius), celeberrimus ideae panslavisticae assertor (†1683), fideique catholicae apud Russos praedicator. De ipsius vita, quam nuperrime ex optimis fontibus enarravit cl. vir BĚLOKUROV, nihil in praesens dicendum.¹⁾ Meminisse tantum iuvat anno 1656 cum Romae degeret, Križaničium complura theologorum orthodoxorum scripta adversus Latinos in latinum transtulisse idioma, ex eisque composuisse ingens volumen, cui titulus: *Bibliotheca schismaticorum universa*, omnes schismaticorum libros impressos duobus tomis comprehendens. Primum huius operis volumen ineditum reperitur in Bibliotheca casanatensi, cod. 1597: de fatis alterius nihil scimus. Sat probabili coniectura ei manum haud admovit Križanič noster. Titulum syllogae, ac summaria evulgavit primum Jajgč:²⁾ ea iterum inseruimus in periodico romano Bessarione.³⁾ De auctore Dialogi haec habet in prooemio Križanič: „Georgius Coressius medicus Chiensis. Scripsit de processione exiguum dialogum; at non exiguum facit negotium. Vixit nostra aetate: vel adhuc vivit“. Versio quam concinnavit Križanič ad amussim sequitur textum originale: interdum serviliter, quo fit ut reperiantur etiam pronomina coniunctiva ad verbum latinum amor sese referentia generis feminini, eo quod verbum graecum ἀγάπη huiusce sit generis.

Dialogum Coressii paucis instruimus notis theologis, a controversiis polemicis omnino alienis. Argumentis ab eo in medium prolatis opponimus argumenta theologiae catholicae, ut commode queant utraque comparari. Dialogus in eo momentum habet quod prodit Georgium Coressium unaque cum eo scriptores orthodoxos saeculi XVII, inprimis Maximum Margunium, et Gabrielem Severum sedulam navasse operam studio theologiae scholasticae. Eadem sane ratione qua in Alba Russia sub dominatu polonico saeculo XVII theologi russi orthodoxi compulsandis latinis theologis incubuere, ita theologi graeci italicis in atheneis studiis litterariis

¹⁾ PALMIERI, *Un' opera polemica di Massimo il Greco, tradotta in latino da Giorgio Krijanitch*, Bessarione, 1912, series III, t. IX, p. 54—57.

²⁾ *Biografija Jurja Križaniča, koju je pisao BEZSONOV*, *Rad jugoslavenske akademije*, 1872, t. XVIII, p. 164—205.

³⁾ *Bessarione* loc. cit., p. 56—60.

ac theologicis vacantes theologiam latinam calluere, ac methodum scholasticam in suis disceptationibus usurparunt.

A. Palmieri.

Georgii Coressii Chii Colloquium cum quodam fratre.

Georgius. Optimum quidem esset concordantibus nobis proprium Ecclesiae finem sectari velle; iis rebus quae circa fidem tumultus cient male dicentibus, o doctor optime. At quoniam, hoc quidem non est, sed potius vestra sententia non solum subintellecta, verum etiam communibus principiis verae et sinceræ fidei opposita; non modicam inter utrosque Orientales videlicet et Occidentales¹⁾ differentiam intulit, et hinc multa malorum supernascuntur. Protenditur enim a nobis et concluditur simul in extrema incidere mala eos, qui firmiter consistunt in inconcussa catholicae fidei petra. Idcirco adesse me oportere ratus sum, istam talem singulariter redarguturus enunciationem; et demonstraturus insuper contra Deum magis eam esse, quam contra nos. Si proinde et tibi videbitur, discutiemus singula et examinabimus.

Frater. Manifesta sunt apud nos omnia, et inquisitione nulla indigere. Siquidem et sole clarius in divinis effulget Scripturis nostra de divina processione praedicatio. Et ratificatur magis eo quod Papam a veritate aberrare sit impossibile, et vel minimum transcendere limites fidei²⁾.

Georgius. Dupliciter, o pater reverendissime, respondisti ad meam quaestionem. Primo, quod vestrum de processione documentum ubique effulgeat in sanctis Patribus. Secundo, quod etiam auctoritatem magis habeat, eo quod impossibile sit papam a veritate deflectere. Ad primum ergo, illud nimirum et dico; quod tale quid etiam unusquisque propriae opinionis defensor dicit, et scripturalia suffuratur (*παρακλέπτει*) documenta, non potius sensui inhaerens, quam violentata litera: quod quidem a sincera longe

¹⁾ Communem scriptorum orthodoxorum sententiam tuetur Coressius, Latinos suis in fide novitatibus Ecclesiarum scissioni ansam dedisse. Hinc fit ut apud eos mos invaluerit volumina scissionis Ecclesiarum historiam pertractantia hisce verbis inscribendi: Отпадение западной Церкви отъ восточной (Defectio Ecclesiae occidentalis ab Ecclesia orientali). Opus IOANNIS, episcopi urbis Smolensk, Novočerkask, 1899. Idem fere est titulus, quem DEMETRAKOPULOS suae schismatis historiae appinxit: Ἱστορία τοῦ σχίσματος τῆς λατινικῆς Ἐκκλησίας ἀπὸ τῆς ὀρθοδόξου ἑλληνικῆς, Lipsiae, 1867.

²⁾ Hanc methodum pontificiae auctoritatis testimonium adhibendi ad controversias sedandas, quae rationibus theologicis historicisque ac traditionis oraculis solvi debent, interdum scriptores catholici eruditionis expertes secuti sunt. In eos acriter, recte tamen invehitur LEQUIEN, *Panoplia contra schisma Graecorum*, p. XIV—XXI. Controversia de processione Spiritus Sancti, ad sententiam dogmaticam Latinorum quod spectat, innumeris fulcitur testimoniis Traditionis, quae perpendere opus est, potius quam decreta Romanorum Pontificum dissidentibus orientalibus invisa in medium proferre.

abest theologia¹⁾. Ad secundum autem addam, quae decretum universalis sexti concilii edisserit: sunt autem haec: „Quoniam, non cessavit ab initio malitiae inventor, cooperatorem serpentem nactus, et per eum veneni feram humanae naturae asciscens mortem. Sic etiam nunc instrumenta ad propriam suam voluntatem inveniens idonea, Theodorum, inquit, olim Faranensem episcopum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, olim episcopos regnatricis huius urbis, insuper quoque et Honorium olim Papam senioris Romae, unam voluntatem et unam operationem, de duabus naturis Christi dicentes, et errorem inducentes Christi Ecclesiae²⁾, et reliqua. Intuere, pater bene, quae contra maledictum illum Honorium sextum concilium declaravit: papam quidem existentem, lapsum tamen in extremum impietatis gradum³⁾. Igitur non oportere infallibilem suspicari eum, qui fluidae subiacet naturae (ζευσιῆ ὑποκείμερον φύσει). Siquidem et Athanasius, similiter et divus Maximus, si putassent illi impossibile esse a veritate detorqueri, non utique longam suscepissent peregrinationem, emendationem illius plurimi aestimantes: seu potius, non tam illius, quam omnium occidentalium.

Sed redeundum est ad propositum, ex quo ambo deflectimus. Ego autem, quod praesens praetermitto, quod quatuor simul errare Patriarchas non sit possibile, qui et olim pietatem praedicarunt, et orbem illustrarunt, et nunc nihilominus paternis tenaciter inhaerere vestigiis (prout facile est perdiscere iis qui vacant sacris Patrum libris) et secundum nihil inferiores sunt Papa romano in dignitate; quamvis ille superior sit solo ordine secundum propriam ditionem. At quoniam omne quod quis vult demonstrare; ex claris ad obscura, et ex confessis atque communibus maximis ad ambiguas procedendo conclusiones (quippe quae potestate maxime continentur) cogitur probare, secundum simplicem ostensionem;

¹⁾ Hoc quod saepe saepius Latinis obicitur crimen de violentata Patrum littera, si paucis ex nostris agminibus theologis exprobrari potest (cf. LEQUIEN, op. cit., p. XIV—XV), a scriptoribus orthodoxis haud raro commissum est. Cf. LAEMMER, *Scriptorum Graeciae orthodoxae bibliotheca selecta*, t. I, Friburgi Brisgoviae, 1864, p. 14—79.

²⁾ En textum graecum huius anathematis in Honorium lati: Ἐπει οὖν ἐπάσασα ἀρχήθεν τῆς κακίας ὁ ἐφευρετὴς σὺνεργὸν τὸν ὄφιν εὐράμενος, καὶ δι' αὐτοῦ τὸν ἰσθμὸν τῆ ἀνθρωπεία φύσει προσαγόμενος θάνατον, οὕτω καὶ νῦν ὄργανα πρὸς τὴν οἰκείαν αὐτοῦ βούλησιν εὐρηκῶς ἐπιπέδηει. Θεόδωρόν φαμεν τὸν γενόμενον τῆς Φαράν ἐπίσκοπον, Σέργιον, Πύρρον, Πάλλον, Πέτρον τοὺς γενομένους προέδρους τῆς βασιλευούσης ταύτης πόλεως· ἔτι δὲ καὶ Ὀνώριον τὸν γενόμενον Πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. . . . τῷ τῆς Ἐκκλησίας πληρώματι τῆς πλάνης ἐπεγείρειν τὰ σκάνδαλα, ἐνὸς θελήματος καὶ μιᾶς ἐνεργείας ἐπὶ τῶν δύο φύσεων τοῦ ἐνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν τῷ ὀρθοδόξῳ λαῷ καινοφώνως ἐνσπείρας τὴν αἵρεσιν. — MANSI, *Conciliorum collectio*, t. XI, col. 636.

³⁾ Supervacaneum ducimus tritam iam controversiam de lapsu Honorii I Papae agere Obiectioni Coressii responderunt ab antiqua iam aetate scriptores byzantini Latinis addicti ut Manuel Callecas. Ad eam quod attinet, ditissimam tractationem eruditione scatentem reperies apud HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, t. III, 1, Parisiis, 1909, p. 347—364; 515—538.

eia igitur, et nos prae confessis quibusdam, ad aliquam conclusionem deveniamus¹⁾).

Frater. Fiat.

Georgius. Conceditur autem apud utrosque non oportere aliud quid dicere de incomprehensibili Trinitate, praeter Salvatoris divinam revelationem?

Frater. Conceditur.

Georgius. Concedis Spiritum ex Patre procedere secundum Scripturam?

Frater. Etiam, at non ex solo.

Georgius. Quid ais? Nonne reticentia repraesentant discretionem (*διέκρισιν*), aut frustra existit?

Frater. Minime.

Georgius. Ergo quod dicit Unigenitus, Ego a Patre exivi²⁾, nonne simul infert illud solo³⁾?

Frater. Coinfertur quidem solo, in eo quod dicit Christus: Ego ex Patre exivi: siquidem non dicitur Filius Spiritus Sancti, prout Nyssenus ait, neque est, neque dicitur⁴⁾).

Georgius. Concedo.

Frater. At Spiritus dicitur Filii. Est enim Spiritus veritatis. Veritas autem est Filius. Coattestatur meum sermonem Basilius (in tractatu contra Sabellianos et Arium), et Apostolus: Quoniam vero estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantes abba, pater⁵⁾).

Georgius. Est quidem Spiritus Filii, non tamen ex Filio. Coessentialis quippe est Filio, velut eiusdem communionis particeps cum Filio erga Patrem. Ergo dicitur Spiritus Filii, propter coessentialitatem. Coattestatur sermonem Basilius, et reliqua sanctorum sodalitas⁶⁾).

1) Satis obscure hunc locum vertit Križanič, quapropter textum graecum hic subnectimus: Ἄλλ' ἐπειδὴ πᾶν ὃ βούλεται τις δεῖξαι, ἐκ τῶν σαφῶν ἐπὶ τῇ ἀσασφῇ, καὶ τῶν ἐμολογουμένων καὶ κοινῶν ἀξιωμαίων ἐπὶ τὰ ἀμφίβολα προῶν συμπεράσματα (καὶ γὰρ δύναμις τοῖς ἀξιώμασιν ἐμπεριέχεται) κατεπίστυστο δεῖξαι κατὰ τὴν ἀπλῶς ἐπίδειξιν. — P. 2. Verbum ἀξίωμα potius verbo *principium* verendum est, ac δύναμις verbo *potentia*.

2) Io. VIII, 42.

3) Opus verbis non est ad infirmitatem huius argumenti declarandam. Iuxta Coressium reticentia sensu negativo explicanda est. Consequenter, cum in affirmanda processione Spiritus Sancti a Patre Sacra Scriptura taceat de Filio, Spiritus Sanctus a Filio non procedit. Canon hermeneuticus, qui statuitur a Coressio, omnino est arbitrarius.

4) Hanc thesim Nyssenus probat in libro II *contra Eunomium*, P. G. t. XLV, col. 557—560.

5) Gal. IV, 6.

6) Haec sententia dicentium Spiritum Sanctum vocari Filii Spiritum quatenus unius cum eo particeps sit essentiae, theologice multis illiditur scopulis. Retorqueri enim potest: Filius unius particeps est essentiae cum Spiritu Sancto: Ergo Filii etiam Spiritus Sancti dicendus.

Frater. Etiam Filius dicitur Patris propter coessentialitatem, sicut Gregorius in oratione de Filio explanat¹⁾.

Georgius. Ut sit coessentialitas praesupponit causam. Talia enim sunt relativa nomina, in quibus existentia cum cognatione manifestatur: quorum dicuntur, ex illis sunt, et coessentialia illis quorum dicuntur. Exempli gratia, germen radice, et genimen rami. Simul enim concipitur germen ex radice germinans, et genimen ex ramo esse. Tale quid videtur etiam in Spiritu Sancto, secundum quod dicitur producimen alicuius. Simul enim coinferitur ex aliquo produci; non ergo secundum quod dicitur ex spiritu alicuius. Adstruit enim cognatio, et non discretio. De qua re etiam ANSELMUS vester latine dicit: „Nullus intellectus capit Spiritum esse Patris et Filii, secundum quod alter est Pater, alter Filius; sed secundum quod uterque est idem Deus“. Manifestum ergo est etiam per vestrum Anselmum, quod dicitur Patris et Filii Spiritus, indicetur ex Patre et Filio produci. Producit enim Pater et Filius, ut unus Deus. Hoc autem et THOMAS in commentario contra graecos reprobatur: „Esset, enim, inquit Spiritus creatura, si Pater et Filius ut unus Deus producerent producimen“²⁾.

Frater. Ecce quaestionem quaero: tu vero mihi intelligenter responde. Quomodo dicitur Spiritus Filii et non vicissim? Et quomodo dicitur Spiritus Patris, et non convertenter? Quod reprobatur divus AUGUSTINUS in sermone de Spiritu Sancto: „Non enim dicimus, ait, Patrem Spiritus Sancti“.

Georgius. Ecce clare respondeo tibi. Vox Filius, secundum theologum GREGORIUM in oratione De Spiritu Sancto) si dicitur, alicuius oppositionem cum coessentialitate significat. Haec autem vox Spiritus habet post se etiam habitudinem externam, secundum quam non solum dicitur Patris et Filii, sed etiam sui ipsius, verum etiam ipsorum. Ergo Filius unam solam habitudinem habet, secundum quam manifestatur propria eius existentia. Spiritus autem duas habitudines habet. Unam interiorem, ut producimen, secundum quam dicitur discretive Patris; alteram ut donum, donantis donum.

Frater. Unde ostendis Spiritum dici sui ipsius, aut piorum?

Georgius. Ex multis Sacrae Scriptionis textibus ostendo. Ex quo patet, quod non indicetur habitudo processionis ex eo quod dicatur Spiritus alicuius. Non enim diceretur suus, neque filii, neque piorum; quoniam nec suum, neque Filii, neque piorum, producimen est. At neque Filius dicitur sui ipsius Filius, neque

¹⁾ Δοκεῖ γάρ μοι λέγεσθαι, Υἱὸς μὲν, ὅτι τὰ πάντων ἐστὶ τῷ Πατρὶ κατ' οὐσίαν. — *De Filio, orat. XXX (theol. IV), P. G., t. XXXVI, col. 128.*

¹⁾ *De processione Spiritus Sancti, c. XXI, P. L., t., CLVIII, col. 316.*

²⁾ Theologia catholica non docet Patrem et Filium spirare Spiritum Sanctum quatenus eadem sunt divina essentia, sed quatenus eiusdem participes sunt virtutis spiratricis, quae *principaliter* in Patre habetur, et a Patre Filio communicatur. Quidquid enim Patri habetur, Filius possidet praeter relationem paternitatis, qua a Patre personaliter, relative distinguitur Cf. FRANZELIN, *Examen doctrinae Macarii Bulgakov*, Prati, 1894, p. 212—216.

Spiritus Sancti, neque piorum, sed solum Patris: ex quo aeternaliter habet esse¹⁾). Similiter etiam producimen, non qua Patris, sed qua productoris²⁾).

Frater. Ostende ergo quod dicatur sui ipsius, et piorum.

Georgius. Quod quidem sanctissimus Spiritus dicatur piorum, nullus contradicet sermo. Etenim Nyssensium lumen GREGORIUS, exponens dictum illud: Videns idololatriae deditam civitatem, Spiritus Pauli incitabatur in ipso³⁾). „Hic erat, inquit, Spiritus Sanctus, quasi fluminis impetus in anima“. Sed et divus AUGUSTINUS in quaestione cuius initium, quomodo Pater ad Filium sit principium, sic dicit latine: „Quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit: itaque Spiritus Sanctus non tantum Patris et Filii qui dederunt, sed etiam noster dicitur, qui accepimus: sicut dicitur Domini salus, quia dat salutem: eadem quoque, nostra salus, qui accepimus“. Et inferius: „Cum scriptum est de Iohanne, quod in spiritu et virtute Heliae veniret, dictus est Heliae spiritus, scilicet Spiritus Sanctus, quem accepit Helias. Hoc et de Moyse intelligendum est, cum ait ei Dominus, Tollam de Spiritu tuo et dabo illis, hoc est, dabo illis De Spiritu Sancto, quem iam tibi dedi“.

Convenienter ergo dicitur Spiritus Filii quidem ut donum: quoniam ad dantem refertur. Dat autem etiam ipse semetipsum, et secundum hunc modum etiam procedit a semetipso, id est procedit, quo verbo vos utimini loco Procedere, communiter excipientes verbum, quod nos speciatim⁴⁾).

¹⁾ Haud dissimili argumento respondetur in theologia catholica obiectioni Graecorum. Filius est Filius Patris, quia aeternaliter a Patre suum habet esse: Spiritus Sanctus est Spiritus Filii quia aeternaliter a Filio suum habet esse, non tamen principaliter. Differentia in hoc sita est quod Filius solius Patris Filius est, dum Spiritus Sanctus est Spiritus Patris et Filii, a quibus procedit tanquam ab uno principio. Si vera est ratio qua Spiritus est Spiritus Patris quia aeternaliter ab eo procedit, vera etiam est ratio qua Spiritus est Spiritus Filii, quia ab eo per virtutem spiratricem a Patre communicatam aeternaliter procedit.

²⁾ Si ergo Spiritus Sanctus est producimen Patris, non qua Patris, consequitur Spiritum Sanctum etiam producimen esse Filii, quia quidquid habet Pater, praeter relationem qua Pater constituitur, ad Filium etiam pertinet. Pater enim in sanctissima Trinitate ut persona divina constituitur non quidem spiratione Spiritus Sancti, sed paternitate. Communicabilis igitur est illa; haec vero incommunicabilis.

³⁾ *Act. Ap.*, XVII, 16.

⁴⁾ Hic atque in illis quae sequuntur varios theologiae latinae conceptus mirum in modum, ac nimis involute permiscet Coressius. Totus est in eo ut ostendat missionem Spiritus Sancti a Filio non implicare processionem aeternam Spiritus Sancti a Filio. Spiritus Sanctus mittitur quidem a Filio ut donum; immo mittitur a seipso fidelium in animas. Si missio igitur externa temporalis, ait, ad Latinorum mentem, processionem aeternam ex parte mittentis includeret, Spiritus Sanctus a seipso aeternaliter procederet, sui-ipsius foret causa, quia a seipso mittitur. Filius enim aeternaliter procederet a Spiritu Sancto, quia legitur in Sacris Scripturis missus a Spiritu Sancto fuisse. Theologia catholica tenet missionem externam ac temporalem non solum distingui ab aeterna processione divinarum personarum, sed hanc

Frater. Nunquam sciebam ego, quod Spiritus procederet a semetipso, aut mitteretur, aut daretur.

Georgius. At ego tibi istud quoque ostendam. Omittens autem reliqua sanctorum testimonia, exhibebo tibi vestrum Petrum doctorem LOMBARDUM, dicentem huiusmodi in suo primo libro, distinctione 20: „Hic considerandum est cum Spiritus detur hominibus a Patre et Filio, quod est ipsum temporaliter procedere ab utroque, vel mitti: utrum etiam a seipso detur: si datur a se et procedit, vel mittitur a se. Et inferius¹⁾. „Nam processio temporalis Spiritus Sancti, vel missio ipsius est donatio, et ipsa Dei est operatio. Procedit ergo Spiritus Sanctus temporaliter a se, et mittitur a se. (Graeca horum interpretatio a Coresio his subiecta, nonnihil evariat; ait enim: Utrum etiam a seipso detur: si autem datur a se; ergo et procedit, et mittitur a se). Ergo habet esse a semetipso Spiritus Sanctus. At genus processionis duplex est. Unum interius, secundum quod dicitur producimen: alterum exterius, secundum quod dicitur donum. Et quoniam ad extra indivisibilis est operatio beatæ Trinitatis, et missio est operatio ad extra, communis est Patri et Filio et Spiritui Sancto²⁾. Quae non significatur ut existentia Spiritus, sed ut donatio. Praesubintelligitur autem existentia donationi: aliud enim est donum, et aliud est esse; et prius intelligitur quod donum est. Et secundum existentiam quidem absolute intelligitur, et solum Patrem productorem habet (ne pluralitas consequatur: quia enim actiones sunt suppositorum, ad intra operationes sunt divisae, ad extra vero indivisae) secundum donum autem habet donatorem, qua unus Deus est). Donum autem Spiritus, secundum donari dicitur, non secundum esse; sed secunda processio supponit primam.

praesupponere. Missio enim concipi nequit, nisi distinctio realis inter mittentem ac missum statuatur. Haec distinctio in eo sita est, ut mittens potentia praecellat misso, vel missus a mittente originem ducat. In divinis nefas esse statuere in una persona divina maiorem potentiam quam in altera. Conficitur inde personam quae in divinis mittitur a persona mittente distingui quatenus ab ea suam trahat originem. Hinc fit ut Pater, qui a nullo procedit nunquam missus dicatur in Sacris Scripturis ab altera persona divina. E contrario Filius, qui a Patre procedit, mittitur a Patre; et Spiritus Sanctus qui a Patre Filioque procedit, a Patre Filioque mittitur. Continentur sane in Sacris Scripturis loci quibus Filius exhibetur nobis ut a Spiritu Sancto missus. At Filius, ut iam animadvertit S. AUGUSTINUS, considerari potest quatenus est Verbum Dei aeternaliter genitum a Patre, vel quatenus est Verbum Dei humana carne indutum, *De Trinitate*, IV, 20, 27, P. L., t. XLII, col. 906. Ut verbum aeternaliter genitum, *ab illo mittitur de quo natum est*, *ibid.*, col. 907: ut verbum incarnatum mittitur etiam a Spiritu Sancto.

1) *Sententiarum lib. I.*, Dist. XV, 1, P. L., t. CXCII, col. 559.

2) Statutum est in theologia catholica Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio tum aeternaliter per spirationem, tum temporaliter per missionem. Temporalis enim processio et missio idem sonant: „Diligenter adnotandum est, ait PETRUS LOMBARDUS, quod gemina est processio Spiritus Sancti: aeterna videlicet, quae ineffabilis est, qua a Patre et Filio aeterna-

Frater. Hoc nullus sanctorum dicit. Neque enim naturale praesupponit personale, neque temporale praesupponit intemporale. Sed non mitteretur a Filio, nisi esset ex ipso. Sed etiam a seipso mittitur, non est etiam a seipso. Mittitur autem etiam Filius ex Patre.

Georgius. Mittitur, secundum incarnationem: hoc quidem concedo et ego. Prius quidem missus est, et deinde incarnatus est. Et praesubintelligitur missio incarnationi. Deus enim missus est, et factus est homo. Super quo et divus Anastasius. Nemo, inquit, minorem existimet Spiritum, quoniam mittitur ex Filio: et Filius enim mittitur ex Patre“. Vides quid dicat sacer ANASTASIUS in sermone de rectis documentis¹⁾. Est autem etiam de similibus ostensio. Hoc autem ostendit sumptum a propheta Isaia, dicente: „Et nunc Dominus misit me, et Spiritus eius“. En ergo argumentor: „Omnis operatio ad extra communis est toti Trinitati. Mitti Filium est operatio ad extra. Mitti ergo Filium commune est toti

liter et sine tempore processit; et temporalis qua a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam procedit, Et sicut ab aeterno communiter et simul procedit a Patre et Filio, ita et in tempore communiter et simul ab utroque procedit ad creaturam“. Op. cit., Dist. XIV, 1, P. L., t. CXCII, col. 557. At, potestne dici eum etiam a seipso temporaliter procedere, nimirum a seipso mitti? — Utique, dici potest, licet insolitus hic censeatur modus loquendi. Audiatur S. AUGUSTINUS: „Fortasse aliquis cogat, ut dicamus etiam a seipso missum esse Filium: quia ille Mariae conceptus et partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur. Et quomodo, inquit, Pater eum misit, si ipse se misit? Cui primum respondeo, quaerens, ut dicat, si potest, quomodo Pater eum sanctificavit, si se ipse sanctificavit... Item quaero, quomodo eum Pater tradidit, si se ipse tradidit? Credo, respondebit, si probe sapit, quia una voluntas est Patris et Filii, et inseparabilis operatio“ — *De Trinitate*, l. II, c. V, n. 9, P. L., t. XLII, col. 850. Eadem sane ratione non repugnat dicere Spiritum Sanctum mitti a seipso (processio temporalis) quatenus haec missio, quae libera est, actum voluntatis divinae praesupponit, et voluntas divina una est in Patre, et Filio et Spiritu Sancto. Ob identitatem actus voluntatis divini (inseparabilitas operationis) etiam persona missa *ad extra* quodammodo se mittit, quia vult in voluntate divina ut mittatur. Secus vero si agatur de processione *ad intra*, quae libera non est, quaeque consistit in origine unius personae ab alia. Haec tamen si non habeatur, missio et datio temporalis nequit concipi in divinis. Diserte S. THOMAS AQ. huiusce rei rationem explanat: „In ratione missionis duo importantur: quorum unum est habitudo missi ad eum, a quo mittitur: aliud est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur. Per hoc autem quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam missi a mittente: vel secundum imperium, vel secundum consilium, vel secundum originem. Ostenditur etiam habitudo ad terminum, ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat. *Sum. Theol.* I, q. XLIII, a. I. Haec necessitas praesuppositionis missionis aeternae (processio essentialis) missioni temporali quodammodo exprimitur in verbis Iesu Christi, aientis: Exivi a Patre (processio aeterna), et veni in mundum (processio temporalis) IO. XVI, 28. Quo fit ut apud Patres simul reperiat mentio processio aeternae et temporalis missionis Spiritus Sancti a Filio: ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπαρχον, καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν παρ' αὐτοῦ περιπέμπτον. Thesaur. Citatur a Cardinali FRANZELIN, *Tractatus de Deo Trino*. Romae, 1895, p. 434—435; HEINRICH, *Dogmatische Theologie*, t. IV, Moguntiae, 1885, p. 623—627.

¹⁾ *De nostris rectis dogmatibus veritatis*. or. I, P. G., t. LXXXIX, col. 1325.

²⁾ XLVIII, 16.

Trinitati. Maior est manifesta. Et DAMASCENUS quoque. „Omnis operatio ad extra (inquit), et omne id quod est propter aliquid, totius est deitatis“. Minor est perspicua, et non eget probatione¹⁾.

Frater. At alia est Filii missio, et alia Spiritus.

Georgius. Ergo, unde ostendis mitti Spiritum a Filio, idem esse quod procedere ab ipso? Idem enim facis quod conceditur, cum eo quod quaeritur. Nos enim probavimus, quod etiam Filius mittatur a semetipso, et sit suiipsius, ut asserunt Lombardus, et Robeus, Latine: „Spiritus Sanctus ad seipsum refertur²⁾“. Et quoniam ad seipsum refertur, est ipse suimet ipsius, et ex semet ipso procedit. Et secundum hoc AUGUSTINUS in homilia Bedae huiusmodi dicit, Latine: „Cum gratia Spiritus Sancti datur hominibus, mittitur Spiritus a Patre, mittitur a Filio: procedit a Patre, procedit a Filio: quia et eius missio est ipsa processio“³⁾. LOMBARDUS autem in hac explicatione, in primo suo libro, disserit latine: „His verbis aperte ostendit, donationem gratiae Spiritus Sancti, dici processionem. Sed cum datio non sit nisi temporalis, constat quod est processio temporalis⁴⁾. Tantum autem differt una ab altera, quantum differunt discreta ab unitis; et quantum alia quidem immobilia, alia autem mobilia, per communem et specialem essentiam. Et divus CYRILLUS, etiam in Thesauris ait: „Essentialis ratio trahit omnia Patris ad Filium, non per gratiam“. Et essentialis ergo Spiritus processio, et temporalis communis est Patri et Filio: quia essentialia sunt communia. Quoniam vero processionare non est essentiae proprium, et essentialis ratio trahit omnia Patris ad Filium, non datur Filio processionare: ne per gratiam habeat hoc Filius.

Frater. At quomodo procedens non mittitur a Filio? Mittit enim Filius Spiritum processionans: et siquidem processionat, mittit.

Georgius. Disparata, o pater, et incongruentia rebus disseris. Etenim sancti, qui dicunt Spiritum ex Filio prodire, et mitti, iidem contradicunt Spiritum ex Filio procedere. Dant etiam notis-

1) Hoc quidem a theologis catholicis statuitur: nihil tamen inde potest erui quod doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio infirmet. Audiat HEINRICH: „Seiner Menschheit nach kann man nämlich von Christus sagen, dass er, und zwar durch Befehl und Rath, von Gott und daher auch von jeder göttlichen Person, gesendet sei“. Op. cit., t. IV, p. 627. Sed extra incarnationem si dicatur improprie Filius mitti ad intra, haec missio innuit processionem aeternam Filii, et hoc sensu Filius non mittitur a tribus personis Sanctissimae Trinitatis sed a solo Patre.

2) En locum LOMBARDI: „Si quod datur refertur ad eum qui dat, et ad eum cui datur, et Spiritus Sanctus datur a seipso, ergo refertur ad se ipsum. — Dist. XVIII, 12, P. L., t. CXCII, col. 572. Quisnam sit hic Robeus nescimus. Fortasse alludit auctor ad Archangelum DE RUBEIS, canonicum lateranensem, qui anno 1621 Venetiis typis mandavit commentarios in Petrum Lombardum: *Super quattuor libros sententiarum lucidissimae distinctiones*, HURTER, *Nomenclator litterarius*, t. III, p. 137.

3) Reperitur hic locus in *Homilia (X) in dominica post ascensionem Domini*, venerabilis BEDAE, P. L., t. XCIV, col. 182.

4) *Lib. I Sententiarum*, Dist. XIV, P. L., t. CXCII, col. 557.

simam in fidei principiis regulam, incommunicabiles esse proprietates hypostasium, eo quod hypostasis sit incommunicabilis. Et rursus: Communicabiles essentiae proprietates, eo quod essentia sit communis. Quippe sicut incommunicabilis est persona, ita communicabilis est essentia¹⁾. Inter essentielles autem proprietates continetur etiam Filium mittere Spiritum, et ipsummet seipsum, et Patrem similiter mittere charismata, et naturam Spiritus. Et divus CYRILLUS in *Thesauris* dicit: „Quia vero Patris Spiritus, Spiritus videtur esse Filii, et Patre mittere sive distribuere promittente aliis, ipse distribuit rursus, ut proprium, Filius, propter identitatem essentiae, quam habet ad Patrem“, et cetera. Et alibi: „Cui ergo competit posse dispensare, nisi natura et vere existentia Deo?“ Hinc perspicua fit causa, propter quam mittit Filius Spiritum: quia scilicet coessentialis est Patri, et est Deus²⁾. Quae nimirum sunt communia etiam Spiritui.

Sed et Spiritus naturaliter mittit Filium, et ipsemet seipsum: quoniam operationes indivisibiles sunt ad extra. Et nemo dicet,

1) Theologia catholica iisdem utitur principiis quibus theologia orthodoxa: discrepantia reperitur in conclusionibus eruendis. „Incommunicabiles quidem sunt proprietates hypostaticae constitutivae: communicabiles proprietates essentielles“. In theologia orthodoxa spiratio activa: ἐκπορεύειν, censetur etiam proprietas constitutiva Patris, quapropter statuitur Spiritum S. ex solo Patre procedere. Theologia catholica contra reponit ab orthodoxis duplici proprietate constitutiva Patrem distingui: paternitate, et spiratione activa: consequeretur inde Patrem binas constituere personas. Si Pater constituitur in ratione Patris paternitate tantum, qua distinguitur realiter a Filio, spiratio activa non est amplius proprietas personalis constitutiva Patris, et quia omnia in divinis communia habentur, ubi non obstat relationis oppositio, virtus spirandi a Patre Filio communicatur. Haec communicatio si non fieret, Filius a Spiritu Sancto non amplius secerneretur. Cf. ea quae de hac re disseruimus in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IV, Parisiis, 1912, col. 815–816. Per transennam notamus non defuisse theologos scholasticos qui tenerent Spiritum Sanctum distingui a Filio etiam diverso modo procedendi a Patre, id est relatione quae ei propria sit, non quidem opposita relationi Filii sed disparata. Consequeretur inde, si per impossibile a Filio non procederet, ab eo tamen realiter distingueretur sua propria relatione quae est per voluntatem, dum relatio Filii est per intellectum. Haec tamen sententia, quam tutati sunt HENRICUS GANDAVENSIS et SCOTUS, (cf. PICCIRELLI, *De Deo uno et trino: disputationes theologicae*, Neapoli, 1902) obsoleta censetur in theologia catholica, quae docet Spiritum Sanctum realiter distingui a Filio propter solam relationem originis. Sententia Gandavensis et Scotistarum in hoc differt a sententia theologorum orthodoxorum, quod priores, praeter distinctionem realem inter Filium et Spiritum Sanctum ex differentia relationum procedentem statuebant etiam inter Filium et Spiritum Sanctum intercedere distinctionem relatione originis nixam, dum theologi orthodoxi distinctionem realem inter Patrem et Filium ex sola repetunt differentia relationum, cuius unicus fons est Pater.

2) Iuvat hic notare consubstantialitatem haud esse causam qua Spiritus Sanctus mittatur a Filio. Cum enim coessentialitas communis sit tribus personis divinis, si haec ratio esset ob quam una ab altera mittitur persona, etiam Pater mitteretur a Filio et Spiritu Sancto. E contrario, ut ait S. AUGUSTINUS, „solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit vel procedat. Et ideo non propter naturae diversitatem, quae in Trinitate nulla est, sed propter ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur missus“ *Contra sermonem Arianorum*, c. IV, n. 5, P. L., t. XLII, col. 686.

quod Spiritus mittat Filium, eo quod generet eum, sed inhaerebit paternis solis doctrinis, non praesupponentibus temporalia in-temporalibus, et ea quae sunt propter aliquid irrelativis et absolutis.

Frater. Spiritus dicitur Filii, sive ut coessentialis, sive ut donum, sive ut producimen. Si quidem primum, convertuntur. Si autem secundum, ergo si nos non fuissemus creati, nec ille diceretur Spiritus Filii. Ergo est tertium: propter absurdum.

Georgius. Et primum doctores Ecclesiae dicunt. BASILIUS in XIII ad Amphilochium: „Ut appropriatus per naturam illi“. Eiusdem: „Et quoniam dicens Spiritum, simul comprehendit confessione ista illum cuius est Spiritus: „Christi enim est, et illum ex quo est; ex patre enim est“. Et alibi: „Spiritus dicitur Filii ut coessentialis“. Et sexcenti Sanctorum hoc attestantur, ne sermonem protrahamus. Et secundum sancti dicunt. Divus ATHANASIUS in oratione de Spiritu Sancto: „Ergo, inquit, illi qui male de Filio sentiunt, male etiam intelligunt de Spiritu, qui ex Patre procedit, et Filii proprius existens, ab ipso datur Apostolis. Et DAMASCENUS, in oratione de Dei corporali sepulchro Domini: „Spiritus enim sanctus Dei et Patris procedens: qui et Filii quidem dicitur, ut per ipsum manifestatus, at non ex illo habens existentiam“. BASILIUS in III contra Eunomium: Ex Deo quidem Spiritum esse aperte praedicavit Apostolus, et per ipsum Filium apparuisse notum fecit, Filii Spiritum appellans ipsum“. Et rursus CYRILLUS: „Quomodo Spiritus non erit Deus, totam habens in semetipso Patris et Filii naturalem proprietatem, cuius et Spiritus est, per Filium naturae donatus“. Sunt autem etiam alia multa testimonia de hoc. En ergo clarificatum est, quod Spiritus sit et dicatur Filii, ut coessentialis, et ut donum¹⁾. Tertium autem nemo dicit.

Frater. Ergo remota nostra existentia, non diceretur Spiritus Filii?

Georgius. De iis quidem silere oportebat: interrogatione ita imminente tuae humanitati, et nihil praeter theologica dicta curiose scrutari. Verum et de hoc quoque dicendum: quoniam simile est hoc, ac si quis diceret, a motis creaturis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus non habent potentiam creativam. At habent et creare et condere semper, quamvis nunquam crearent. Et Spiritus ergo dupliciter dicitur Filii, ut habentis semper, et ut dantis. Sem-

¹⁾ Theologia catholica omnino reicit sententiam fere communem theologiae orthodoxae, processionem et missionem Spiritus Sancti a Filio, qua Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, referrī ad charismata Spiritus Sancti. Sacra enim Scriptura distinguit inter Spiritum Sanctum eiusque dona: „Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis“. Rom. V. 5. Haec sententia, quam strenue refellit FRANZELIN adversus Macarium, *Examen doctrinae Macarii*, p. 61—62, in errorem incideret pneumatomachorum, qui Spiritum Sanctum, ut meram ἐνέργειαν exteriorem, exhibent. HEINRICH, op. cit., t. IV, p. 245.

per autem habet, et quando vult dat¹⁾). Ergo etiam semper spiritus eius dicitur. Et secundum Augustinum, Spiritus non dicitur solum dantis, sed etiam accipientis. Semper autem habet eum a Patre Filius: ergo dicitur semper eius Spiritus, ut donum. Aliud enim significat donum, et aliud donatum. Et AUGUSTINUS in quodam sermone de Spiritu Sancto sic fatur latine: „Nam donum potest etiam antequam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest“.

Filius. Ergo si donum Spiritus dicitur Filii, et Filius mittit Spiritum, quomodo mittit?

Georgius. Qua Deus, non qua productor: et ut donum mittit spiritum connaturalem. Dicit autem etiam divus ANASTASIUS quod Apostolis quidem Spiritus coexistit participate, Filio autem essentialiter, et ut coessentialem mittit.

Frater. Intellexi responsionem ad quaestionem, quod Spiritus dicatur Filii, ut connaturalis et ut donum illius. Et quod non fiat conversio, propter singularitatem et duplicitatem relationum. Oportet enim relativa proprie reddi ad quae dicuntur. Et Filius ut dispensator Spiritus Sancti dicitur. Hoc quidem etiam divus BASILIUS dicit, quod dispensator Spiritus Filius. Haec quidem concedo. Non nego autem etiam dici, ut producimen: quoniam processio est amor mutuus, et generatio intelligentia. Duplex ergo species est processionis in divinis: una per modum intelligentiae: altera secundum voluntatem, altera secundum intellectum. Quippe Pater est mens, et intelligens semetipsum, efficit intelligentiam, quae est generatio. Est autem Filius ex solo Patre, et sic praecedat intellectus. Deinde vult mens intellectum, et intellectus mentem: et amat mens proprium fructum, proprium intellectum; et similiter intellectus mentem suam. Et sic apparet unus amor, ex amante et amato: qui est paraclitus Spiritus; et propterea dicitur Patris et Filii, et ut connaturalis, et ut donum: sed et nihilo minus velut mutuus quidam amor. —

Georgius. Quod quidem Spiritus dicatur Filii, ut connaturalis, et ut donum, per plura probatum est. Et divus AUGUSTINUS coattestatur cum aliis, clarius autem in sermone *τῶν Ἀναγκιστῶν*. in quo dicit: Sic ergo ut donum dicentes Patris et Filii, non possumus dicere et Patrem doni, aut Filium doni. Sed donum donatoris dicimus, et donatorem doni“. Et coelorum interpretes BASILIUS: „Filius, inquit, Spiritus Sancti dispensator, ad subsistentiam et formationem creaturae.

¹⁾ Haec verba, quae ad sua placita tuenda Coressius usurpat, compendium exhibent doctrinae theologiae catholicae. Relate ad Spiritum Sanctum, Filius sese habet ut accipiens, et ut dans. Accipit semper, dat quando vult, idest in tempore. Habet semper a Patre, et consequenter habet semper Spiritum a Patre per virtutem spirativam quae ei communicatur a Patre. Dat quando vult scilicet mittit Spiritum Sanctum in mundum ad efficienda opera gratiae. Haec missio tamen nequiret concipi, nisi prius Filius acciperet a Patre ut aeternaliter habeat Spiritum Sanctum a se procedentem per virtutem spirativam ei communicatam.

Unde autem inductum est in tuam theologiam, generationem vocasse intellectum, et voluntatem sive caritatem processionem¹⁾? Etenim nos novimus apud Deum et naturam et voluntatem. Et voluntatem quidem ad externa accipimus: „Quae enim, inquit, voluit, fecit“. Naturam autem ad interna. Et sicut nullus diceret ex natura Dei producta esse omnia, sic neque Filium dixerit quis, neque paraclitum Spiritum, ex voluntate Patris prodire²⁾. CYRILLUS enim in *The'sauris*: „Non ex volitione, inquit, Pater habet verbum, quod ex eius essentia prodiit, sed naturaliter. Si autem istud impium, non enim ex voluntate est Filii hypostasis, sicut neque Patris“. Et iterum idem. „Necessarium ergo est, ut ista quae tantam habent inter se differentiam, neque unum habeant principium. Sed illa quidem ut creaturae ex voluntate facta sunt: Filius autem, ut existens ipse voluntas, erat aeternaliter in Patre“. Sed et DAMASCENUS: „Opus divinae voluntatis creatura: opus autem divinae naturae, unigeniti et Spiritus Sancti hypostasis“.

At neque ex ista assumptione habes concludere, ex Filio Spiritum procedere. Vult enim et amat etiam Spiritus Filium: et amor est Filius, sicut et Spiritus³⁾. Et Apostolus: „Qui posuit nos, inquit, in regnum Filii caritatis suae.“

Frater. Dicta sanctorum postea discutiamus. Nunc autem dico quod caritas dupliciter intelligatur: ut amor, et ut divinus amor. Et secundum primum modum non notatur ut perfectio, neque per modum existendi, sed per modum speciei et passionis: est enim quasi quaedam cupido. Secundum alterum autem modum, qua divinus est amor, in quo omnis perfectio intelligitur specialiter, et notionaliter, in Spiritu est, et in Spiritus amore. Amant se invicem divinae personae, et ex illis prodit talis amor. Et sicut sapientia Filio, sapiens est Pater, quae producit ex ipso; ita

¹⁾ Perdifficilem hic agitatur quaestionem Coressius a theologis latinis propositam eamque male intellegit. Quaerit de processione Spiritus Sancti sitne per voluntatem, et sitne Spiritus Sanctus amor mutuus Patris et Filii. „Hic, ut ait card. FRANZELIN, demonstratio paulo difficilius est per deductionem ex testimoniis minus disertis unde aliqui theologo non reperientes Spiritum Sanctum in Scripturis exhibitum tanquam amorem, sicut Filius exhibetur ut Verbum, putant argumentum biblicum ad hoc restringi, ut ex processione Verbi per intellectum iam demonstrata, deducamus processionem Spiritus Sancti per voluntatem“. -- *Tractatus de Deo trino*, p. 362. Theorias scholasticas ad processionem Spiritus Sancti per voluntatem perpulchre exposuit De REGNON: *Etudes de théologie positive sur la Sainte Trinité*, t. II.

²⁾ Male intellexit Coressius doctrinam catholicam de processione per voluntatem, quasi Latini dicerent Filium et Spiritum Sanctum esse terminos externos volitionis divinae, scilicet creaturas. Exhibet intellectum et voluntatem divinam ut habentes tantum relationem ad extra, et relationibus ad intra, quarum termini necessario sunt essentiales, carentes.

³⁾ Essentialiter, Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt amor vel dilectio. Sed Spiritus Sanctus est amor personaliter, amor spiratus, et quatenus talis est, nequit dici Filium simul esse amorem spiratum. Esse cum amorem, et quidem personaliter uberrimis probant theologo catholico argumentis ex Sacra Scriptura Patrumque traditione depromptis. — FRANZELIN, *De Deo Trino*, p. 363—371.

amantur invicem divinae personae, Pater et Filius, mutuo suo amore, qui est Spiritus Sanctus.

Georgius. Audivi te tripliciter dividendum amorem. Unam (sic) in creatis, alteram (sic) in divinis, et hanc dupliciter. Aliam specialem, scilicet essentialem, aliam notionalem, scilicet (in textu, sicut) personalem. Et hac amari divinas personas. Et Patrem esse sapientem propria sapientia Filio. Ergo sapiens est Pater propria sapientia Filio?

Frater. Ita.

Georgius. Contra theologiam hoc est. Esset enim causa Filius Patrem essendi sapientem, et haberet Pater a Filio dici sapiens. Ergo mentitur divus Damascenus dicens: „Omnia quae habet Filius, a Patre habet“. Demonstratio secundum Augustinum. Adsit LOMBARDUS iterum vester magister, et suffragio suo condemnabit. Dicit ergo latine: „Propterea diligenter notandum est quod ea ratione qua Pater non dicitur sapiens ea sapientia quam genuit, videtur fore dicendum quod Pater non diligit Filium, vel Filius Patrem ea dilectione, quae ab utroque procedit. Et AUGUSTINUS corrigit in libro I Retractationum. Etenim prius, inquit, animadvertite Lector, Patrem dici sapientiam genita sapientia, et alibi corrigit, inquit, quod non dicitur sapiens ea sapientia quam genuit¹⁾. Similia etiam Augustinus dicit. Consule autem etiam Petrum Lombardum de hoc. — Etsi enim dixerat, Patrem sapientem propria sapientia esse, alibi se corrigit. Talia vero etiam saepe facit: errans enim in suis libris, alibi se corrigit. Sicut ubi ait: „Tu es Petrus, et super hanc petram, id est supra Petrum aedificatur Ecclesia“, alibi autem: „Non supra Petrum dicit, sed supra Christum“. Sic facit etiam de divina processione. Errans saepe, alibi corrigitur, ut concedamus quoad praesens proprios Augustini esse libros²⁾. Sed redeundum est ad propositum. Dico igitur quod Pater non est sapiens Filio, sed divina sapientia. Sic nego Pater amare Filium, neque Filius Patrem, Spiritu Sancto, sed divina essentia, sine essentiali ipsorum caritate. Et Spiritus amat Filium similiter.

Frater. Duplex est amare. Unum essenziale, alterum personale. Est autem secundum perfectivum. Sicut enim oculus indeterminatum habens subiectum eadem visione videre multa potest: attamen ad unum aliquid determinatus, ad alia autem non item, sed eadem visione videt multa; ita amat Pater Filium et Filius Patrem: egreditur autem ab utroque una caritas: amantur autem et intelliguntur invicem divinae personae caritate communicativa.

¹⁾ Totam hanc quaestionem pertractat THOMAS AQ. in *Summ. Theol.*, I, Q. XXXVII, a. 2.

²⁾ Ab aetate Photii communis est sententia apud scriptores orthodoxos opera S. Augustini, S. Ambrosii etc., quae clarissima exhibent testimonia pro illo Filioque, interpolata esse a Latinis. Cf. *Mystagogia*, 71, 78, 81, P. G. t. CII, col. 352, 360, 365.

Georgius. Ergo sicut oculis multis intendere potens, ad unum respiciens, perficit visionem, ita etiam mens videns unum; idest intelligens, perficit intellectionem. Sicut ergo etsi intelligit Filius Patrem, et semetipsum, et Spiritum, et Spiritus Filium, tamen in Patre perficitur intellectus, et est intellectus ex solo Patre intelligente, ita etiam caritas ex solo est Patre amante et volente seipsum incommunicabili volitione. Amat autem Filius Patrem, et intelligit: et Spiritus similiter amat et intelligit Filium, essentiali amore et unione; incommunicabilis autem illa caritas esto ex solo Patre amante personaliter seipsum, et non communicante personae alicuius proprietates personales. En vides quod nihil etiam ex isto exemplo concluditur¹⁾.

Quod autem Spiritus ex Patre procedat solo GREGORIUS Nysensis in tractatu contra Eunomium: „Propterea enim et Spiritum oris David dixit, inquit, ut processionalis proprietates Patri soli adesse suadeatur“.

Et CYRILLUS in De Theologia: „Tres autem hypostases, inquit, cognoscuntur, et creduntur, in Patre inprincipiato, et Filio unigenito, et in Spiritu Sancto, qui procedit ex solo Patre“.

Divus autem ATHANASIUS, in libro V cuius principium: „Qui est Deus“, in quarta interrogatione sic respondet: Et sicut orbis solaris solus est causa, et ingenitus; radius autem causatus, et genitus ex orbe; et lumen procedens ex solo orbe, per radium missum, et illuminans terrestria: ita etiam et Pater ipse solus est causa duobus, et ingenitus: Filius autem ex solo Patre causatus, et genitus; et ipse Spiritus ex solo Patre causatus, et processionatus. Per Filium autem in mundo missus. Cui gloria in saecula; amen. —

¹⁾ Doctrina scholastica, de qua controversia agitur inter Georgium et fratrem, hisce verbis a S. THOMA AQ. exprimitur: „Cum diligere in divinis dupliciter sumitur, essentialiter scilicet et notionaliter; secundum quod essentialiter sumitur, sic Pater et Filius non diligunt se Spiritu Sancto sed essentia sua; secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud, quam spirare amorem: sicut dicere est producere verbum... Et Pater et Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente et se et nos“. *Summ. Th.*, Q. XXXVII, a. 2. Generatim advertimus quae a theologia scholastica de hac re discutiuntur ad conatus pertinere notionibus analogicis quodammodo declarandi modum et rationem processionum divinarum earumque distinctionis. Argumenta tamen ex hisce speculationibus theologicis petita flocci fieri a theologis orthodoxis qui potissimum nituntur auctoritate Sacrae Scripturae et traditionis. Coressius non concedit Spiritum Sanctum esse terminum consubstantialem voluntatis divinae; licet non audeat aperte negare Filium, ut nomen ipsummet Verbi denotat, terminum consubstantialem esse divinae intellegentiae. Exinde negat Patrem et Filium se diligere Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus diligit et ipse Patrem et Filium. Quidquid in hac re a theologis catholicis disseritur, ad probandum Spiritum Sanctum amorem esse notionaliter, distinctum ab amore essentiali, qui tribus Ssmae Trinitatis personis communis est, a theologia orthodoxa reicitur, quod impium sit profunda Dei investigare!

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium.

Dr. Jos. Höller C. SS. R. **Die Epiklese der griechisch-orientalischen Liturgien.** Wien. Mayer u. Co. 1912.

Historiam unionis orientaliū etsi obiter tantum perlustrantem minime latebit, quanti semper una ex parte practici momenti quaestio fuerit, quae nunc a theologis vulgo „*epiclesis*“ vocatur, cum eam utraque ecclesia constantissime inter praecipua sua postulata proposuerit, altera vero ex parte solutionem quaestionis haud parvis adhuc difficultatibus esse obnoxiam. Quare cum gaudio semper suscipiendum est, si veritatis simul et unionis amatores huic quaestioni solvendae de novo incumbunt novasque tentant vias, quibus tandem ad optatam solutionem feliciter perveniatur.

Hunc finem etiam prosecutus est P. Höller opere suo nuper edito. Methodus autem, qua procedit, est haec:

primum refert amplissimam litteraturam cum notione epicleseos eamque in praecipuis quattuor liturgiis orientalibus illustrat:

dein proponit constantem ecclesiae catholicae doctrinam de epiclesi cum ante concilium Florentinum tum post illud vigentem;

tum reicit sententias acatholicorum et quorundam catholicorum, quae sunt evidenter falsae; stabilit fundamentum communis doctrinae orthodoxae, recenset triginta fere sententias catholicas, quarum tres principaliores etiam exponit atque eneruando refutat;

denique solutionem proponit, quae communiter historica nominatur, ab aliis iam longe prius insinuatam, at a se primo uberius excultam et probatam, tamquam omnium probabilissimam.

Videamus nunc fusius singula puncta!

Quod primum litteraturam attinet, maxime dolendum, quod scriptorem nostrum opus praeclarum P. STENTRUP S. J. de Eucharistia (1888. Oeniponte pg. 157 sq.) fugerat, quippe quod optime meritum de hac quaestione sit et sine dubio summo adiutorio auctori fuisset praesertim in historica solutione construenda. Liceat praeterea etiam alios quosdam auctores addere, quorum P. H. non meminerit. Tales sunt: Card. BILLOT De Ecclesiae Sacramentis. Romae. 1896. pg. 48 sq. — V. CAGIN L'Eucharistia. Rome-Paris 1912. — THEOD. SCHERMANN Aegyptische Abendmahlsliturgien des ersten Jahrtausends. Paderborn. Ferd. Schöningh. 1912. — DE PUNIET, Les paroles de la Consécration et leur valeur traditionnelle. Louvain 1912. — FRANC. VARAIN L'Epiclese Eucharistique. Sacuny Brignais (Lyon) 1910. Reliqui inveniuntur in Dictionnaire de Théologie Catholique. Parisiis 1911. fasc. 34. pars: „Epiclese Eucharistique“ pg. 194—300.

In prooemio iam nostra opinione peropportunum erat saltem tempus ortus liturgiarum allatarum notare vel magis etiam historicam evolutionem epiclesion breviter et systematice exponere primum forte secundum tempus ortus earum; vel etiam iuxta differentem materiam eas in diversas classes distribuendo:

a) vim consecratoriam experimentium (maxima pars earum praesertim post Athanasium);

b) verba specie consecratoria non continentium (antiquissimae Aegyptiacae);

spectato autem loco, quem in canone obtinent:

in α) postconsecratorias (quales sunt complures); inter quas nonnullae (velut inventa Veronae in palimpsesto) ante ipsam communionem ponuntur;

β) anteconsecratorias (Aegyptiaca in Dêr Balyzeh detecta, vel probabiliter etiam s. Cyrilli Hieros.);

γ) eas, quae consecrationem et antecedunt et consequuntur (ut liturgiae coptitarum ex coptico conversorum: Basili, Marci, Cyrilli et probabiliter Aegypt. in Dêr Balyzeh inventa).

Conspectus talis chronologicus et systematicus cum facillime reiceret opinionem orientalium falsam, secundum quam epiclesis natura sua postconsecratoria est et vi consecratoria praedita, tum summae utilitatis, claritatis ac perspicuitatis maxime pro scopo scriptoris nostri esset et solutionem historicam — ut ita dicam — iam a priore commendaret.

Integrae historicae veritatis gratia i. e. ne persuasio falsa oreretur epiclesim orientalibus tantum liturgiis propriam esse recte etiam notare poterat cum Card. FRANZELIN (Tractatus de Eucharistia³ pg 78) et P. STENTRUP S. J. (o. c. pg. 156 sq.) eandem non deuisse in quibusdam antiquis liturgiis occidentalibus: Gallicana, Romana, Mozarabica, Hispanica, Ambrosiana, unde VIII. demum saeculo prorsus evanuit. (Cf. RAUSCHEN, Eucharistie und Bussakrament.³ S. 112.) Apposite tamen animadvertit P. H. in fine operis sui p. 133: Missale Romanum nostrum in oratione 'iube haec dona perferri per manum sancti angeli in caeleste altare tuum' vix quidquam commune habere cum epiclesi veri nominis.

Cum epiclesis sensu scholastico ac recenti¹⁾ nil aliud sit, quam illa canonis oratio, quae plerumque (nam „Testamentum D. N. I. Ch.“ Syriacum et Aegyptiaca liturgia in palimpsesto quodam in urbe Veronae nuperrime detecta secundam tantum partem habent) duabus constat partibus et quarum una imploratur Spiritus Sanctus²⁾, ut sanctificet et faciat panem corpus et vinum sanguinem Christi, altera vero invocatur, ut participes

¹⁾ Sensu enim patristico P. LINGENS S. J. ZkTh. t. 21. S. 52 et t. 20 S. 747 primus longe lateque demonstravit ipsam tantummodo consecrationem significare.

²⁾ Interdum etiam Pater vel Verbum! Velut illa Dêr Balyzeh invocatur Patrem, Serapionis vero atque Athanasii Verbum. cf. Pastor Bonus t. 24. WILLEMS Die ältesten Messliturgien. pg. 68 infra.

reddat fideles fructuum salutarium eucharisticorum (sit exemplo epiclesis S. Marci: *ἐξαπόσειλον, ἵνα αὐτὰ ἀγιάσῃ καὶ τελειώσῃ... καὶ ποιήσῃ... ἵνα γένωνται.. εἰς πίσιν, εἰς νῆψιν, εἰς ἴασιν...*), inde surgit quaestio sane difficillima, quomodo peracta iam consecratione Spiritus Sanctus invocari possit ad conficiendum iterum sacramentum?

Scriptor in *primo et tertio* (cf. a pg. 6.—24.) capite perbene exponit cum historice, tum dogmatice (cf. pg. 57.—63.) constantem de hac re ecclesiae catholicae doctrinam, quae sententia fidei proxima est, scil.: verba Domini sola esse vere consecratoria ideoque epiclesim nullo modo vim consecratoriam in se continere posse. Cum vero de dogmaticis eius argumentis hoc tantum animadvertisse velim, ea perspicuitate, brevitate, soliditate praecellere, restat, ut historicam partem argumentationis tractemus.

Teste enim historia ecclesia hanc doctrinam suam de epiclesi ab omnibus ad unitatem redire cupientibus acceptari postulabat. Velut saeculo XIII Innocentius IV. Graecis, hanc conditionem tamquam necessariam ponebat item plures pontifices saeculi XIV. Armenis, tandem Eugenius IV in Concilio Florentino omnibus orientalibus eandem doctrinam saltem viva voce profitendam praescripsit. Omissis denique aliorum saeculorum testimoniis Pius X. recentissime contra aliquos errores declaravit in bulla, quae incipit „Ex quo“ a. 1910 26. dec. pro unitis Orientalibus edita: „Nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de sanctissimo Eucharistiae sacramento, cum perfracte docetur sententiam suscipi posse, quae tenet: apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa, quam epiclesim vocant, cum tamen compertum sit, ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidpiam innovandi“.

Certum igitur est ecclesiam catholicam una ex parte epiclesim quoad formam externam semper intactam reliquisse, ex altera vero parte eidem omnem vim consecratoriam denegasse.

Caput secundum (pg. 25.—56.) libri scriptoris pandit nobis, quid acatholici quos etiam quidam theologi catholici nostri plus minusve secuti sunt, de epiclesi sentiant. Orientales separati omnes usque ad nostra tempora secundum P. H. in bina castra discedunt. Constantinopolitani soli epiclesi tribuunt vim consecratoriam, Russi vero verbis Domini et epiclesi simul sumptis. Testimonio sit ex recentissimis doctoribus heterodoxis pro primis castris Dr. PHILARETUS VAFIDES, metropolita Castoriensis qui in opere suo „*Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία*“ tom. I. 135. 121. expresse dicit „epiclesim“ esse verba consecratoria. Russicae vero huius temporis ecclesiae hac de re persuasionem prodit doctissimus ALEXIUS MALTZEW in libro, qui inscribitur: *Die Liturgien der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes etc.* Berlin 1902: pg 420 dicit: „Die orthodoxe (Russische) Kirche hält ganz entschieden

daran fest, dass die Verwandlung erst eintritt, wenn der Priester die Epiclesis gesprochen hat.“

Maximi momenti hoc loco fuit, ut a scriptore demonstraretur: explicationem hanc primum saeculo XIV a NICOLAO CABASILA ex odio contra ecclesiam Romanam divulgatam esse, uti praeclare testatur GEORGIUS CORESIUS et ipse Photiani schismatis sectator. In eius enim praenotionibus ad synopsis conciliorum a Nilo Rhodio scriptam haec legimus: „Condemnatur novitas opinionum, quae in ecclesiam introductae sunt a Nicolao Cabasila, qui consecrationem donorum precibus tribuit, quod nec ullus sanctorum Patrum dixit, nec ullus canon disposuit, nec fidei ecclesiae consentaneum est, ut quae per preces imploret adventum Spiritus Sancti, non ut faciat panem corpus et vinum sanguinem simpliciter, sed ut fiat nobis ad utilitatem“ (Cf. STENTRUP o. c. pag. 166 sq. Card. FRANZELIN o. c. pg. 82.)

Vel ex his patet non esse omnino rectam P. H. opinionem de doctrina orientalium de epiclesi Georgius Coresius enim diu post concilium Florentinum scripsit et tamen plane catholice.

Accedit, quod medio saeculo XVII excitata hac de re controversia — uti habet FRANZELIN o. c. p. 78 in notula — Schola Kioviensis — et illo tempore et etiam inter orientales theologiae doctissima — hanc doctrinam quoque profitetur. In opere enim suo „De internis condicionibus Russiae“ Hannoverae 1847. P. I. dicit Baro HAXTHAUSEN: „Erat tum orta controversia inter theologos Kiovienses et Moscovienses, quae spectabat ad doctrinam de eucharistia, utrum scilicet consecratio fiat eo momento, quo sacerdos pronuntiat verba: Hoc est corpus meum etc., an vero quando in altum elevans hostiam offert (elevatio apud orientales [Graecos] post invocationem Spiritus Sancti fit). Schola Kioviensis et episcopi Russiae minoris, Albae Russiae et Lithuaniae priorem sententiam consonam doctrinae Ecclesiae Romanae, defendebant reliqui... fovebant... alteram“.

Reliquorum acatholicorum scilicet sectarum protestanticarum et veterocatholicorum fictas opiniones simpliciter omittere possumus. Nullo enim solido fundamento nituntur.

Exstant autem etiam quidam catholici doctores, qui orientalium separatorum doctrinis de epiclesi plus minusve faventes sententias plane falsas protulere. Velut saeculo XVI. AMBR. CATHARINUS O. Praed., CHRISTOPH. a Capite fontium: saec. XVII. LE QUIEN, TOUTTÉE, RENAUDOT etc. Novissime vero SCHELL (Kath. Dogm. III B. 2. Th) docuit et verba Domini, et epiclesim vim consecratoriam in se continere, priora in ritu Romano. hanc vero apud Orientales, cum scil. vis verborum secundum Schell a sola intentione sacerdotis pendeat Quod nullo modo admitti posse illico patet.

In capite *quarto* (p. 74.—98.) iam catholicorum Epiclesis explicationem scriptor aggreditur. Refert primum omnes fere hucusque excogitatas opiniones circiter triginta easque evertit.

Inter quas certe minimae probabilitatis est sententia „intentionis“, quae epiclesim nil aliud esse declarat, quam intentionem sacerdotis verbis expressam (ut Dr. J. J. H. OSWALD, huius opinionis praecipuus sectator iisdem fere verbis loquitur in opere suo „Die dogmatische Lehre von den heiligen Sakramenten der kath. Kirche. Münster. 1864. B. I. S. 454.)

Hanc opinionem rectè refutat P. H. verbis Dr. J. Th. FRANZ: „omne sacramentum, antequam conficiatur, supponit iam intentionem ministri, quam ob rem prorsus inutile ac superfluum est eandem post consecrationem exprimere“. Porro addere etiam poterat scriptor opinionem hanc nullo solido fundamento niti, cum verba epicleseos ne insinuent quidem intentionem sacerdotis.

Maiore probabilitate gaudet sententia a Cardinali BESSARIONE (cf. Migne, Patr. Gr. tom. 161. col. 516 ss.) primo in concilio Florentino proposita, quae plerumque dogmatica vocatur — sed uti statim videbimus rectius dramatica inscriberetur — secundum quam invocatio Spiritus Sancti, ut conconsecratoris (*συλλειτουργός*), referenda est non ad tempus, quo dicitur, sed ad momentum, pro quo dicitur i. e. ad ipsam consecrationem. Cum scilicet consecratio non fiat successive sive per partes, sed in ictu i. e. tota simul, declaratio tamen et expositio huius mysterii cum pro sacerdote tum pro fidelibus, cum in se (natura sua), tum in proprietatibus et fructibus eius aliter fieri nequit — nisi dramatice per preces ac verba in epiclesi. Cf. FRANZELIN o. c. p. 80. et LINGENS S. I. ZkTh. t. 21. S. 205. Huic opinioni nomen dederunt magni nominis theologi imprimis aetatis nostrae, ex quibus sufficit referre: ATZBERGER, GUTBERLET, SCHANZ, POHLE et praeclarum orientalistam P. MARKOVIĆ O. F. M.

Contra quam sententiam bene quidem arguit P. H. non recte asseri a Cardinali Bessarione per epiclesim exprimi necessitatem cooperationis omnium trium personarum divinarum ad conficiendum sacrificium eucharisticum,¹⁾ at non in hoc cardo rei est, neque hoc ab omnibus huius opinionis asseclis asseritur.

Quare clarius atque efficacius forte hisce argumentis opinio reicitur, quae quidem etiam P. H. ex parte saltem atque in nucleo proponit, at non tanta gravitate ac perspicuitate, quanta oportebat: primum opinio haec non valet explicare omnes formas epicleseon sc. earum, quae verbis consecrationem specie tenus exhibentibus et prima parte invocationis carent, sicut antiquissimae Aegyptiacae liturgiae ideoque solutio non est universalis et adaequata; deinde ex vi verborum omnium epicleseon patet arcessite et arbitrarie dici epiclesim ad peractam iam consecrationem spectare eiusque finem esse expositionem mysterii pro sacerdote et instructionem populi. Epiclesis enim est oratio ad

¹⁾ Nam nullomodo invocatur Filius, cum sacerdos verba Domini consecratoria pronuntiat, quin liturgia Coptica et Graeco-alexandrina numquam Patrem, sed Filium adprecatur.

canonem pertinens et submissa voce recitanda ideoque nullomodo potest populum respicere.

Tertia opinio, quae „communionis“ dicitur, a Cardinali TORQUEMADA, tamquam Summi Pontificis in concilio Florentino theologo primum prolata docet invocationem hanc intendere fructuosam, efficacem, salutarem participationem sacramenti, aliis verbis intellegendam eam esse de communicandis per Spiritum Sanctum fructibus eucharisticis. Ita SUARIUS, BELLARMINUS, DE LUGO, MAFFAEUS etc. sentiunt.

Minus efficaciter iam contra hanc sententiam arguit P. H. una hac ratione: bene illa explicari secundam partem epicleseos, non vero primam. Recte enim ad hoc responderi potest: etsi verum sit argumentum, quod P. H. pro sua opinione affert — (vide inferius! — loco verborum epicleseos „commutare panem“ olim, in antiquissimis potissimum 2—3 liturgiis „ostendere revelare panem“ fuisse, tamen etiam hic effectus operationis Spiritus Sancti pro oculis nostris fidei esset ideoque eorum sententiam magis confirmaret et commendaret. Quodsi autem nihilominus contra explicationem primae partis: eam spectare mysticum, non verum corpus Christi — sicut Torquemada et Suarius interpretatus est eam — de novo urgeatur „nil contineri in verbis epicleseos de mystico corpore Christi“, apposite etiam ad hoc respondere possunt: haec difficultas non urget plerosque huius sententiae fautores, quippe qui innixi embolismo orientalium docent utramque partem epicleseos non esse nisi duplicem expressionem eiusdem cogitationis. (Cf. Card. de LUGO de Sacr. Euch. disput. XI. sect. 1.) Quod etiam confirmatur ex eo, quod in nonnullis liturgiis alterutra tantum pars epicleseos continetur. Accedit quod in palimpsesto in urbe Verona nuper inventa liturgia quae a doctissimo viro HEER, (Pastor bonus t. 24. l. c. pg. 70.) insigni Orientalista ut antiquissima defenditur, epiclesim habet immediate ante communionem, qua nihil nisi fructus petuntur. Quare, ut videbimus, haec sententia aliis praeferenda est.

Reliquas autem sententias vel ipso titulo „Sonderansichten in betreff einer Lösung der Epiklesisfrage“ ut futes et specialem refutationem haud merentes notat scriptor. Et prorsus recte! Quantum vero nova elementa adducunt, simplici iam aspectu apparent nimis arbitrariae et arcessitae, magisque poetam et mysticum, quam theologum arguunt. Sufficit sententiam SCHEEBEN legere in „Studien über den Messkanon“ Katholik 1866 II. S. 683.

Ultimo iam capite scriptor exponit et demonstrat opinionem a se primo excultam, quam cum P. LINGENS S. I. rectius ad omnem ambiguitatem et errorem vitandum historico-dogmaticam, quam simpliciter historicam vocasset. Dogmatica enim non tantum ut scriptor vult mere negativa norma est in hac quaestione, sed etiam positiva. Nam ut directiva quoque influit in interpretatione ipsius sensus epicleseos.

In hac sententia principium illud solutionem quaerendam esse historica via iam pridem ab aliis quoque est insinuatam, ut ipse scriptor fatetur velut ab A. SCHMID Kirchenlexicon² „Epiklese“ 696. P. LINGENS S. I. Zk Th. t. 21. S. 52. P. STENTRUP vero o. c. p. 159 iam 1888 historicam solutionem etiam applicavit epiclesi liturgiae S. Basilii et quidem eodem fere modo argumens atque H. Audiamus eius ipsius verba: „Rursus earum liturgiarum, quae has preces (epiclesim) complectuntur, quaedam non ponunt verbum faciat (ποίησον) sic. e. g. liturgia S. Basilii (antiquissimae formae) oratur Spiritus Sanctus ut veniat ad sanctificandum et manifestandum. Porro verbum sanctificandi non idem significare, quam verbum consecrandi certum est (Cf. 1. Tim. 4. 5.), item verbum ἀναδεικνύω primo et frequentius non idem valere, quam facio, sed denotare notum facio, monstro, ostendo, nemo negat. Verbum huic simile, nempe ἀποφαίνω ponit liturgia, quae in C. A. refertur. Verum quidem est utrumque verbum, ut Latinum exhibeo, usurpari etiam pro verbo facio, sed prima ac maxime propria significatio ea est, quam diximus. Ita si res habet, forte non improbabilis est coniectura, eum qui primus in liturgiam orationem commemoratam (epiclesim) ad Spiritum Sanctum invexit, usum esse voce, quae in C. A. liturgia legitur ac posteriores deinceps loco ipsius posuisse verbum facio... Sed retento hoc verbo notatu dignum esse scribit Maffei, in liturgia S. Marci epiclesim incipere a particula ἔτι, quae denotat deinde, praeterea, ulterius, ita ut Latine sit: Emitte praeterea. Quomodo vero auctor, si quidem arbitratus esset, isti orationi virtutem consecrativam convenire, appendicis instar eam ponere potuisset?“

Argumentum autem suum ita scriptor evolvit: principio ponit Clementinam et Syro-Iacobiticam esse antiquissimas omnium liturgiarum orientalium, innixus commentationi DREWSIANAE: Untersuchungen über die sogenannte klementinische Liturgie im VIII. Buche der Apostolischen Konstitutionen. I. die Klementinische Liturgie in Rom. Tübingen 1906 S. 159. ff.; dein Clementinam contineri in Constitutionibus Apostolicis l. VIII. c. 12, 39. ac prima eius vestigia haberi in I. ep. S. Clementis et apud Iustinum martyrem dicit. Quas, cum argumentum ex illis scriptor hauriat, hic integre afferri multum proderit.

Clementina (ap. F. FUNK in Didascalia et Const. Apost. Paderbornae 1906 v. I. pg. 518) ita habet:

ἀξιωθῆναι σε, ὅπως... καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, ... ὅπως ἀποφύγῃ τὸν ἄριστον τοῦτο σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου

poscimus te, ut ... supra hoc sacrificium mittas Sanctum tuum Spiritum ... ut exhibeat panem hunc corpus Christi tui et calicem hunc sanguinem Christi tui

Epiclesis liturgiae s. Iacobi vero ita a Ios. A. ASSEMANI in opere suo „Codex liturgicus ecclesiae universae (edit. nov. Parisiis 1902. t. 5. 138. pg.)“ vertitur: „Mitte super nos et super haec oblata Spiritum tuum Sanctum, ut illabens ostendat mysterium hoc corpus vivificum, . . . ipsius Domini N. I. X. . . Et calicem hunc ostendat sanguinem . . . ipsius D. N. I. X., faciat, ut sit accipientibus ipsum in remissionem peccatorum et in vitam aeternam. Amen“.

Argumentum iam in formam redactum est hoc: Verba invocationis in utraque hac epiclesi quin etiam in tertia S. Basilii antiquissima: ἀποφήνη¹⁾, syriacum „nehve“²⁾, ἀναδείξαι¹⁾, non efficere facere, sed primario ostendere, revelare significant (Cf. apud H. pg. 127. et 109—112.) Cum autem a sensu primario et obvio verborum non liceat recedere, nisi efficax ratio urgeat, hic quoque sensus proprius retinendus est.

Sed etiam ipsa rei natura alius sensus excluditur. Consideremus modo canonem! Verba Domini in consecratione iam prolata sunt et etiam ss. species ad adorandum populo ostensae et tum demum sequitur epiclesis. Sed quaero, quomodo possit Spiritus Sanctus invocari, ut ss. species vi verborum Domini iam consecratas iterum efficiat, faciat corpus et sanguinem Christi, quae tamen doctrina catholica usque ad schisma etiam ab orientalibus — saltem communiter agnita est. (cf. pg. 110).

Deinde sensum primum postulat etiam verborum contextus. Nam etiam post peractam consecrationem oculis corporis nostri species panis et corporis videmus. Ut autem Eucharistia nobis salutaris evadat, debemus ante omnia hoc mysterium fidei lumine vel oculis quasi supernaturalibus intueri, quod sine operatione et gratia Spiritus Sancti, tamquam Illuminatoris καὶ ἐξοχλῆν fieri nequit. (Cf. 111—112. pg.)

Idem tandem probat traditio historica. Lucubratio Περι παραδόσεως τῆς θείας λειτουργίας ex saeculo quinto, quae communiter s. Proclo, († 446) patriarchae Constantinopolitano tribuitur, expresse utitur in explicatione epicleseos terminis: ὁπως ἀποφήνη καὶ ἀναδείξῃ. (cf. Migne, Patr. Gr. tom. 65. col. 849 s.) Saeculo septimo Ioannes Maro ita exponit et interpretatur textum epicleseon: „Hic nobis inquirendum est, quam ob rem Spiritus sancti super panem et vinum illapsus invocemus, cum iam Filius illapsus illa in suum corpus et sanguinem transmutavit, ut superius ostendimus. Huic quaestioni respondemus, quod Spiritus Sanctus non invocatur, ut illabens efficiat seu commutet

¹⁾ Apud Henr. Stephanum „Thesaurus Graecae linguae“ Parisiis 1831 usque 1836. Vol. I. p. II. col. 1765 ss. ἀποφαίνω ostendo, demonstro, declaro, palam facio, revelo, iudico, exhibeo . . . efficio, reddo. Idem fere etiam ἀναδείκνυμι.

²⁾ Nehve est 3. pers. Sing. futuri Peal ḥav i, quod secundum lexicon syriacum Brockelmanni (Berlin 1895. S. 106.) significat: ostendit, demonstravit, functus est, edidit, praestitit, fecit.

panem in corpus et vinum in sanguinem Salvatoris nostri, sed ut illa corpus et sanguinem esse ipsius Domini N. I. Chr. ostendat et faciat, ut sint percipientibus ea in remissionem peccatorum et in vitam aeternam.“ Quin etiam Marcus Eugenicus, infestissimus hostis unionis per concilium Florentinum effectae in ipsa liturgia S. Basilii (et non tantum in Clementina) ex maxima varietate lectionum, quae tum in hac liturgia divulgatae erant, nisi *ὅπως ἀποφῆναι* nihil existimat esse genuinum. Cf. Migne, Patr. Gr. tom. 160 col. 1081.

Sed iure merito hic quaeritur, quomodo tam essentialis mutatio in formis verborum oriri potuerit. Ad quod recte respondet scriptor: Si constantem doctrinam SS. Patrum et Ecclesiae de forma Eucharistiae, sc. sola verba domini consecratoria esse, coram oculis habeamus et perpendamus eandem etiam fuisse in genere persuasionem orientalium saltem usque ad schisma quin, ut supra iam vidimus, apud nonnullos etiam post schisma et simul illud in animo revolvamus liturgias ob disciplinam, quae arcana vocatur non statim fuisse scripto fixas nec ecclesiam etiam, postquam iam scriptae essent, in ritibus aut textibus precationum non essentialibus uniformitatem tam rigore postulasse nec tam severe illi invigilasse, his omnibus mente perpensis optime intellegimus, quomodo labentibus saeculis ob nimium embolismi amorem orientalium preces etiam eae quae in canone continebantur sed minus essentielles erant, paulatim varias potuerint assumere formas, primo synonymas, postea etiam dissimiles retento tamen semper sensu (vel dogmate) orthodoxo.

Quas ob causas simul evanescit difficultas ex noto axiomate „lex precandi lex credendi“ et palam fit calumnia cum protestantium dicentium, ecclesiam errorem in epiclesi latentem indirecte saltem tolerasse, tum orientalium, Romanam ecclesiam in ritu suo aliquid essenziale mutasse epiclesi complementoque verborum Domini necessario post saec. V. vel saltem VIII. expuncto.

Commendat se igitur haec opinio sua simplicitate et universitate atque eo quod epiclesim composite ad reliquas liturgiae partes explicat. Quae tamen non valent nisi Clementina est antiquissima.

At non desunt scriptores, qui hoc ipsum gratis asseri dicant: velut MAX princeps Saxonicus in praelectionibus de orientalibus liturgiis habitis in Univ. Friburg. Helvetiae (germ.), Friburgi 1908. ed., tom. I p. 9. haec scribit: „Illi (docti viri, quibus liturgia Clementina antiquissima videtur esse) pro sua sententia ne umbram quidem argumenti afferre possunt.“ Theod. SCHERMANN vero in recentissimo opere suo: *Aegyptische Abendmahlsliturgien des ersten Jahrtausends* (Paderborn 1912.) I. c. 2. 3. 4 perbene a) contra Funk ostendit non liturgias, quae in ordine ecclesiae aegyptiacae („Ägyptische Kirchenordnung“) continentur, dependere

e liturgia Clementina in l. VIII. Constitutionum Apostolicarum relata, sed contra ideoque antiquiores esse Clementina (p. 15—33); b) de-monstrat easdem Aegyptiacas liturgias exeunte saec. II. vel ut summum ineunte III. exortas esse (p. 33). Divergunt autem hi scriptores in assignanda alia antiquissima. Ut teste utar Dr. WILLEMS „Die ältesten Messliturgien“ Pastor Bonus XXIV. Jahrg. S. 67 — nonnulli liturgiam S. Marci habent pro antiquissima, alii Serapionis. quidam vero illam, quae nuper in urbe Aegypti Dêr-Balyzeh inventa est. Quae omnes non ἀποθήρη vel ἀναδειξαι habent, sed ποιήσον.

Cuinam harum sententiarum tribuenda sit palma, relinquo disputationi virorum in scientia historico-critica eruditorum.

Ut igitur finem aestimationi ponamus nostrumque iudicium de opere proposito pandamus: certe via historico-dogmatica sola videtur ad plenam integramque quaestionis solutionem perducere — cum sola, ut ita dicam, ex re ipsa excrescat; perducatur autem eo ipso modo ac ratione qui scriptori probatur, propter difficultates historicas non spernendas haud parum dubitamus.

Greg. Naz. Mezey S. I.

Claude Delaval Cobham. C. M. G., The Patriarchs of Constantinople, Cambridge, 1911, 100 pag. in 8°.

Opusculum scriptoris, auctum duabus introductionibus amicorum eius, aequè bene collectio vocari potest trium commentationum.

Quarum prima D. Cobham, quemadmodum in praefatione (p. 7) dicit, indicem perficere voluit ad librum Manuelis I. Gedeon: Πατριαρχικοί Πινακες (Constant., cca. 1888.) Qui liber continet summarium quoddam vitarum omnium, qui Constantinopolitanam sedem dicuntur tenuisse Patriarcharum.

258 nominum indicem scriptor praebet triplicem: primum chronologicum (in praefatione) additis hinc inde notis biographicis, alterum alphabeticum assignato quoque tempore, quo Patriarcha praefuit, tertium denique graecum item alphabeticum. Ni fallor claritati melius consulisset, si omnia, quae scitu sunt digna in alterutrum indicem collegisset; quia, ut exemplum afferam, de Michaele Cerulario tribus locis docet scriptor: quando nominatus sit per Constantinum IX. et quando excommunicatus pag. 13, quando munus patriarchae susceperit (1043) pag. 93, denique quando suo loco sit motus (XI. 1058) pag. 82.

Opusculum alterum R. D. Adrian Fortescue, Dr. Theologiae & Philosophiae, tamquam introductionem priorem commentationi, de qua diximus, adiunxit. In quo brevem historiam sedis Constantinopolitanae narrare proposuit, quomodo splendor „Patriarchae Oecumenici“ crevisset atque pallisset.

Primi 25, qui nominantur, usque ad Metrophanem (315—325) ad fabulas pertinent; primum occurrunt in quodam IX. saeculi

documento, quod suppositum esse intellegitur ex studio repetendae auctoritatis sedis id temporis iam valde potentis usque ab ipsa Apostolorum aetate; Metrophanes, quem commemoravimus occurrit in primo Concilio (325); episcopus Byzantinus erat, minimus ex suffraganeis Metropolitae Heracleensis.

Dr. Fortescue deinde variis locis ex epistolis Papparum allatis aliisque documentis demonstrat propter summum episcopi Constantinopolitani in imperio locum eum sensim ecclesiasticas quoque dignitates partim acquisivisse, partim Roma reclamante arripuisse; Ioannes IV. (582—95) titulum „Patriarchae Oecumenici“ assumpsit; floruit potestate inter 1453—1589; quae potestatis summa stabilis non fuit, cum passim nationes emancipatae ab imperio Turcae fere simul iurisdictionem Patriarchae fugerent. Fit mentio tristis illius aspectus, quem praebet ultimis saeculis huius sedis ruina, sed etiam praeclarorum nominum, quae ei ornatui sunt, martyrum quoque, sicut Isidori II. (1463), Maximi III. (1482), Gregorii V. (1822). Scriptor tandem „Magnae Ecclesiae“ bene precatur atque animum minime aversum significat, concludens:

Ἰωακείμ ἄξιός — εἰς πολλὰ ἔτη.

Tertium opusculum scriptum est a Rev. Domino H. Duckworth, Professore Theologiae in Toronto, Canada.

Licet dispositio fortasse careat optanda claritate, probandum est studium explicandi initio operis ex terminologia iuris et magistratum illius temporis usum vocabulorum „dioecesis, provinciae“ etc.; inter fontes tituli patriarchalis praeter Scripturam iudaicum patriarchatum Tiberiadis ostendit, qui suppressus est a Theodosio cc. anno 420.

Voces episcopi, oecumenes etc. vario sensu olim esse usurpatis manifestum est. Scriptor deinde mutatos passim limites iurisdictionis Constantinopolitanae, commercium Patriarcharum cum Imperatore prius, postea cum Turca tractat, agitque postremo de ecclesia ac residentia Patriarchali.

Ex fontibus, quorum ceterum usus satis obiectivus nonnumquam desideratur, commemorantur: Socrates, Historia Ecclesiastica; Georgius Phranza, Historia; Manuel Malaxos, Historia Patriarchica; Thomas Smith, B. D., „Oxford-man“, capellanus Anglicae Legationis Constantinopolitanae sub Rege Carolo II., „An Account of the Greek Church“; denique W. H. Hutton, Constantinople.

M. Kuenburg.

Jos. Mausbach. Die katholische Moral und ihre Gegner. Grundsätzliche und zeitgeschichtliche Betrachtungen. Köln 1911 (VIII+408 p.) 6 M.

Hoc libro, etsi titulus eius plus promittit, proprie solum protestantium opiniones aestimantur; cum tamen similes opiniones etiam inter orthodoxos divulgatae sint, etiam nostra interest eum cognosci.

Non omnia capita copiose tractantur velut illud quod de attritionismo catholicis exprobrari solet (p. 100—102), sed nonnulla magna dexteritate scripta videntur esse et idonea, quibus adversariis persuadeatur, se re parum intellecta inique de doctrina catholica iudicasse.

Exemplo esse possunt ea, quae de probabilismo exponuntur, ubi maxime Hermanni rationes considerantur. Quamquam illud „lex dubia non obligat“ *M.* magis explicat quam verum esse nititur; rationem vero, qua e libertate, quae sit in possessione, nonnulli (etiam Frias *De actib. humanis* III p. 243—4) illud efficere conantur, improbat (p. 180).

Similiter iis quae contra restrictionem afferuntur *M.* exposita doctrina eorum, qui eum celandae veritatis modum defendunt (cf. *AAV* VIII fasc. IV.) probat catholicorum de moribus praecepta perperam vituperari.

In capite, quo de ratione quae inter honestum et beatitudinem intercedit exponitur, iuridismi crimen non consideratur sed tantummodo tangitur (p. 209—210). Item ea, quae adversarii contra notionem meriti a iure humano petitam afferunt (*AAV* VII 212), niti ea ratione, qua quidem nonnulli necessitatem auxilii divini entitative supernaturalis probare conantur, sed quae ad veram notionem meriti non pertinet (cf. *Sl. l. th.* III 105) p. 212 solum indicatur; quamquam p. 213 (verbis: zum selbständigen Erreichen des Zieles befähigt — durch die Gnade, qua a reatu poenae liberamur, ergo gratia sanctificante, vel, ut cum *Jos. Rybák* [p. 551] hanc vocem minus commendandam relinquamus, natura divina nobis communicata, cuius alium omnino finem esse idem *Rybák* probavit in *Theol.-prakt. Quartalschrift* 1912 p. 562-577) illam rationem videtur revocare. — Quae p. 204 de fine Dei operantis (creantis) dicuntur, non sunt omnino vera (cf. *Lahousse, De Deo creante et elev.* 1904 p. 107).

P. 188—9 *M.* docet etiam, falsam omnino esse opinionem, quam orthodoxorum quoque theologorum nonnulli tenent, qua voluntatem negatur honeste agere posse ita ut menti persuasum non sit eam sic agere debere; quasi electio alicuius muneris sit officium individuale; „sollen wir nun auch die Entscheidung für diese oder jene Laufbahn und Arbeit innerhalb des Berufes, etwa den literarischen Arbeitsplan eines Schriftstellers und Professors als ein unbedingt Notwendiges ansehen?“ Cf. p. 247, ubi separatim de consiliis agitur. (Cf. *Sl. l. th.* III 276—7).

Etiam de discrimine inter peccatum veniale et mortale orthodoxi quoque ex hoc libro discere possunt (imprimis p. 241—2).

Quod obici solet catholicos theologos in peccatore nimis considerare singularum actionum inhonestatem seu discrepantiam cum lege honestatis, neglegere autem animi improbitatem, ex qua data occasione eiusmodi peccata oriantur, non est omnino refutatum ostensa culpae libero arbitrio tribuendae ratione, quacum illa discrepantia a theologis catholicis coniuncta esse existimatur (p. 221).

Huc pertinet etiam crimen haerendi in casuistica doctrina (p. 90).

In capite quo de ascési exponitur nonnullae sententiae occurrunt (ut p. 256, 263 etc.) quae re non satis considerata contineri videntur; cf. Sl. I. th. VI 192—3.

P. 325—332 etiam de infallibilitate Romani Pontificis agitur accommodate ad adversariorum modum cogitandi.

J. Tixeront, Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne.

III La fin de l'âge patristique (430—800). Paris (Lecoffre) 1912 (583).

Inter alia in hoc libro agitur de Filioque negato a Theodoro Mopsu. (vel cuius est symbolum condemnatum a concilio Ephesino) et a Theodoro (p. 198—9), de Cyrilli recta sententia (199—201), de aliorum patrum (Gelasii Cyziceni, Dionysii Areop.) sententia imperfecta, de Maximi latinae sententiae benigna interpretatione graeca (p. 202); de Rustici diaconi (p. 335) dubitatione. — In quaestione de modo, quo culpa originalis ad nos pertineat, *T.* negat Graecos theologos saec. V., VI., VII. doctrinam occidentis assecutos esse; potius eos negavisse nos illius culpaе esse participes (ut Theodoretum) p. 212. Quae res non videtur esse satis accurate tractata; velut illud Sophronii (*ὅπερ τῆς ἡμῶν παρακοῆς*, cf. Sl. I. th. III 102) omnino neglectum est. — Similiter exponitur de patrum graecorum soteriologia (216—221), ecclesiologia, imprimis sententia de primatu (221—228), eschatologia (de sorte iustorum post mortem apud Cyrillum Al., Nilum, Theodoretum p. 270) etc., quae omnia paucis absolvuntur. Copiosius theologia s. Io. Damasceni (pag. 484—513) explicatur ubi in locis de processione Spiritus s. explanandis J. Bilz (Die Trinitätslehre des hl. Johannes v. Damaskus. Paderb. 1909) sequitur (p. 490).

E. Vacandard, Etudes de critique et d'histoire religieuse.

Troisième série. Paris (Lecoffre) 1912 (377 p.)

Huius operis volumen primum, in quo de origine caelibatus ecclesiastici de causa Galilaei etc. agitur, iam quater editum est, alterum, cuius initio institutio ecclesiae a Christo tractatur, bis.

In hoc volumine a p. 215—310 de origine festi et dogmatis Immaculatae Conceptionis B. M. V. disputatur. Qua de re *V.* in *Revue du Clergé français* 61 (190) 5—41; 62 (1910) 257—278; 681—701. scripserat

Primum festi Conceptionis Deiparae celebrati testimonium apud Andream Cretensem M. CXVII 1305 († cc. 720) et Ioannem Euboeensem (cc. a. 740) M. XCVI 1499 occurrit (9. decemb.); commemoratur in oriente etiam a Georgio Nicomediensi M. C 1353 († 868), in Nomocanone Photii M. CIV 1070 (883), in typico Niconis ap Assemani, Kal. V 434 (cc. 1060) in menologio Basilii Porphyrogenetae M. CXVII 1485 († 1025), ubi etiam explicatur, in Alexii Comneni novella de diebus feriatis M. CXXXIII 755;

Neapoli e saec. IX. usus orientalis testimonium habemus. Quaeritur, cuius rei colendae causa hoc festum celebratum sit. V. Graecos patres clare dogma cognovisse negat et inde oratorum silentium vel ambiguitatem repetit (p. 225). In occidente festum idem in calendariis hibernicis a saec. IX (inter 1. et 3. maii) occurrit, in monumentis anglicis saec. XI. (8 dec.), ubi (in missali leofricensi cc. 1050) preces quoque eo pertinentes (collecta, secreta, postcom. p. 235) continentur. Saeculo XI descendente sublatum, Anselmi abbatis (archiepiscopi nepotis) aliorumque ecclesiae praelatorum studio restitutum est (p. 228—233) et contra adversarios — imprimis ab Eadmero — defensum, eiusque momentum paulatim clarius a singulari B. M. V. privilegio repetitum (p. 233—236). P. 236—258 agitur de initiis huius cultus in Gallia et de s. Bernardi (non Nicolai, eius secretarii) conatibus contrariis. Deinceps quomodo singuli scholastici a Petro Lombardo usque ad Scotum p. 258—285) a Scoto usque ad Sixtum IV (p. 285—307) ea de re senserint exponitur.

Ignatius Ottiger S. I., Theologia fundamentalis. Tomus II. De Ecclesia Christi ut infallibili revelationis divinae magistra. Friburgi Brisgoviae. 1911. (1062 p.)

Capite primo primae partis forma et institutio Ecclesiae Christi tractatur. Thesi III statuitur: Imperium sacrum Christus ita instituit, ut apostolo Petro primatum non tantum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis in ceteros apostolos atque in omnes christianos conferret. Ad eam rem probandam primum locus Mt 16, 18—20 explicatur (p. 64—106), deinde Io 21, 15 (p. 106—120). Tum res confirmatur ex reliqua Christi cum Petro agendi ratione (ubi omititur illud Mt 17. 26), ex Petri ipsius ceterorumque apostolorum agendi ratione (133—145), denique testimonio antiquitatis (145—186); ubi verba ss. Patrum afferuntur, non tamen singulorum locorum vis satis expendi videtur. Postea separatim de Cypriani et eius sequacium sententia exponitur (186—191; cf. 653—658), de Origene (191—193), de posterioris aetatis patribus.

Haec thesis thesi VIII. completur (cap. II. de proprietatibus Ecclesiae Christi): Ecclesia e Christi voluntate non solum in perpetuum permansura, sed etiam immutabilis est ratione tum Petri primatus et totius regiminis sacri, ita ut sacer principatus semper in ea exsistat, numquam vero penes fidelium multitudinem vel principes civiles sit, tum infallibilitatis et ipsis quidem in sacro regimine apostolorum legitimis successoribus in perpetuum concessae. Unde efficitur, ut etiam ratione fidei et doctrinae Ecclesia sit immutabilis. Ac Petri quidem primatum ex institutione divina esse perpetuum probatur et defenditur p. 282—286 ex eo, quod super Petrum ut fundamentum firmans Ecclesia aedificata est, ex eo, quod Petro ut supremo pastori vicario Christus omnes fideles commisit, ex eo, quod primatus Petri fuit maxime primatus iuris-

dictionis, e fine primatus proposito, ex non statuenda formae constitutae mutatione, nisi positive et clare demonstratur. Infallibilitatem semper existuram esse in Ecclesia probatur ex Mt 28, 20 (318), ex Mt 16, 18 (318—324), ex 1 Tim 3, 14 (327—334), ex eo, quod Ecclesia semper divina et vera manet (334—335), id quod imprimis testimonio antiquitatis confirmatur (337—341). Deinde infallibilitatem solis apostolorum in sacro regimine successoribus e Christi voluntate convenire probatur (p. 348—350). Denique dogmata posse vere mutari (cf. p. 276) refutatur.

Post haec thesi IX agitur de Ecclesiae apostolicitate, thesi X de eius unitate (p. 398—433), thesi XI. de catholicitate (433—454), thesi XII de sanctitate (455—474). Quas proprietates, quatenus experimentaliter cognosci possint et immediatius cognoscantur esse proprietates verae ecclesiae quam coetum esse veram ecclesiam, thesi XV (p. 509—522) veras notas Ecclesiae esse statuitur, catholicitatem solum probabiliter notam positivam Thesibus XVI—XXII hae notae applicantur.

Primum igitur probatur Romanum Pontificem esse subiectum primatus a Christo instituti. In qua re demonstranda cum difficultas non sit (p. 532) potius ea quae ab adversariis afferuntur accurate refutantur: Petrum Romae fuisse p. 533—574, eum ibi episcopum fuisse p. 574—586, et ibidem mortuum esse p. 587—594 probatur. Praeterea testimoniis R. Pontificum ostenditur eos primatum sibi semper ascripsisse (p. 601—626), testimoniis autem Patrum (626—697) et testimoniis conciliorum oecumenicorum (697 ad 709) et ex exercitio primatus ecclesia non contradicente (709 ad 792) Ecclesiam hunc primatum semper agnovisse. Ex propositis coniecturis, quibus Irenaei verba nuper emendabantur, Mausbachii (Theol. Revue VIII [1909] 126) sententia scriptori magis probatur quam aliae (p. 643). Ceterum quae accurate et copiose de singulis Patrum locis exponuntur (de Cypriano p. 653—677, de Ignatio p. 626—630 etc.) hic non possunt commemorari. De exercendo primatu probatur ecclesiam agnovisse sine R. Pontificis auctoritate concilia nihil discernere posse (p. 709—732), eius esse episcopos confirmare (de Nectario, Anatolio etc.), loco movere, restituere (733—741), vicarios iurisdictione instructos sibi constituere (de Iuliano episcopo Coënsi, Pelagio diacono etc.) (741—751); appellationes episcoporum iudicare (ante concilium Sardicense 751—758; de ipso concilio 658—764; de Io. Chrysostomo 765—768; de Apiario et appellationibus Africanis 776—778 etc.); dispensare a legibus ecclesiasticis (779), sine communione cum eo neminem posse esse in ecclesia (779—792). — In eiusdem thesi p. III. solvuntur ea quae afferuntur contra Ecclesiae Romanae infallibilitatem e causa Galilei, e contractu fenebri vetito, e doctrina de intentione in administrandis sacramentis necessaria et sim. (p. 831—848).

Thesi XIX negatur in ullo religioso coetu ab Ecclesiae romano-catholicae communione separato unitatis notam (qua Ecclesiam romanam insignitam esse thesi XVIII probatum est) inveniri:

nam non solum iure deesse oboedientiam in ecclesia graeca sed etiam facto (p. 897); eamque carere legitimo et efficaci unitatis doctrinae ac fidei efficiendae principio, infallibili magisterio (p. 899), quem defectum non posse suppleri symbolis fidei (p. 900), quin etiam Photium sine ulla legitima causa ab Ecclesiae romano-catholicae doctrina [nondum definita] deficientem coetus sui sociis exemplum reliquisse, quod ipsi imitati fidei doctrinam eodem atque multo etiam maiore iure variare perpetuo possint (p. 902); ac reapse ex primo illo coetu mox alios exortos esse, eosque, tametsi diversas doctrinas profiterentur, nulla tamen legitima auctoritate ideoque nullo iure a Graecorum Russorumque primigeniis coetibus exclusos esse (p. 907.).

Similiter thesi XXI omnem coetum christianorum ab Ecclesia romano-catholica separatam sanctitatis nota carere statuitur. Ubi p. 985—987 Photium schismatis auctorem sanctum non fuisse probatur; deesse sanctitatem finis propositi inde efficitur, quod finis coetus orthodoxorum proximus ac primarius manifesto hic sit, ut se tales, quales sint, i. e. ut separatos conservent latiusque diffundant, i. e. ut impugnent et impediunt, quantum valent, apostolicam Ecclesiam romano-catholicam eiusque regimen et magisterium a Christo institutum (p. 1044); porro subsidia ad homines sanctos reddenda coetus orientalium multa habere conceditur, sed eorum praecipua ita esse apud eos comparata, ut nullius aut certe multo minoris efficaciae sint quam apud catholicos; id quod a sacerdotum matrimoniis et doctrinae defectu repetitur (p. 1046); propterea (et quod non omnem doctrinam apostolicam profiteantur) orthodoxos non esse debita ac plena Christi Ecclesiae sanctitate vitae internae insignitos (p. 1046—7); neque vitae externae; etsi enim rituum religiosa observantia neglegenda non sit, christianum tamen verum ea sola non effici sed coniuncta cum interna vera et vivida fide et caritate Dei et ideo cum vitiorum fuga, malarum cupiditatum superatione et studioso christianarum virtutum cultu. Idque de Russis et orientalibus eo magis valere, quod illi natura et institutione in acceptis semel ritibus externis observandis sint tenaces et constantes. Notam vero esse etiam Russorum ebrietatem et magistratuum praesertim venalitatem necnon, et praecipue quidem hominum altioris condicionis luxuriam, notam malam Graecorum et Armenorum fidem et fraudulentiam (1047). Denique negatur saltem in nonnullis omni tempore sociis coetuum orientalium inveniri homines prorsus eximiae et heroicae sanctitatis. Qua de re generatim hoc modo *O.* sentit: „nihil absolute repugnare videtur, quin aliquam sanctitatis speciem prae se ferre atque etiam miracula patrare possint [si bonae fidei sint], non tamen in ipsius coetus schismatici gratiam vel directo vel etiam oblique i. e. ita ut ea miracula per se, et non tantum facile vitanda hominum culpa, eam persuasionem confirmet, qua illi schismatici coetum suum veram Christi Ecclesiam esse credant. . . Minime autem prorsus impossibile videtur, ut in gratiam hominis aegroti vel aliorum miserorum

propter bonum propositum finem supernaturalem, item in testimonium alicuius fidei doctrinae vere apostolicae aut etiam in laudem alicuius verae virtutis v g. castitatis, inter schismaticos quoque vel a vivis vel a mortuis iam beatis edantur miracula iis vestita quasi adiunctis, ut ea tantummodo satis manifesta temeritate dici possint ipsius etiam coetus ut schismatici et nonnulla falsa docentis veritatem confirmare. Nihilominus certa omnino miracula a vere schismaticis patrata nulla adhuc leguntur. Schismaticos autem bonae omnino fidei etiam aliquam sanctitatis speciem prae se ferre posse, non quidem ita, ut a vera Christi Ecclesia colantur et in sanctorum album sollemni modo referantur, sed ita tamen, ut tametsi non vere et perfecte, aliquatenus tamen sancti sint coram Deo, negandum nequiquam videtur, tum quia ipsi illi bonae fidei homines animo et voluntate ad veram Christi Ecclesiam pertinent et tantum materiali modo ex ignorantia non culpabili in schismaticorum coetu versantur, tum quia, si forte non omnia, pleraque tamen subsidia habent, quae Christus ad efficiendam sanctitatem Ecclesiae suae commisit. Ergo si istiusmodi homines istis adiumentis strenue semper utantur, nihil videtur obesse, quin etiam ipsi ad aliquantam vitae sanctitatem perveniant, quamquam propter rationes supra allatas eiusmodi homines multo rariores quam in Ecclesia romano-catholica in coetu schismatico sint necesse est, et quamquam istorum sanctitas undequaque et vere perfecta esse non potest, tum quia, ut prius de notis Ecclesiae loquentes iam diximus, si vere et perfecte sancti essent, Deus procul dubio eos illustraret ac permoveret, ut veram Ecclesiam cognoscerent eique sese etiam externe adiungerent; tum quia falsitas omnium ab Ecclesia romano-catholica separatorum coetuum tam aperta est, ut qui ipsorum socius vere ac perfecte veritatis religiosae studiosus sit et de Ecclesia Christi deque sua secta vel paululum serio recogitet, huius suae sectae falsitatem ante mortem certissime cogniturus sit. Ergo si eiusmodi homo, utut ceteroquin virtutibus excellens, usque ad mortem in sua secta bona fide remaneat, adest in ipso sane defectus veri ac perfecti veritatis religiosae studii ideoque vere ac perfecte sanctus esse nequiquam potest“ (p. 1054). Martyres tamen inter orthodoxos fuisse non omnino negat. Ceterum cf. Acta I. Conv. Velehrad. p. 28.

Etsi scriptori in omnibus rebus assentiri non possumus neque claritati perspicuitate eodem modo provisum esse atque copiae rerum censeamus, tamen et diligentiam et scientiam eius admiramur. Opus simili accuratatione a theologo orthodoxo compositum summo opere desideramus.

Antonius Straub, S. I., De Ecclesia Christi. Vol. I. II. Oeniponte 1912 (XCII+500; VI+916). 30 K.

Magna huius operis parte de primatu episcopi Romani scholastica methodo exponitur. Thesi III (I p. 38—87) Mt 16, 18, 19 explicatur et interpretationes differentes patrum, qui post concilium

Nicaenum scripserunt, declarantur. Quos S. ostendit interpretationem antenicaenam et catholicam non excludere sed supponere atque pro opportunitate etiam diserte cum aliis commentariis suis proferre eorumque varias interpretationes non opponi inter se sed conspirare ad unam expositionem adaequatam efficiendam (n. 107. 108). Praeterea aliae difficultates explicantur.

Thesi IV. Lc. 22, 31. 32 (I p. 88—101), V. Io. 21, 15—17 (p. 102—116) exponitur. Thesi VI. S. reliqua primatus indicia, quae in scriptura s. continentur colligit et auctoritati patrum innixus explicat. Item quae e scriptura sacra contra Petri primatum afferuntur diluit.

Thesi XIV (I p. 375—381) Christum primatum voluisse in ecclesia esse perpetuum probatur ex imaginibus fundamenti, clavium, regni, domus, ovilis, corporis, ex forma hierarchiae synagogae typicae, e primi coetus ecclesiae constitutione, ex testimoniis ss. patrum, e convenientia. Deinde thesi XV (I p. 381—442) episcopum romanum esse s. Petri in primatu successorem statuitur. Ubi allatis patrum et conciliorum testimoniis ad probandum ecclesiae consensum theoreticum de hac re (I p. 381—393), etiam agendi rationem in ecclesia antiqua huic doctrinae consentaneam fuisse ostenditur: ecclesiam enim agnovisse episcopum romanum habere ius dandi leges in ecclesia universa observandas, urgendi leges universales sanctione apposita, authentice eas interpretandi vel etiam in iis dispensandi (p. 393—395); praeterea ad eundem delatas esse causas finiendas ex parte qualibet ecclesiae et ab aliis iudicibus quibuscumque appellationes (p. 395—402); insuper a temporibus antiquissimis in ecclesia observatam esse consuetudinem episcopum romanum imprimis in maioribus causis consultandi, ac per varias regiones ab eo legatos, nuntios, vicarios suos pro opportunitate esse constitutos (I p. 402—408). Accedit argumentum ductum ex eo, quod ille existimandus sit s. Petro succedere in primatu, qui ei succedat in episcopatu particulari ad vitae exitum retento (I p. 408—441). Ubi s. Petrum Romae usque ad mortem episcopum fuisse neque Paulum, cum Petro iam praesente Romam venisset, una cum eo episcopum Romanum esse coepisse neque ecclesiae Romanae collegium quodpiam episcoporum praefuisse (contra Harnack) probatur.

In thesi XXI (II p. 87—121) de ambitu potestatis cum primatu Romani episcopi coniunctae agitur. S. docet Romanum pontificem non solum in rebus iuris ecclesiastici sed etiam in solvendis vinculis directe erga Deum existentibus agere posse quidquid ad finem ecclesiae conferat neque voluntate Dei absoluta (per revelationem vel rationem significata) prohibeatur; qua de re iudicare ipsius esse pontificis; necessariam autem ad solvenda eiusmodi vincula esse iustam causam. Itaque praeter absolutionem a peccatis detestatione retractatis habere eum ius dandi indulgentias, absolvendo homines extra sacramentum a poenis Deo debitae temporalibus (simul satisfactionibus ex thesauro ecclesiae exhibitis

quae secundum legem praesentis providentiae necessariae sint), item id quod ex promissione voti vel iuramenti Deo debeatur, condonandi, praeterea matrimonium mere ratum (non consummatum) fidelium (cf. n. 1025 de Alexandro III) et matrimonium consummatum conversi cum infideli et matrimonium post utriusque coniugis baptismum nondum denuo consummatum solvendi. In iis quae contra hunc primatum divinitus institutum afferuntur, maxime consideratae sunt, quae de Cypriani sententia exponit (n. 734 ad 737), quae complenda sunt iis, quae n. 1410 (p. 817—821) complectitur; praeterea explicantur etiam canones Sardicensis 3. 4. 5 (n. 738), carthaginiensis (a. 418) 17, repudiatus titulus episcopi oecumenici (n. 744) et alia huiusmodi.

Thesi XXII iurisdictionem omnem in ecclesia a Romano pontifice manare statuitur. Itaque episcopum Romanum iam antiquitus episcopis singulis valide constituendis intervenisse ostenditur (exempla ex occidente et oriente sumuntur p. 124—134) et episcopos eligendo vel confirmando eum ipsum iurisdictionem iis dare et non eo eligente vel confirmante Deum iurisdictionem, quamvis e pontifice romano dependentem, episcopis immediatis impertiri probatur (p. 137 - 151). Praeterea p. 160—161 S. Bolgenii opinionem impugnat, qui praeter particularem iurisdictionem episcopo ut personae singulari ab episcopo Romano (dioecesi aliqua commissa) datam, alteram universalem dari existimat a Deo ipso vi consecrationis cuivis episcopo ut membro corporis episcopalis ad leges disciplinae et fidei infallibiles sive in concilio oecumenico sive extra illud pro tota ecclesia ferendas; non enim convenienter recurri ad Deum, cum visibilis vicarius Christi iurisdictionem, de qua quaeritur, conferre possit, sicut pro concilio oecumenico etiam compluribus caractere episcopali carentibus eam certo conferat; neque rationem solidam pro illa sententia afferri. — In scholio quaeritur, unde confessarius episcopi Romani iurisdictionem habeat. S. antiquam amplectitur sententiam dicens confessarium a papa electum vel ad id munus obligatum iurisdictionem immediate ab ipso Deo accipere (n. 799); non tamen omnia quae pro altera sententia afferuntur (ut a Billot; cf. Sl. l. th. V 41), satis videtur expendisse.

Thesi XXIII (II p. 164—187) Romano episcopo ius tribuitur concilia oecumenica convocandi, iis praesidendi, ea confirmandi; id quod et usu vetere et testimoniis antiquitatis probatur.

Post haec de magisterio infallibili ecclesiae exponitur (cap. V). Ac primum quidem thesi XXIV (II p. 187—214) probatur (maxime verbis Mt. 28, 18—20 et Io. 14, 16. 17. 25. 26. et testimoniis patrum) episcopos ecclesiae coniunctos (i. e. maiorem partem eorum cum Romano pontifice) esse infallibiles in sententiis peremptoriis (non in obiter dictis neque in iis, quibus absolute assentiri fideles non iubeant); fideles vero habere infallibilitatem in discendo vel credendo seu passivam. Deinde thesi XXVI (II p. 348—395) eadem infallibilitas, qua ecclesia in doctrina de fide

moribusve definienda instructa est, episcopo Romano etiam soli tribuitur. Afferuntur Mt 16, 18; Lc 22, 31. 32; Io 21, 15—17 (p. 351—355); acta concilii Cp. IV, Lugd. II; necessitas confirmationis decretorum concilii oecumenici, sine qua peremptoria esse non putabantur (p. 357), quam contra orientalium de conciliorum oecumenicitate sententiam p. 884 defendit; illud Irenaei l. 3, c. 3, cuius loci qui integer esse existimatur (retentis etiam verbis „ab his qui undique sunt“) singula verba philologorum modo explicantur (p. 358—378; cf. p. 808); testimonia Optati aliorumque; appellationes ad Romanam sedem in causis fidei (381 ad 389); denique alia antiquitatis documenta, velut illud e liturgia Graeca de Silvestro pontifice (*ταῖς ἀπλανέσι διδασκαίς*), Ioannis Hierosol. episcopi (572/3—592/3: successores infallibiles), Sergii cypriensis episcopi etc. (p. 390—393). — Iis, quae contra Romani episcopi infallibile magisterium afferuntur, thesi XXVII occurritur (p. 403—484). Itaque exponitur de controversia de baptismo haereticorum (p. 404—414), de canone Arelat. 8. (p. 411—416), Nicaeno 8 et 19 (416—427), de Vigilio (p. 429—431), de Honorio (pag. 431—435), de Nicolai I. responso de forma baptismi (p. 435—438), de reordinationibus Stephani III., Nicolai I., Io. VIII., Steph. VI., Io. XII.; Leonis IX., Greg. VII., Urb. II., Innoc. II. (p. 440—453); de Ioannis XXII sententia de paupertate (p. 454—5) et de iustorum sorte post mortem (1045—6); de Eugenii IV. sententia de materia et forma sacramenti ordinis (p. 456—463), quem erravisse fatetur existimans „Eugenium de ritu essentiali ordinis, qui sit pro latinis, doctrinam distinctam quidem a partibus decreti peremptoriis proponere, quae progrediente scientia theologica, praesertim notitia extensa antiquitatis christianae, iam minus recta agnoscatur“ (p. 462); de causa Galilaei (464—467). Deinde sententiae patrum, quae obici solent, explicantur (de Augustino: p. 467—468; de Vincentio Lirin. p. 468—9). Denique argumentum maximum adversariorum infallibilitatis Romani episcopi examinatur: quibus videtur nihil agendum relinqui conciliis oecumenicis in causa fidei, ideoque concilia omni momento spoliari. S. cum D. Palmieri consentiens contra alios negat episcopos, quamvis solum ut membra sub capite visibili et cum eo infallibiles sint, hac tamen infallibilitate immediate a Deo insigniri et concedit doctrinam etiam totius multitudinis pastorum et doctorum non esse virtute promissae assistentiae divinae infallibilem nisi ex consensu (sive expresso sive saltem tacito) episcopi Romani. Rem autem hoc modo explicat: Episcopi collecti in concilium aliter ac simplices theologi partes etiam iudicum, non tantum consiliariorum implent, non quidem prae superiore pontifice Romano, sed potestate a pontifice concessa prae ecclesia subiecta universa. Proinde inter sententiam solius pontificis Romani et sententiam concilii differentia accidentaliter intercedit ratione numeri maioris vel universitatis praesidum et iudicum docentium; quae differentia ipsa ad momentum concilii insitum explicandum sufficit: definitio est sollemnior; ecclesiae

pax et unitas facilius procuratur; haeretici efficacius retunduntur, quod infallibilitati, quamvis in se non maiori, tamen testimonii etiam propriis testatae et aetate omni in ecclesia creditae, concilii adversantur et quod, licet ecclesiae ipsius infallibilitatem negent, tamen vel solam humanam auctoritatem corpori universo magistrorum inhaerentem et ex contentione virium tanta splendescentem agnoscere coguntur. Quos effectus utique fere omnes sola definitio pontificis Romani producere per se valeret et deberet, sed per accidens seu ob infirmitatem vel malitiam humanam aliquando non produceret.

In fine libri de ecclesiae proprietatibus et notis agitur. *Thesi XXXVIII* (II p. 822—851) haec statuuntur: I. Notae idoneae quibus vera ecclesia Christi a secta falsa discerni certo possit, non sunt veritas doctrinae aut recta administratio sacramentorum; nam difficiles sunt agnitu cum ex se tum hominibus rudioribus, neque sunt notiores quam ipsa ecclesia vera quae quaeritur; insuper S. quidem censet etiam coetui schismate a vera ecclesia seiuncto (erranti sc. de persona papae) communes eas per se esse posse (p. 827—837) — II. Neque magis idonea nota est consensus patrum ac decreta priorum septem conciliorum oecumenicorum immutate servata; nam hac nota non internoscitur vera ecclesia sed cognoscitur solum aliquam posteriorem ecclesiam eadem sentire quae ecclesia aliqua priorum saeculorum senserit, quam fuisse veram ecclesiam hac nota certe non constat. Neque haec nota facilis est cognitu aut notior quam ecclesia vera ipsa, cum oporteat certo noscere documenta appellata esse genuina (de quorum nonnullis etiam lis est ut de canone Chalcedonensi 28 vel trulano 1. 2. 36), eaque consideranda esse sola (neglecto concilio Constantinopolitano IV) ea esse incorrupta, praeterea nosci certo sensum locorum subtilium de rebus etiam reconditis ut de processione Spiritus S., insuper cognitam habere doctrinam et decreta omnium coetuum religiosorum et perfecte comparari decreta coetus huius et ecclesiae pristinae. Accedit, quod orthodoxi contendere non possunt quicquam eorum, quae nunc Romana ecclesia doceat, refragari doctrinae consentienti antiquitatis, nihil autem addendum fuisse perperam statuitur, cum munus ecclesiae perpetuum sit pro necessitate vel opportunitate infallibiliter veritates fidei simplicius propositas diserte inculcare, implicitas explicare, dubias definire, impugnatas propugnare formulis idoneis, sicut etiam ipsi libros symbolicos composuerunt. Denique homines secundum scripturam et traditionem sacram et rationem non e doctrinae et disciplinae integritate ecclesiam veram cognoscere sed ab ecclesia vera doctrinam et disciplinam accipere debent (p. 837—840). — III. Nota prima ecclesiae est communio cum Petri successore (p. 840—842). — IV. Unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas sunt ecclesiae notae negativae, sanctitas charismatis miraculisve comprobata et saltem probabilissime etiam ipsa sanctitas heroica (quae „vix ac ne vix quidem extra ecclesiam

veram comparere potest“) et catholicitas notae positivae. „Neque tamen idem de unitate vel apostolicitate seorsum consideratis dicimus, quandoquidem per se videtur fieri posse, ut specie quadam exteriore unitas atque apostolicitas in sectis falsis quandoque reperiatur“ (p. 844).

His statutis thesi XXXIX probatur solam ecclesiam illam, quae romana catholica nominetur, esse ecclesiam veram lesu Christi. Atque Graecos quidem Slavosque separatos notis postulatis ecclesiae Christi destitutos esse his probatur argumentis: 1. non apparet sanctitas ulla miraculis severius examinatis confirmata; ad quod confirmandum multi auctores commemorantur (p. 873—5)). 2. Deest etiam catholicitas, cuius vocis vis in th. XXXVI. explicatur; quam deesse rursus auctoritate multorum scriptorum confirmatur (p. 875—7). 3. Item deest unitas necessaria. Ecclesiae enim autocephalae in regimine inter se non dependent, etsi verbo quidem sub Christo capite invisibili synodum oecumenicam auctoritate summa praeditam agnoscunt; praeterea etiam in fide discrepant, cum de baptismo catholicorum et protestantium dissentiant. Deinde (n. 1468) S. argumentum affert, quod cum alibi hoc modo expositum non invenerimus, hic totum speciminis causa exscribere libet ipsius verbis: „Quamvis coetus singuli divisi orientis prae protestantibus unitatem quandam in se obtinere videantur, dilucide ostendere valemus, unitatem in illis non vigere veram, i. e. effectam per ipsum principium vel centrum unitatis divinitus ordinatum, sed mere fucosam, idque nunc probatur etiam exposita demonstratione primatus romani, quam superius protulimus. Namque quae est veritas saltem historica praemittenda, ante schisma praevis discidiis brevioribus a Photio saeculo IX motum et a Michaele Caerulario saeculo XI renovatum ecclesia graeca cum patriarchis constantinopolitanis romano coetui adhaerens episcopum romanum ut principium et centrum unitatis ecclesiae totius in Petro divine constitutum ideoque immutabile agnoscebat. Recordare testimonia vel gesta plurima pridem tradita graecorum in pontifice romano simpliciter caput ecclesiae universae observantium, ut ipsius Athanasii (n. 498. 499), Basilii M. (n. 500. 505. 990), Gregorii naz. (n. 987), Chrysostomi (n. 164. 500), Flaviani constantinop. (n. 501), Ioannis hieros. (n. 996), Maximi martyris (n. 102. 645), Theodori studitae (n. 148. 165. 483. 645. 991); recordare formulam Hormisdæ, quam supra (n. 493) attulimus, subscriptam ab episcopis orientis, ab imperatore Iustiniano, ab ipsis patriarchis constantinopolitanis Ioanne II, Epiphanio, Menna, a concilio oecumenico VIII. (Quae autem per occasionem concilii eiusdem fuit disceptatio de Bulgaria, politicae male mixta, ut iam supra [n. 817] diximus, ad iurisdictionem non propriam primatus, sed tantum patriarchatus pertinuit eademque in sententiam a legatis apostolicis repudiatam desiit; cf. Jungmann, dissert. 17. in hist. eccl. n. 81 ss. 94 ss. vel etiam Hergenröther, Photius 2, 149 ss.); quin immo addere licuit (n. 494) verba sollemnia, quibus

etiam post schisma Caerularii pontificem romanum principium unitatis ecclesiae graeci iterum iterumque in ipso concilio lugdunensi II et florentino professi sunt; et quidem professionem florentinam, cum Ioseph patriarcha constantinopolitanus moriens ad certam omnium fidem papae senioris Romae ut patri patrum et maximo pontifici et vicario Iesu Christi plene se subiectum per litteras declarasset, praeter imperatorem Ioannem Palaeologum cum episcopis graecis etiam „Isidorus metropolita Kiaeviensis totiusque Russiae“ (Harduin 9, 406. 423 ss.) subscripsit; quod autem Marcus Eugenicus ephesinus adversus omnes praesentes unus subscriptionem recusavit, solum monstrat, quam liberi episcopi Florentiae in agendo fuerint. Apposite Leo XIII scribit (principibus populisque univ., 20. iun. 1894): „Peramanter respicimus ad orientem... latinos graecosque ut dogma sanxisset“. — Unde est primum argumentari: Ecclesia graeca ante schisma adhaerens tamdiu romano successori Petri aut adhaerebat principio unitatis vero, per Christum pro ecclesia instituto immutabili, aut non adhaerebat. Atqui in hypothesis priore ecclesia graeca in regimine, in sacrorum communione, in fide ipsa nunc abscissa non amplius adhaeret principio vero unitatis proindeque non est amplius intra ecclesiam Christi veram, pro sanctitate quidem essentiali nullo praetextu deserendam, similiter ac provincia quaedam maior minorve contra regem provinciasque fideles seditiosa pars antiqui regni esse manifesto desinit; in altera hypothesis ecclesia graeca principio vero unitatis ideoque societate ecclesiae verae pariter non fruitur, siquidem potius affirmandum esset ecclesiam Christi interisse, quando per tot saecula principium efficiens unitatis verae a Domino positum defuisset, quam contendendum principium aliud, ut patriarcham Constantinopolis vel imaginariam illam synodum oecumenicam etiam expertem pontificis romani, contra vel praeter principium tralaticium saeculo demum IX vel XI, videlicet a se ipso, exstifisse; cuiusmodi angustias sentiendo graeci ipsi ad principium priscum redire interdum maluerunt. Quae ratio argumentandi multo magis in illos homines valet, qui per aliud schisma ab ecclesia constantinopolitana, agnita prius praefecta, recedendo coetus proprios constituerunt. Ita nominatim pro se russi a. 1589 dignitatem patriarchalem sui iuris et ea suppressa sub Petro M. a. 1721 synodum permanentem condiderunt. qua episcopi se obstrictos iurant et imperator velut instrumento utitur; adaeque neograeci recentius praeter alios a patriarchatu constantinopolitano digressi a 1833 synodum perennem regi quidem obnoxiam creaverunt. Quodsi patriarcha constantinopolitanus synodos tales approbando quadantenus auctoritatem suam interposuisse videatur, hac certe approbatione ipsa vinculum sufficiens unitatis cum coetu russo et neograeco emancipato rumpi sivit; neque enim vinculum eiusmodi ibi est, ubi potestas summa communis, sive cogitatur propria episcopi unius sive episcoporum simul omnium, pro causis pluribus et facile pro omnibus practice quidem ablata est. Scissi-

onem hanc significavit iusiurandum cuius membro synodi russicae fere adhuc emittendum illis verbis: „Confiteor porro et iureiurando assevero, supremum huiusce collegii iudicem esse ipsum totius Russiae monarcham Domnum nostrum clementissimum.“ Quo simul percipimus, regimen ecclesiae saltem summum in Russia non esse episcopale, vel umbra principii unitatis a Christo dati exclusa; quod quidem plus minusve etiam aliis segregatis orientis accidit.“ — Quibus expositis repugnantias quas doctrina orientalium divisorum de ecclesia sua vera una contineat enumerat: primum infallibilitatem episcoporum inter se consentientium quam verbis explicitis affirmant, facto et implicite negant; „ne quaestionem quidem habent, quid tempore orti schismatis episcopi numerosiores senserint, sed episcopos suos prae ceteris homines sententiae cohaerentis cum ecclesia antiqua ideoque rectae ex considerata indole sententiae [non numero episcoporum considerato] pronuntiant. Deinde negant ullum esse caput vel fundamentum ecclesiae universae praeter Christum et simul ecclesiam universam dicentes subiectam esse in rebus fidei universitati infallibili episcoporum praeter Christum fundamentum vel caput ecclesiae admittunt. Denique Christum solum ita fundamentum et caput ecclesiae esse volunt, ut nullum secundarium, vicarium sit, cui ecclesia universa obnoxia sit et tamen apostolos et episcopos capita vicariosque esse in ecclesiis particularibus tenent.“

4. Denique deest etiam apostolicitas, cum successio in potestate sacra iurisdictionis ab origine apostolica continuatae vix mere apparens, nedum simpliciter apparens, illis restet; quippe potestas iurisdictionis ad usum expedita vel in se ipsa (cf. n. 1292) non obtinetur nisi per principium unitatis ecclesiae divinitus positum, a quo illi nimis alieni sunt. Praeterea nonnulli viri eruditi etiam de potestate ordinis partis seiunctorum orientalium dubitant, cum virum illum, qui a. 1620 in urbe Kiev Theophanem patriarcham Hierosolymitanum se iactavit atque complures episcopos consecravit, episcopum consecratum fuisse non censeant

Praeter capita haec alia quoque multa in hoc opere inveniuntur, quae ad nos pertinent. Nonnulla iam commemoravimus. Hic maioris momenti quaedam collecta indicabimus.

a) De iurisdictione orientalium ad sacramentum paenitentiae necessaria. S. orthodoxos negat generatim posse sacramentum paenitentiae valide administrare; excipit mortis tantum periculum, in quo iurisdictionem ab ecclesia concedi existimat (p. 887). Itaque contra Kern (Sl. 1. th. III 65) non dubitat dicere „quoties iam ante Michaelem Caerularium patriarchae imperii Byzantini schisma ad tempus excitabant, toties per orientem suspensum esse sacramentum paenitentiae excepto casu periculi mortis.“ Ratio, qua S. ad hoc dicendum movetur, est haec: „Nequit licite ecclesia subicere ideoque pro sanctitate sua non subicit homines iudicibus, quos constet non talibus sentiendi vel agendi principiis imbutos esse, ut secundum ea de peccatis v. g.

haeresis vel schismatis recte iudicare possint“. Sed hanc rationem non valere ad iurisdictionem gratiosam (in qua Deus est principaliter iudicans) orthodoxorum generatim tollendam manifestum videtur esse. Ut de haeresi aut de schismate recte iudicare non possint, de quibus peccatis ii, qui bona fide sunt, se non accusant, de aliis cur iudicare non queant? Ceterum retorqueri posse videtur haec ratio ita, ut etiam ab haereticis occultis quemquem absolvi posse a peccatis negetur.

b) De condicione ad unctionem infirmorum valide administrandam necessaria. S. II p. 283—326 contra Kern, quem tamen ne nominat quidem, argumento ducto ex disciplina ecclesiae negat sacramentum unctionis infirmorum in eodem morbo, manente eodem mortis periculo, valide repeti posse (Cf. Sl. I. th. III 366). Usum autem septiens, sc. per 7 continuos dies vel per 7 sacerdotes se continuo excipientes, infirmis adhibendi orationem sacramentalem ita, ut intermissio diligenter vitetur, dicit potius continuationem meram eiusdem sacramenti indicare (p. 296). Sed haec forsitan nimis a priori statuuntur. — Hac occasione etiam de condicionibus, quae postulentur, ut unctio infirmorum valide adhiberi possit, se ab illo dissentire ostendit (n. 934) neque orientalibus aliter occurrit quam his: „Utique ad validitatem extremae unctionis exitus vitae instans verus tum ob difficultatem nimiam praescientiae certae tum vel ideo non requiri potest, quod finis secundarius sacramenti in sanitate corporis interdum restituenda cernitur. Sed confortatio animae pro luctatione ipsa extrema est finis primarius ita, ut sacramentum nihil valeat, nisi exitus vitae subest saltem probabilis“. II p. 304*.

c) De confirmatione orientalium a simplici sacerdote administrata. Sententia S. de hac re est haec (II. p. 886): Ordinarius confirmationis minister solus episcopus est, qui ordinatione (non iurisdictione collata, cum papa eam potestatem adimere non possit, sed iure a Deo cum ipso sacramento coniuncto) potestatem confirmandi accipit; cuius rei convenientia II. p. 54—55 explicatur. Tamen Christum statuisse, ut praeter episcopum sacerdos simplex extraordinarie eatenus minister esset, quatenus ab ecclesiae magistratu ad confirmandum designaretur e declaratione peremptoria Clementis VI manifestum est (II p. 49). Ante schisma presbyteri orientales designationem cum iure ad potestatem confirmandi divinitus (cf. II p. 55) obtinendam ab episcopis suis accipiebant, qui ipsi potestatem designandi a pontifice Romano (eius voluntate implicita) acceperant. Separatione a sede Romana episcopi cum iurisdictione reliqua etiam ius designandi amiserunt. Certum autem est, presbyteris orientalibus separatis adhuc esse potestatem valide confirmandi, nisi expresse pro hac vel illa regione sit adempta (ut in Bulgaria, in insula Cypro, in Albania, in Italia; cf. J. Kern in Sl. I. th. III 66—67; J. E. Danner in Theol. prakt. Quartalschrift 1912 [LXV] p. 525—537). Itaque orthodoxi presbyteri designationem immediate a pontifice Romano habent. Quod fieri

posse hoc modo explicatur: „Ecclesia certe sacerdotes ipsos dissidentes ad confirmationem saltem validam designare potest usque consimili ratione ac qua Christus homines ab ecclesia alienos valide baptizare vel et sacra alia conficere posse voluit. Nimirum ita hinc succurritur iis pro consuetudine inveterata recipientibus, qui sint bonae fidei, illinc non praestatur incitamentum peccandi ministrantibus, cum vetitum ministrandi maneat, quo neglecto dissidentes illicite per se faciunt; quin etiam horum culpa deminuitur, quoniam gravius delinquent qui sacris invalide quam qui solum illicite operantur; accedit, quod ecclesia utendo clementia (per rationes propositas honesta) ideoque desistendo [i. e. non destituyendo orthodoxos] nominatim confirmatione hominum a seiunctis confirmatorum, animos dissidentes non etiam gravius exacerbat.“ — Episcopum solum posse chrisma consecrare a Clemente VI. definitum esse p. 60. dicitur.

d) De consecratione olei infirmorum. Similiter ac presbyteris extraordinarie potestas confirmandi conceditur, conceditur etiam potestas consecrandi olei infirmorum. (II p. 61); simili actu iurisdictionis (designatione) ius ad potestatem accipiunt, quam Deus ipse sine sacramento iis dat. Simili ratione ante schisma hanc designationem ab episcopis suis presbyteri orientales accipiebant, nunc eos etiam habere hanc potestatem analogia eadem concluditur. Itaque designati ab ipso pontifice Romano valide oleum infirmorum consecrant, etiamsi praeter vel contra voluntatem episcoporum suorum agant (II p. 886).

e) De membris ecclesiae. Ubi de ecclesia ut corpore Christi (capitis) agitur (thes. X), non illustratur relatio membrorum ad alterum Adam (cf. Sl. I. th. II 157); membra ecclesiae simpliciter dicenda esse existimantur etiam schismatici et haeretici, si sunt occulti (n. 1300. 1285) et etiam homines invalide baptizati (1194); non vero schismatici publici materiales, ne ii quidem, qui ius i. e. Romanum episcopum habere auctoritatem in universam ecclesiam concedunt, sed de eo errant, quis auctoritatem legitimam habeat (n. 1255. 1478). Unde difficultas oritur, quomodo tempore schismatis occidentalis catholicitas servata sit, quam n. 1482—4 solvere S. conatur. (Cf. Sl. I. th. I 149 ss.)

Praeterea n. 867 ss. et 1051 de auctoritate vulgatae agitur; n. 1437 de Filioque inserto; animas decedentium in gratia, quae nondum per completam paenitentiam de suis satisfecerint peccatis igne ad tempus cruciari et mox purgatas etiam citra diem iudicii ad veram et aeternam beatitudinem pervenire, quae in faciali Dei visione et dilectione consistat, a Clemente VI. infallibiliter praecipitur II p. 484 commemoratur. Similiter II p. 86 de epiclesis vi infallibiliter eundem docere pontificem dicitur. N. 1016 cum Dölgero I 4 § 3 consentire se dicit, qui sententiam de reconfirmatione, quam orientales nonnulli amplexi sunt, simili modo explicat (Das Sakrament der Firmung p. 146—149) atque M. Jugie (Sl. I. th. III 373). Denique commemorare liceat etiam argumentorum

a Milaš episcopo contra primatum Romani episcopi allatorum aestimationem II p. 883—4.

Multa certe in hoc opere laudanda sunt; maxime vero accuratio et nullius difficultatis horror aut fuga. In patrum litteris adhibendis S. excellit; plurimi loci afferuntur et etiam saepe diligentissime explicantur. Tamen nonnullis locis afferendis nos quidem absteremus, iis dico, qui ad rem totam probandam idonei esse soli non videntur; velut II p. 352 verba ex Afrem commemorata potius dubitationem allatura videntur esse quam ad persuadendum collatura, cum, nisi aliunde res probata sit, confessio fidei solius Petri praedicari videri possit.

Alia res, quae nobis displicuit, est, quod auctores antiquiores, apud quos argumenta vel sententiae, quae a scriptore exponuntur, etsi fortasse ab eo ipso inventa sunt, occurrunt, indicari non solent. Verum est hoc potius ad argumenti vel sententiae historiam pertinere et modestiae est celare alios, quae ipsi invenerimus, sed vereor ne illud iis, qui libro utentur non fuerit magis profuturum aut acceptum et exspectatum. Item displicuit, quod theologi catholici, quorum doctrinam S. impugnat, ab eo non nominantur, cum eiusmodi adversarius „nonnemo“ appellari soleat. Talia singularia, cum sint contra usum communem, implicite videntur huius usus reprehensio esse, quam nos defendere nolimus.

Maximum autem libri incommodum est quaedam obscuritas in sententiis enuntiandis Scriptor Suarezium aut Lugonem sequi debebat; sed timere videtur ne voce supervacanea utatur neve rem eandem saepius eodem vocabulo significet; quasi ii, qui libro utentur, praeter utilitatem etiam eiusmodi iucunditatem et elegantiam cum utilitate nonnihil pugnantes sint desideraturi. Quis enim, ut exemplum afferam, legens sententiam II p. 322: „Sunt quidam theologi qui (cum . . . putent) non omnes [= aliqui] forte dissimiliter de poena sentient“ sine mora intellet quid scriptor dicere voluerit? Accedit, quod etsi eius locutiones nonnumquam patrum genus dicendi sapere videntur, etiam quaedam omnino insolita occurrunt ut illud imperare pro, precari pro II p. 173.

Ad extremum rationem doctrinae orientalium a scriptore habitam praecipue laudare debemus.

A. Špaldák.

E. C. Dewick, M. A. **Primitive Christian Eschatology.** Cambridge 1912.

Scriptor negat in N. T. indicari purgatorium. Ne illud quidem Christum diserte docuisse, precandum esse pro mortuis sed bonitati arbitrioque hominum commisisse, utrum pro iis deprecari vellent an rem ad Deum conferre (p. 288). Paulum precatum esse, ut Deus misericordem se praeberet Onesiphoro *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ*, in extremo iudicio, sed non ut poenas purgatorii levaret. Initia quaedam doctrinae de purgatorio inveniri in Visione Pauli 22 („in acerosum locum“), a Zoroastre repetenda (p. 332). Etiam apud Hermam huiusmodi rudimenta occurrere concedit p. 349

etsi dubitandum non sit, quin Vis. III 5 de paenitentia ante mortem agenda loquatur. Clementis Alex. sententiam (Strom. VI 14; cf. VII 16) *D.* simpliciter a desiderio continui in vita spirituali progressus repetit (cf. Martensen, *Christian Dogmatics*, Edinburgh 1866, p. 457) eamque a doctrina posteriore multum differre existimat (p. 367). Quae in Testamento Abrahae 14 narrentur, de anima liberata a iudicio Abrahae deprecatione coniuncta cum s. Michaëlis interventu, iis indicari a prevalent custom of praying for the dead *D.* concedit.

P. Pierling. La Russie et le Saint-Siège. Études diplomatiques. V. Catharine II. — Paul I. — Alexandre I. Paris, Librairie Plon-Nourrit et Cie. imprimeurs-éditeurs 8 Rue Garancière-6e. 1912. (V+480) 7 fr. 50.

Tomo quinto celeberrimi operis, cuius tertius et quartus tomus ab academia Gallica praemiis sunt insigniti, clarissimus scriptor tribus libris agit de commercio inter sanctam Sedem et Russiam tempore Catharinae I., Pauli I., Alexandri I.

Petrus Magnus politicis causis ductus omnibus religionibus libertatem concesserat. Quem statum retinebant, qui ei successerunt, donec regnum ad Catharinam II. pervenit, quae mulier fortis ea quidem et strenua, sed encyclopaedistarum novis imbuta sentiis, in administranda republica et maxime in gerendo se erga Sedem Romanam novis modis est usa. Quidquid enim discernendum erat in causis catholicorum imperatrix suo nomine decrevit Romamque per episcopos aliosque interpositores nuntiavit. Quos ut sese promptos eiusque obsequentes voluntati ostenderent, honoribus et beneficiis est complexa. Cum a Sede Romana ea quae postulaverat, confirmata non erant, minis utebatur: catholicos in Russia degentes a Roma omnino separatim iri monebat. Tum papa ut maius malum, defectionem vel separationem magnae ecclesiae partis averteret imperatrici quantum potuit indulgebat eiusque decreta non legitima plerumque comprobabat, ac rata habebat. Qui modus procedendi „per viam facti“ Catharinae aliquotiens bene successit.

Imperatrix cum ecclesiam orthodoxam sub status potestatem redegisset nullo fere resistente, sperabat fore, ut idem sibi etiam de ecclesia catholica contingeret. Perpetuae discordiae et dissensiones catholicorum (cf. pg. 7) cum inter se tum cum Romana congregatione de propaganda fide, sub qua Russici catholici erant, ei ansam praebuerunt, immiscendi se eorum rebus, praesertim cum altera factio opem imperatricis imploraret. Quam ut ferret facile adducebatur. Lege decrevit, ut magistratus administrandis rebus temporalibus ecclesiae non a Romana congregatione designarentur, sed ab ipsis catholicis crearentur, tutela potestati civili commissa. Quae lex discordiam catholicorum augebat; nam qui potestatem nimiam propagandae aegre ferebant, ea liberabantur ideoque gaudebant, alii aegre ferebant se potestati civili nimis obno-

xios fieri etsi in rebus tantum humanis id fieri imperatrix etiam atque etiam pronuntiaret; nam in explicando quid sint res humanae Catharina uti in omnibus rebus propriam secuta est sententiam. Propaganda de nova lege certior facta est per utramque catholicorum factionem, sed tam diverso et contrario modo, ut optimum duceret legatum in Russiam mitti. Quo consilio cognito imperatrix responsum Romam misit haud ambiguum et superbiae plenum legem datam nullo modo mutari posse, cum suprema imperatricis auctoritate munita esset. Rursus affirmatum est, in divinis rebus propagandam omnino liberam fore; sed quid essent res divinae seu spirituales, explicatum non est.

Quod dum agitur, novae gravesque difficultates abortae sunt. Anno enim 1772 cum Polonia primum divisa est, 100.000 catholicorum latinorum, 800.000 unitorum sub Russiae imperium redacta sunt. Statutum erat, ne quid mutaretur in rebus spiritalibus. Quam vocem ut iam antea ex sua opinione interpretata Catharina iam 14^o Decembris eiusdem anni promulgari vetuit quidquid Roma promulgandum mitteretur, nisi a potestate civili approbaretur; neque licere catholicis parti suae augendae dare operam; res esse deferendas ad „collegium iustitiae“ et senatum si quid in dubium revocaretur quod ad oeconomiam vel ad ordinem in monasteriis aut ecclesiis parochialibus pertineret. Propaganda Romana non tantum frustra intercessit, sed novae insuper ei illatae sunt iniuriae. Poloni catholici ritus latini ad tres varias dioeceses pertinebant, ad Vilnensem, ad Livoniensem, ad Smolenscensem. Quas partes Catharina suo arbitrio in unam novam dioecesim coniunxit, cuius episcopum Stanislaum Siestrzencewicz constituit, virum eruditissimum multaque ex parte excellentem, sed imperatricis nimis studiosum (23). Antea episcopus Vilnensis eo usus erat administratore suae dioecesis, postea re diu cum sede Romana tractata iurisdictionem accepit in omnes catholicos Romanos in Russia degentes, non tamen approbata est simul constitutio illa novae dioecesis. Auctae sunt difficultates sublata societate Iesu.

Iesuitae magno cum fructu in 20 Poloniae Russicae domibus laborabant, praecipue in collegio Polocensi ubi educandae iuventuti dabant operam. Maluerant enim cum miseris alienae ditioni subactis remanentes miseri et subacti esse quam emigrare. Permissum est iis in Polonia manere cumque omnes fere res publicae iesuitas eicerent et ut tollerentur a Romano pontifice peterent, Catharina politicis utique rationibus ducta eos protegebat.

Anno 1773 Clemens XIV. perpetuis importunisque precibus multorum cedens societatem Iesu brevi „Dominus ac Redemptor“ sustulit. Non tamen decretum hoc valuit nisi re promulgata per episcopos. Quod ne fieret cum Catharina in Russia prohiberet, societas Iesu in eius imperio legitime agitare pergebat. Neque alibi neque in Russia iesuitae dubitabant tristi decreto parere, cumque P. Czerniewicz, rector collegii Polocensis, qui ab ultimo

Massoviae provinciali summam potestatem acceperat, de illo funesto decreto cognovisset ut promulgaretur ab imperatrice petiit. Quae ei rescripsit se ipsam Romae id acturam ut iis in Russia permanere liceret. Difficile negotium de hac re cum Romano pontifice tractandum Siestrzencewiczio episcopo commisit. Papa diu rem negabat, praesertim cum aulae Bourbonicae, quae cum ipsa Catharina agere nolebant, vehementer conquererentur iesuitas in Russia nondum evanuisse. Cum Catharina pergeret iesuitas protegere, simulque catholicos unitos vexaret, de latinis sibi multa iura vindicaret, summus pontifex his omnibus rebus pressus primum ut Maria Theresia, imperatrix Austriaca interveniret rogavit. Quae litteras dedit ad Catharinam propria manu scriptas (61) ab eaque recepit, sed sine successu. Neque per legationem a Garampi nuntio Varsaviensi Petropolim missam quidquam efficere potuit. Cui cum Ioannes Andreas Archetti succesisset item propter iesuitas maximas passus est difficultates. Primum Siestrzencewicz ex eo quaesivit, num sibi liceret iesuitis sacros ordines conferre. Archetti statim epistulam misit, qua illi vetabantur sacerdotio initiari et qua sacerdotibus iesuitis ministeriis spiritualibus interdici iubebatur. Sed Siestrzencewicz cum tres menses responsum exspectavisset nec quidquam accepisset, viginti iesuitas ordinavit sub titulo „provisionis imperatoriae“. Proximo die epistulam a nuntio missam accepit laesis sigillis (cf. de hac re pg 92). Qua accepta statim nuntio scripsit se debuisse iesuitas ordinare nec posse eos ministeriis spiritualibus interdici, cum iesuitae celeberrimas parochias haberent. Quae ne perirent, Roma de omnibus certior facta ordinationes ratas habuit et etiam suspensio a functionibus sacerdotalibus est rescissa.

Iesuitae qui de difficilibus actionibus cum sede Romana de se gestis nihil fere sciebant, interea Romam saltem secreto sibi favere credebant ideoque de novitiatu aperiendo cogitabant. Quod imperatrix approbavit promittens se curaturam, ut sedes Romana iis hoc permitteret. Catharinae iussu Siestrzencewicz eo tempore a propaganda potestatem petiit in omnes religiosos in Russia degentes ob mala quaedam, quae in visitatione in variis monasteriis vidisset quaeque corrigere in animo haberet. Quae potestas in tres annos ei concessa est. Paulo post suos canonicos convocavit consultabatque num acceptis facultatibus freto sibi etiam iesuitis potestatem dare aperiendi novitiatus liceret. Quod cum nemo negaret edixit et per totum imperium promulgavit.

Novitiatus ordinis sublato constitutus magnam tota fere Europa excitavit animorum commotionem. Quid proderat? Multis litteris Romam et Petropolim missis papa ut maius malum evitaret, rursus Catharinae cessit; itaque iesuitae in Russia manserunt uti Siestrzencewicz Iosepho II. dixit „populo indigente, imperatrice iubente, Roma tacente.“ Paulo post Catharina a papa petiit, ut suus episcopus acciperet titulum archiepiscopi Mohilevensis cum pallio. Quod cum papa renueret, imperatrix ipsa eum archiepiscopum

nominavit, adiutorem quendam ei constituit, potestatem in clerum regularem et saecularem ei tradidit, archidioecesim ipsa circumscriptis. Rursus multae epistolae utrimque mittebantur, imperatrix separatione absoluta a sede Romana minabatur, donec papa coactus quae non legitime facta erant, ex parte saltem rata habuit. Archetti legatum Petropolim misit, ut traderet Siestrzencewiczio pallium et consecraret Benislawski episcopi adiutorem et ecclesiam S. Catharinae Petropoli paulo ante aedificatam. Semel legatus etiam de unione utriusque ecclesiae locutus est cum archiepiscopo orthodoxo (137, 138). De cuius rei successu Catharina Grimmio Parisiensi legato scripsit, ne crederet quidquam de unione; primum eius impedimentum papam ipsum esse. Neque in aliis negotiis maximi momenti uti in ecclesiae libertate a potestate civili vindicanda, in episcopis constituendis, dioecesibus definiendis quidquam obtinere potuit.

Initio anni 1785 Catharina principem Žusupov, legatum Taurinensem, Romam misit, ut Siestrzencewiczio cardinalatus honorem impetraret. Quod papa compluribus ex causis negavit quamvis ille saepe institisset et Archetti eum adiuvisset,

Anno 1795 in tertia Poloniae divisione sex latinae et quattuor unitae dioeceses Russiae ditioni subactae sunt. Suo arbitrio nemine interrogato, sex latinas dioeceses in tres redegit, episcopos ipsa constituit eorumque potestatem auxit, archiepiscopi minuit, universum fere clerum sacramento dicendo adstrinxit, qui in posterum publica stipendia accepturus esset. Peior sors unitis obtigit. Una litterarum significatione omnes eorum dioeceses tolluntur. Episcopus omnium unitorum per totam olim Poloniam et Russiam Lisovskij, metropolita unitus Polocensis constituitur. Quin Catharina catholicos unitos orthodoxae ecclesiae inserere studebat, non vi, sed educatione et instructione iuventutis et plebis. Cum tristiores in dies nuntii Romam venirent, papa Laurentium Littam, legatum Varsaviensem, Petropolim mittere constituit. Quam legationem subita et improvisa Catharinae II. mors maturavit.

II. Missus est enim Litta Petropolim gratulatum de Pauli II. coronatione. Qui cum anno 1782 Romae maxime studiorum causa commoraretur, saepius cum papa convenerat. In tractandis catholicis vestigia Catharinae generatim secutus multas tamen res mitiore modo interpretabatur. Erga papam qui illis temporibus a Gallis valde premebatur, optime affectus erat eique auxilium promisit. Ordini equitum Melitensium mirabili fere modo favebat, multa commoda in Russia ei concessit (194, 195). Brevi post coronationem Litta imperatori notam tradidit in qua petiit, ut numerus episcoporum rite institutorum augetur, ut commercium religiosorum cum superioribus ordinaretur, ut bona confiscata ecclesiis redderentur. Sed imperator omnia fere postulata reiecit. Magis Siestrzencewiczio favebat, qui ei in multis indulgebat seque facilem praebebat. Velut tres sacerdotes Polonos, qui quod seditioni favere dicerentur ad metalla Sibiriae damnati erant, ordine privavit, cum Litta

accuratam, quam leges ecclesiasticae postulant, quaestionem instituere vellet. Imperatoris gratia erga episcopum etiam aucta est, cum pro defuncto patre imperatricis, Eugenio principe Wuerttembergensi, publicas per totam dioecesim preces imperaret. Qua occasione et ab imperatore et ab imperatrice praeclara munera accepit. Cum sua gratia multum valeret, etiam catholicis aliquod emolumentum impetravit: novum tribunal constitutum est ad eorum appellationes audiendas et iudicandas, cuius praeses factus est ipse episcopus, cum antea semper ad senatum iis saepe infestum et iniquum recurrere debuissent.

Actiones L. Littae legati interim lente procedebant ita, ut eum pecunia iam deficeret. Imperator ipse eum iuvit magnumque elemosynarium ordinis Melitensium fecit, qui magnos redditus accipiebat. Exeunte mense Augusto negotia tandem ad finem perducta sunt; quod effecerat, „actus“ continebant, qui 14 articulis constabant (246—254). Dioeceses Polonicae denuo definiebantur, sed modo qui catholicis non valde conducebat; in Russia ipsa una dioecesis manebat sub Siestrzencewiczio archiepiscopo, qui factus est cardinalis magnisque instructus est sicut etiam alii episcopi facultatibus velut de religiosis. De episcopis constituendis nihil certi decretum est. Quae omnia Litta papa non interrogato concessit, quippe cum nova decreta ecclesiae certe magis faverent quam illa quae ante id tempus valuissent. Praeterea manifestum erat eum resistendo nihil iuvare, perdere multa posse. Papa de omnibus certior factus „actus“ comprobavit.

Paulo post Paulus imperator sollemni modo primo protector, postea vero „magnus magister“ ordinis Melitensium est factus. Quare magnae difficultates inter papam et imperatorem intercesserunt, cum papa permittere non posset, ut princeps acatholicus ordini catholico praesset. Praeterea imperatorem magnum magistrum constitui non licuit, cum prior, Ferdinandus de Hompesch viveret, qui modo non legitimo a factione quadam honore suo privatus erat. Sed Litta nuntius imperatoris electionem non impedivit neque ei restitit. Quod ei non profuit. Nam imperator certior factus rem cum regulis et constitutionibus pugnare, Littae indignabatur, quod eam permisisset. Ea de causa et quod in nonnullis rebus (cf. 272 squ. de uniatis defensis etc.) iura pontificis acriter defendisset, in invidiam imperatoris incidit atque urbe exire est iussus. 17. Martii 1799 imperator legem edidit, qua constituit sua decreta exsequenda esse „non intervenientibus bullis sive epistulis romani episcopi“ (274). Episcopis imperavit, ut in posterum negotia agerent solum secundum leges imperii. Litta Petropoli discedere iussus negotia Benvenuti, suo auditori, tradidit.

Sed subito res in meliorem statum sunt conversae. Cuius rei auctor fuit P. Gabriel Gruber collegii Polocensis rector, vir ecclesiarum inter se reconciliandarum studiosissimus (p. 342), quem virum extraordinarium comes de Maistre recte appellavit. Paulus cum eo multum et familiariter agebat ab eoque adductus est ad

hoc, ut ecclesiae catholicae multa commoda concederet. Eius auctoritate remotus est ab episcopatu Siestrzencewicz, qui potestatem papae in Russia appetere videbatur eiusque in locum successit Benislawski, qui fuerat Societatis Iesu. Porro imperator iesuitis ecclesiam parochialem S. Catharinae tradidit atque universitatem Vilnensem attribuit excepta facultate medica. Quin tanti eos imperator faciebat, ut cum vicarius generalis Societatis Iesu a papa peteret ut societas haec aperte comprobaretur, se ei adiungeret, idemque litteris propria manu scriptis a papa supplicaret. Accedit quod imperator per P. Gruberum summum pontificem invitavit, ut si quando opus esset in Russiam sese reciperet tamquam in certum asylum. Item P. Grubero aperuit se paratum esse ad id agendum, ut unitas ecclesiae restitueretur (309—327). Eugenium archimandritam iussit commentationem canonicam componere de potestate papae Russico et Latino sermone conscribendam (317). Quae magna cum diligentia composita etiam Romam missa videtur esse. Pius VII cum de hoc studio imperatoris audiret magno gaudio affectus est omnibusque modis studebat, ut opus unionis ad felicem exitum perduceretur. Dixit se paratum esse ad proficiscendum Petropolim, ut ipse cum Paulo de tanto negotio ageret (322). Item papa publicas preces ad impetrandam utriusque ecclesiae unionem per suas civitates fundi iussit. Cardinalis Consalvi secretarius status benevole R. P. Kareu, vicario generali Societatis Iesu et P. Grubero respondit et Societas Iesu in Russia per breve d. d. 7. Martii 1801 approbata est. De nomine „magni magistri Melitensium“ quod Paulus affectaverat statutum est, ut cum imperatori nec concedi nec adimi posset, potestas spiritualis et militaris separarentur, illamque papa ipse sibi reservaret, hanc tribueret imperatori. Omnia optime procedebant, cum Paulus subito 11 Martii 1801 interfectus est. Tamen valde dubium est, fueritne amicitia papam inter et imperatorem diu duratura, cum Paulus inconstantis animi esset neque rationibus a religione repetitis duceretur.

III. Alexander I, qui ei successit, Benvenuti, qui tum Petropoli negotia papae gerebat, cum ei gratularetur, nuntiavit se eodem modo erga sedem Romanam gerere velle, quo Paulus se gessisset. Papa ipse imperatori scripsit de legatione stabili Petropoli instituenda; se iam Msg. della Genga hoc munus commisisse. Sed qui rem publicam administrabant, diu de re deliberabant. Imperator papae per litteras 26/VIII respondit promisitque se catholicis amanter esse consulturum. Cum collegium Polocense viseret, iesuitas ob eorum labores laudavit seque quicquam habere quod desideraret negavit. Verum paulatim Siestrzencewicz inualescebat, amicos quaerebat et sibi conciliabat et mox ab imperatore impetravit, ut in pristinam dignitatem restitueretur per collegium ab imperatore ad investigandam eius causam institutum. Quae res ecclesiae catholicae multum obfuit. Accedebat, quod imperator ipse complura decreta edidit ecclesiae valde iniqua. Nam tribunal ec-

clesiasticum constituit ex omnibus Russiae partibus in causis civilibus adeundum atque causas spirituales singularum dioecesium propriis tribunalibus commisit in quibus de negotiis ecclesiasticis secundum leges ecclesiasticas et civiles iudicaretur. Hoc instituto certe contentionibus inter potestatem civilem et ecclesiam sedandis provisum non est. Nec facile erat leges civiles cum legibus ecclesiae componere. Quomodo enim monachi secundum leges et regulas suas vivere poterant, cum lege civili omne commercium cum superioribus extra Russiam constitutis vetaretur? Praeterea catholici orientales Romae uniti iuribus fraudabantur, ad quod probandum illud Pauli I. adhibebatur: unitos coniunctos esse aut cum orthodoxis aut cum catholicis, ipsos per se iam non stare; ergo eos debere conformari aut his aut illis.

Interim Consalvi, qui Russiae erga papam studium et favorem etiam ob difficultates politicas retinere cupiebat, legatum quaerebat, cui difficilia cum aula Russica tractanda negotia committeret. Electus est tandem Thomas Arezzo (349). Qui Viennam profectus subito ob difficultates de ordine equitum Melitensium ortas ibi consistere iussus est. Alexander enim, cum Melitensium studio non eo arderet quo Paulus, titulum magni magistri huius ordinis renuntiaverat. Cum novus creatus esset, qui non erat e sententia Russiae, difficultates sunt ortae. Quibus compositis Arezzo Petropolim perrexit ire et honorifice exceptus est. Sed tres quattuorve tantum menses ei concessi sunt atque postulatum est ab eo, ut ab omni actu iuridico abstineret. Omnibus episcopis excepto Siestrzencewiczio cum eo magnus usus erat. Qui ab eo ut sibi suae facultates prorogarentur petierunt et impetrarunt. Etiam Siestrzencewicz catalogum suarum facultatum composuit (368). Qui quidem facile ab imperatore eiusque cancellario, sed non a legato papae approbatus est; iis enim concessis archiepiscopus Mohilevensis alter papa evasisset. Omnes enim omnium rituum catholicos suae dicionis fieri volebat, infinitam potestatem de ordinibus religiosis quae etiam ad eos ab ordine revocandos pertineret petebat, beneficia ecclesiastica et causas matrimoniales suo arbitrio committi cupiebat. Arezzo hunc catalogum Romam misit, ubi congregationis iudicio subiectus et omnium consensu repudiatus est. Cardinales horrore et indignatione affecti Siestrzencewiczium pro hoste ecclesiae habebant. Quod Arezzo confirmavit, qui eum nomine „flagelli ecclesiae“ insignivit. Posteaquam Arezzo Petropolim relinquere iussus est, ab imperatore impetravit, ut ipse sua auctoritate renovaret facultates, quas nuper a Pio VI. obtinisset.

Aliae difficultates occurrebant in constituendis episcopis et in clero excolendo. Princeps quidam importunus erat in affectando episcopi honore. Cum alii fautores in commendando homine indigno nihil profecissent rem ita instituit, ut imperator ipse se velle eum sine mora episcopum fieri nuntiaret. Vilnae seminarium institutum est, quo optimos totius Russiae et Poloniae alumnos mit-

tere episcopi iussi sunt. Quod inviti faciebant propter plurima incommoda et pericula (379, 380).

Meliorē sortem Alexandro regnante catholici orientales Romae uniti nacti sunt (380—388), etsi ne apud eos quidem omnia secundum leges ecclesiasticas acta sunt. Quorum episcopus sacerdotem quendam (Krasovskij vocabatur) Petropolim miserat, qui multum de Latinis catholicis conquerebatur. Siestrzencewicz enim 8000 unitos cum 24 sacerdotibus et 22 ecclesiis invitos ad ritum Latinum transmiserat. Cum hi sacerdotes sermonem latinum non callerent, libros ad id aptos typis impresserat, litteris linguae latinae eorum consuetudini accommodatis; ut hik, kwi, kalix). — lidem postulaverunt, ut in collegium ecclesiasticum admitterentur; id quod iis concessum perniciēi fuit. Siestrzencewicz ob violentam illam ritus mutationem reprehensus et orientalibus unitis complures ecclesias reddere iussus est.

Dum catholici ita variis modis premuntur, Alexander de legatione Romae constituenda cogitabat, privatae utique, non ecclesiae utilitati consulens. Etiam legatus iam electus erat multisque praeceptis instructus (390) (ut provideret, ne papa nimiam cleri potestatem haberet et sim.), sed nunquam Romam pervenit. Primo enim legatus morbo implicitus est ideoque in Russia retinebatur, postea legatio est retractata, cum omne inter imperatorem et papam commercium diremptum esset. Cuius tristissimi eventus causa erat Vernègues quidam, patria Gallus, Romae degens, qui regno favebat, liberam rem publicam oderat et contra eam pugnabat. Cum Napoleon ideo a Consalvi secretario status postularet, ut sibi traderetur, ille ab imperatore Russorum petiit, ut civitate Russiae donaretur. Antequam diploma accepit, libertate privatus est, uti Galli postulaverant, sed humanissimo modo in palatio quodam servabatur omnesque vitae commoditates ei sunt concessae. Sed Pius VII. et Consalvi in maximas angustias adducti sunt et nesciebant, quid eo facerent, postquam civitate Russiae donatus est. Imperator enim Russorum novum civem suo imperio subiectum tradi vetuit, eum pontifici permisit et postulavit, ut proprium collegium constitueretur ad Vernègues iudicandum. Napoleon rem non probavit. Re diu agitata et deliberata Vernègues tandem traditus est, cum hoc Romae optimum videretur esse consilium.

Sed vix hoc factum erat, cum Cassini, qui tum Romae negotiorum Russiae curator erat, intercessionem fecit Romanque sine mora reliquit. Omne inter Romam et Petropolim commercium intermissum est. Arezzo agentibus id maxime Siestrzencewiczio et coetu philosophorum abire iussus est, potestate conveniendi imperatoris ei non facta. Dresdam profectus operam navabat, ut revocaretur. Rem eo facilius se obtenturum speravit, quod papae rogatu a Napoleone Vernègues libertate donatus erat; sed spes cum fefellit. Quin etiam eius auditor, quem Petropoli reliquerat, ex urbe discedere iussus est neque maximi momenti negotia perficere potuit. Per annos 20 nullus legatus pontificis in Russiam

venit. Anno demum 1824 Alexander commercium cum Leone XII. renovabat. De hoc scriptor proximo volumine aget. Quod mox edi posse ad praeclarum hoc opus plane perficiendum speramus.

Ad. Buder.

Victor Frins S. J.: De actibus humanis. Pars III. De formanda conscientia. Friburg. (Herder) 1911 (VIII, 312) M. 5.— = K 6.—.

Hoc volumen maximam partem spectat ad formandam conscientiam. Maxime id scriptor assequi conatur, ut ostendat nihil obstare quominus conscientiam formemus secundum principia probabilismi moderati, si de obiectiva morali qualitate alicuius actionis nullam certitudinem adipisci possumus (in dubio de licito vel illicito, non de valore aut fine necessario) p. 147—293.

Omnia, quae scriptor profert, plane, quiete, perspicue dicta sunt. Maxime autem ideo laudandus est, quod imprimis voces incertas, obscuras, nondum definitas, perperam adhiberi solitas, subtiliter et clare exponit. Quae statuit, rationibus firmis et gravibus demonstrare conatur. In fontibus conquirendis et adhibendis diligentissimus est; ut antiquissimis patrum scriptis ita recentissimis libris commode utitur. Ut exemplum afferam, affert auctoritatem s. Augustini De coniug. adulterinis l. 1, c. 26. 28; De fide et operib. c. 19. 35; Ep. 54 ad Ianuarium c. 2, n. 2 seq.; s. Ambrosii In Ps. 118, serm. 5, n. 37; s. Gregorii Naz. Or. 37 „In sancta lumina“ n. 18 sq.; s. Basilii Ep. 188 cn. 1, c. 10 etc. — ad probabilismi principia confirmanda. Quapropter opus, quod scripsit, multum confert ad hanc quaestionem magis illustrandam et compleandam neque solum ad usum sed etiam ad rationem momentum non mediocre affert. Id sine dubio assecutus est scriptor, qui probabilismum moderatum defendit, ut qui alias sententias sequuntur, ad rem accuratius considerandam accedere cogantur; quamquam novissimis temporibus controversias de probabilismo acerrimas esse paulatim desiisse negari nequit. Quae res ipsa peropportuna fuit scriptori, ut adversarios ad calculos vocaret. *F.* illud quoque rursus monet, aut nullum inter moderatum probabilismum et doctrinam S. Alphonsi esse discrimen, si usus spectetur aut adeo exiguum, ut fere negligi possit. Sed distinctas notiones habere etiam hic magno emolumento est et commodo, praesertim cum sine iis errores haud ita leves committi possint. Apologetis certe in hac re claritate hoc potissimum tempore opus videtur esse; quapropter haud scio an etiam ad iuventutem catholicam imprimis litterarum studiosam ab opinionibus falsis conservandam utilis sit.

Caspar Baudenbacher.

Fr. Snopek, Konstantinus-Cyrillus und Methodius, die Slavenapostel. Ein Wort zur Abwehr für die Freunde historischer Wahrheit. Kremsier 1911. Operum academiae Velehradensis tomus II. 471 pp. in 8.

Propter insignes difficultates, quibus indagatio virtutum ac vitae SS. Constantini-Cyrilli et Methodii, apostolorum Slavorum ex pe-

nuria fontium subiacet, diversae quaestiones, quae de illis temporibus moventur, diversissimas quoque et inter se maxime oppositas solutiones sortitae sunt. Disputatio inter doctos viros modo fervet: at, pro dolor, non omnes rerum harum scriptores ex causis, sed multi magis ex animo minus bene affecto argumenta et rationes videntur promere. Nonnulli res ecclesiasticas ignorantes et ius canonicum flocci pendentes duos fratres contra Romanam ecclesiam pugnasse putant, gentes Slavicās ad schisma orientalis ecclesiae seducturos. Legendae, quae vulgo pannonicae dicuntur, professoris Berolinensis Brückner sententia Moravicae dicendae sunt et deficientibus aliis fontibus maximi faciendae, cum ab ipso S. Methodio adiuvantibus eius discipulis aut ab his conscriptae ipsius Sancti mentem et vitae rationem ingenue exponant. Epistolae summorum pontificum, excepta Hadriani epistula, quae non exstat, ex mente et argumento harum legendarum interpretandae sunt. Si res ita se habet, negari iam non potest Constantinum-Cyryllum et maxime Methodium Romanos pontifices ludibrio habuisse nec fuisse apostolos verae et integrae fidei Romanae catholicae, sed propugnatores schismatis orientalis, amicos et adiutores secretos Photii patriarchae, nec venisse in Moraviam precibus ducis Rastislai ductos sed desiderio omnes Slavicās gentes ad Graecorum schisma traducendi orientalemque ecclesiam iam iam deficientem contra occidentalem sive Romanam confirmandi et roborandi. Slavicās gentes seducere voluerunt liturgia Slavica, qua si diutius viguisset a vivendi et agendi ratione occidentalium seclusae nunquam ad scholas erigendas pervenissent, cum in liturgicis suis orationibus et precibus lingua usi essent, quam iam a pueris novissent et cotidiano usu optime sine magistris tenuissent. Liturgia Slavica gentibus Slavicis valde obfuisse, neque aliter iudicare possunt, quicumque docendi populi morem cum modo orandi sacerdotum non confundunt. Institui sane populus non potest nisi lingua, quam a pueris unusquisque intellegat, liturgia autem et lingua liturgica non est nisi sacerdotum. Sacerdotes autem cum maximo fructu discunt linguam antiquam, aliter enim mentis cultura necessaria non obtinetur. Liturgia slavica introducta sacerdotibus Slavicis aditus ad sacerdotium adeo facilis factus est, ut omnem excolendae mentis curam deponerent neque scholas erigerent, cum earum necessitatem et utilitatem vilipenderent. Hac ratione Brückner in recentissimo iudicio, quod de libro sacerdotis Snopek in „Göttin-gische gelehrte Anzeigen“ 1911 I. 593—609 evulgavit, exponit, quid de opere SS. Cyrilli et Methodii sentiat.

Itaque operae pretium fuit, hanc diiudicandi vel potius condemnandi rationem, ne alii recentiores scriptores eam sequerentur, serio considerare et quaestionem serio et diligenter instituire. Sacerdos Snopek, custos bibliothecae principum et archiepiscoporum Olomucensium, cui auxilium librorum non defuit, plurimas commentationes cum lingua latina tum boëmica in variis commentariis edidit; hoc libro germanica lingua suas commentationes compre-

hendit et totam rem iterum novo modo scrutatur. Primo libros et libellos de SS. Cyrillo et Methodio prelo subiectos enumerat, adversariorum sententiam breviter exponit ac denique ad rem ipsam serio agendam viginti capitibus totam materiam perspicue comprehendit. Primis quattuor capitibus legendarum, quas dicit panonicas non moravicas, quia hoc nomen iam dudum in usu est, originem, fidelitatem, aetatem, cui adscribi possint, scriptorem coniciendo momentum investigat et concludit, omnes has legendas non saeculo nono, ut Brückner opinatur, sed saeculo demum decimo compositas esse, neque ipso S. Methodio auctore aut ab eius discipulo Clemente conscriptas esse, sed a quodam scriptore saeculi decimi, qui noverit haereses Paulicianas, et addictus schismati Graeco negaverit processionem Spiritus Sancti a Patre simul et Filio. Quod obicit Brückner, in legendis non commemorari, Hungaros ex suis sedibus erupisse et Moravos vicisse regnumque eorum delevisse, nihil valet, cum silentium de hac re facillime ex aliis causis explicare possimus. (Vide Göttingische gelehrte Anzeigen 1911 p. 598.) Nihil enim refert ad rem, quam scriptor legendarum sibi proposuit, ad ritum scilicet Slavicum contra Graecos murmurantes defendendum. immo huic rei obtinendae obfuisset, si opus S. Methodii eiusque discipulorum tam infelici fortuna interiisse Graecis dixisset. Hinc eodem studio, quo scripsit libellum, tacuit de victoria Hungarorum. Scriptorem legendarum Snopek putat esse Clementem, sed non clarissimum episcopum huius nominis et discipulum Methodii, verum alium, asseclam Photii eiusque schismatis. Rationem huius rei reddit in alio capitulo, ubi discipulos S. Methodii ostendit omnes veros catholicos fuisse. Initium missionis Moravicae petendum non est, ut professor Brückner contra suam opinionem de antiqua origine legendarum opinatur, a voluntate SS. Cyrilli et Methodii, Slavicam gentem per ritum Slavicum ad orientalem ecclesiam pervertendi, quod argumentis nullo modo demonstrari potest, sed ex Rastislai ad caesarem Constantinopolitanum legatione, quod Snopek in quinto capite compluribus argumentis veri simile reddit. Litem, quam exortam esse ait Brückner in Moravia inter sacerdotes latini ritus et Cyrillum ac Methodium, longa disputatione sexti capitis nulla niti ratione Snopek ostendit. Moraviam nullius fuisse partem dioeceseos, neque parochos aut animarum curam regularem habuisse aetate SS. Cyrilli et Methodii, sed fuisse tum terram liberam, quam quilibet missionarius verae fidei occupare potuerit. Quo factum esse, ut SS. Cyrillus et Methodius missionem incoharent non petita facultate ab alio ordinario nisi a suo episcopo, qui eis permisit, ut in alienam terram migrarent. Haec plurimis demonstrat argumentis ex historia Moraviae antiquissima petitis. Nihilominus fratres Cyrillus et Methodius postquam complures annos in Moravia laboraverunt, Romam profecti sunt, ut summo pontifici rationem redderent de omnibus, quae in Moravia inter Slavos peregerant, atque maiores facultates sibi impetrarent. Romae a

summo pontifice ut amici honorifice recepti sunt. Licuit ipsis ritu suo sacra peragere, neque erat, cur, quod Brückner sumebat, se de usu peregrini ritus purgarent. Rationibus a scriptore relatis satis efficitur res, etsi testimoniis deficientibus magis ex aliis litteris et rebus factis eruenda erat. Saltem de privilegio archiepiscopatus Methodii latissime disputat et in octavo capite insuper rationes indagat, ob quas Hadrianus papa liturgiam Slavicam concesserit. Brückner frustra conatur in iudicio de hoc opere in „Göttingische gelehrte Anzeigen“ impresso argumenta allata a *Sn.* evertere et ex morum Hadriani et Joannis VIII. diversitate efficere, non Hadrianum sed Ioannem primum fuisse, qui liturgiam Slavicam permiserit. Non enim habet, unde Ioannem papam VIII honorum cupidum et versutiae plenum doceat, qui officium summi pontificis aliis rebus postposuerit. Omnes fere auctores, uno Brücknero excepto, papam Ioannem verum et magnum pontificem fuisse dicunt. Sed Brückner animum paparum sibi effingere videtur, qui ipsi placeat, non qui ad testimonia et fontes historicos quadret. Contra verius *Sn.* negat, Ioannem liturgiam Slavicam potuisse concedere, nisi Hadrianus papa Methodio antea hanc facultatem dedisset. Ioannem papam non aulica quadam prudentia ductum, sed iuvandorum Slavorum causa liturgiam Slavicam concessisse capite nono fuse demonstratur. In decimo capite Methodii cum germanicis episcopis lites de iurisdictione in Pannonia tractantur et undecimo Methodii in rebus fidei orthodoxia defenditur praecipue in iis, quae de processione Spiritus Sancti non a Patre solo sed etiam a Filio disputabantur. Nihilominus Brückner suo de auctore legendae iudicio fretus quod verum esse omnes alii negant, rursus repetit, Methodium in his rebus non stesisse a parte Romanorum pontificum sed Graecorum patriarcharum. (Göttingische gelehrte Anzeigen 1911. I. 602—603.) At non modo ipse Methodius archiepiscopus, sed etiam discipuli eius in rebus fidei cum Romanis pontificibus consenserunt, ut in capite undecimo clare exponitur.

Quae sequuntur de Wichingio et Svatoplucio amborumque agendi modo, iis ex parte confirmantur ea, quae prius de liturgia Slavica in Moravia dicta sunt; sed fortasse nimis accusatur Wichingus, cum non ipse solus sed temporum ratio et imprimis periculum ab Hungaris imminens effecisse videatur, ut dux Moravorum a Graecis ad imperatorem Germanorum transiret. C. 17. paucis exponit, quae ex argumentis supra allatis contra opinionem a professore Brücknero defensam sequuntur, atque iterum, ut in c. 15. ostendit, Brücknerum non in omnibus sibi constare. In capite 18. contra Hýbl, qui nititur, litteras Ioannis papae, quibus liturgia Slavica concedebatur anno 1880 datas, suppositas esse, quemque J. Jakubec et A. Vašek secuti sunt, demonstrat etsi non in forma originali hae litterae ad nos pervenerint, at dubitandum non esse, quin ab eo scriptae sint. Haec opinio vel ex eo satis probatur, quod hae litterae etiam in registro papali, quod olim in

bibliotheca Cassinensi PP. Benedictinorum servabatur, suum locum habent. Ipse Brückner in his rebus cum sacerdote Snopek sicut etiam E. Caspar, V. Novotný consentit et bene exponit, verba quaedam ex Ioannis litteris transiisse in litteras papae Stephani, sed aliud in his atque in illis iis significari.

Addit Snopek, quid sentiat de duabus homiliis nuper editis et discipulis S. Methodii tributis; quas non putat esse Clementis episcopi, sed cuiusdam Clementis Hrabri, qui post Clementem Methodii discipulum fuisse dicitur. Putarem sufficere, ostendisse, has homilias minime esse posse Clementis discipuli S. Methodii. Idem dicendum videtur de legenda Naum.

Itaque, ut concludamus, opus quod indicavimus, insigne scientiae et rerum perscrutandarum rationis specimen est, licet exponendi modus nonnunquam nimis diffusus sit et argumenta non satis dilucide explanentur, cum materiae undequaque collectae acervo nonnunquam fere obruantur. Haec tamen ad formam magis pertinent quam ad ipsam rem. Quare operum academiae Velehradensis tomum alterum omnibus priscorum temporum studiosis sollicite commendamus.

Oeniponte.

A. Kröss.

Report of the Nineteenth Eucharistic Congress. London 1909.

Adrian Fortescue, The orthodox Church and the holy Eucharist p. 238 ad 253.

Jules Lebreton, Le dogme de la Transsubstantiation et la Christologie Antiochienne du Ve siècle p. 326—346.

Bessarione. Anno XIV—XV (fasc. 108—118). Roma 1909—1911.

Aur. Palmieri, Le divergenze dommatiche, disciplinari e liturgiche tra le due Chiese di Oriente e di Occidente. XV. p. 1 ad 12; 161—178; 273—280 (ubi epistula Theoriani e cod. Vaticano 1451 editur); 297—311.

Aur. Palmieri, La storia, la data ed il valore simbolico del Sinodo di Iassy (1642) XV p. 16—33.

Aur. Palmieri, La divinità e personalità dello Spirito Santo secondo i Padri Antenicensi. XV p. 372—388.

P. distinguendum esse ait hoc: Notio divinitatis et personalitatis Spiritus Sancti apud Patres antenicaenos erat clara, sed erant ambiguae locutiones et voces, siquidem formulae theologicae nondum erant fixae. Quapropter ad defendendum dogma catholicum oportet sequi regulam a Mg. Freppel statutam: Primum e claris verbis oportet nos statuere quid docuerint et deinde his locis explicare locos obscuros. Itaque colligit locos claros qui apud S. Clementem, S. Ignatium S. Polycarpum, Hermam, Iustinum inveniuntur.

Basile Cattani, Les Eglises d'Orient XV 179—186.

Gerasimus Messara, metropolita graecus orthodoxus Berythi in Syria, enuntiavit, quae controversiarum inter Occidentales et Orientales capita statuenda essent. Quae sunt: primatus Romani pontificis, purgatorium, sors bonorum et damnatorum post mortem. Basilius Cattani colligit se-

riem locorum ex Ecclesiae graecae monumentis ad defendendum dogma catholicum de purgatorio et de felicitate iustorum post mortem.

Mons. *Niccolo Marini*, *Il Primato di S. Pietro e dei successori* in *S. Giovanni Crisostomo* XV 341—371

S. Ioannes Chrysostomus distinguit Petrum ab aliis apostolis. Ratio autem huius distinctionis semper redit eadem, etsi sub aliis verbis: id est: quia „Petrus est chori apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in caelum adduxit“, hoc est quia Petrus habet primatum iurisdictionis. Atqui ratio, quae constanter redit, non potest tribui impetui cuidam oratoris aut indiligentiae sed intimae tantum persuasioni Chrysostomi: praesertim si haec ratio necessario quodam nexu psychologico se praebet sicuti in Homilia In illud Hoc scitote, ubi etiam dissentit a synopticis, quorum nemo Dominum a Petro solo interrogatum esse refert; cf. similem locum P G XLIX c. 208. — Septem locos *M.* considerat, quorum primum affero ut argumentorum eius exemplum. In Homilia supra parabolam De decem millium talentorum debitore (P G t. L I. col. 29) S. Doctor de Petro loquitur, qui solus prae aliis discipulis, interrogat magistrum: Quoties peccabit in me frater meus et remittam illi? usque septies? Et dicit: *a)* „Petrus chori apostolorum princeps, os discipulorum, columna ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator qui genus nostrum ex profundis errorum in caelum adduxit. Qui ubique fervidus et libertate plenus, immo potius caritate quam libertate, tacentibus omnibus accedens ad magistrum dixit: Quoties peccabit in me frater meus, et remittam illi? usque septies? (ibid. col. 19). Et inferius. *b)* „Quibus auditis Petrus ore hiante, stupens constitit; non de se tantummodo sollicitus, sed et de illis, qui eius fidei committendi erant“. (ibid. col. 21).

Ex naturali nexu idearum sequitur hic S. Doctorem reddere rationem, cur Petrus loquatur, dum alii discipuli taceant. Ratio est igitur *a)* quia Petrus est princeps, os columna firmamentum etc. tali enim loqui convenit prae aliis. *b)* quia eius fidei alii sunt committendi: interrogationibus igitur curam aliorum ostendere debet. Si ergo hi tituli sunt ratio valida loquendi prae aliis discipulis: his titulis S. Doctoris *M.* aliquid veri significari censet; etenim si veri non essent, sed ficti, Petrus nullam haberet rationem loquendi aut ita agendi, et ratio allata a S. Doctore nulla esset. Si autem hi tituli veri sunt, sequitur Petrum habere primatum iurisdictionis. Etenim *a)* si Petrus est columna Ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, ipso dempto ruit Ecclesia, fides et confessio; si ipse est piscator orbis terrarum, in hoc ipso orbe alii non possunt esse pisces nisi sub ductu eius. *b)* Si alii sunt eius fidei committendi, a Christo sunt committendi: ergo Petrus habet ius divinum ad hos titulos et in aliis respondet huic iuri strictum officium.

P. *Mar. Chaîne*, *La consécration et l'épiclese dans le Missel éthiopien*. XIV 181—209.

Anaphorae missalis aethiopici quattuor tantum (in Latinum) conversae editae erant; *Ch.* hic edit rursus illas quattuor anaphorarum formulas consecrandi et praeterea alias e decem anaphoris nondum editis; adiungit

etiam epiclesin si inest. His locis ut Ecclesiae aethiopicae documentis dogma catholicum de vera Christi in Eucharistia praesentia confirmatur.

Mons. *Niccolo Marini*, Il XIV anno del Bessarione e l'unione delle Chiese orientali dissidenti. XIV 1—10.

Aur. Palmieri, Il progresso dogmatico secondo la teologia cattolica e la teologia ortodossa. XIV 11—34. 137—180.

A. Gracieux, L'élément moral dans la théologie de Khomiakov. XIV 358—366.

P. Cirillo Karalevsky, Documenti inediti per servire alla storia delle Chiese italo-greche. XIV 384—423.

I. Documentum. Josephus Schiro Archiepiscopus, respondit ad quaedam quaesita a S. Congregatione proposita circa usus et ritus Italo-Graecos antiquos, modernos et Italo-Albanenses.

II. Documentum. Collegium graecum anno 1591 commissum est curae Societatis Jesu. Exhibetur diarium huius collegii, quod respicit annos a 1591 ad 1595. Notatu dignus est progressus sive physicus sive moralis in directione alumnorum.

Bl. Crescimone.

Interrogationes et responsa.

Ad quaestiones de peccati virtutisque natura (AAV VII 212—215).

Quaestiones propositae magna ex parte a theologis orthodoxis iudicantur esse casuisticae, non pertinentes ad dogmaticam vel moralem christianam illustrandam; quare frustra quaerentur in libris orthodoxis de iis iudicia. Eae enim apud nos quaestiones explicantur, quae ad ipsam rei naturam recta et aperte ducunt; sed quaestiones indolis casuisticae, ad intellegentiam communem a vitae usu alienam pertinentes, negleguntur.

Quatenus tamen quaestiones propositae aliqua ratione ad ipsam doctrinam dogmaticam vel moralem orthodoxam pertinent, in notissimis nostris operibus, quibus theologicae

Ваша вопросы въ значительной части своей, съ точки зрѣнія православнаго сознанія, казуетичны. не ведутъ къ разъяенію христіанскаго вѣро-н-нравоученія. почему и стараться найти по поводу ихъ разсужденія въ православныхъ книжныхъ источникахъ было бы напраснымъ. У насъ ставятся вопросы прямо и ясно относящіяся къ существу дѣла, а вопроса съ характеромъ казуетическимъ, относящіяся къ области отвлеченныхъ и неприменимыхъ къ жизни логическихъ соображеній, и не возбуждаются.

Чтоже касается въ Вашихъ вопросахъ относящагося какою-либо стороною къ сущест-

disciplinae universae tractantur atque in peculiaribus commutationibus explicantur.*)

ву православнаго вѣро-и-правоученія, то все это разъявлено въ общезвѣстныхъ нашихъ богословскихъ системахъ и изслѣдованіяхъ.

Протоіерей Н. Маліновскій.

De genere quaestionum a nobis tractandarum.

Cum quaestio, quae vocari solet „ecclesiastica orientalis“, plurima contineat, non indicabimus nisi capita.

Primum quaerendum est, in quo separatio illa ecclesiae, quae schisma vocatur, qua duae partes ecclesiae inter se nunc distinctentur, consistat (cf. e. c.***) Sl. l. th. I 148. V 183; A. Conv. Vel. I 77); quomodo utraque pars ad Corpus Christi pertineat (AAV VII 42 Sl. l. th. III 291 I 148. 249; ACV I 21; II 53); quomodo schisma ab haeresi differat, etsi implicite negetur doctrina revelata de primatu ecclesiae (Sl. l. th. V 183; V 116; AAV VII 38); quae doctrina tribuenda sit ecclesiae separatae ut propria (Sl. l. th. III 291. V 183. VI 6); quod ius ecclesiasticum habeat (Sl. l. th. III 65. 286. 295. V 43; ACV II 52; Sl. l. th. VI 60).

Deinde, quid hanc schismatis naturam consequatur, explicandum est: Quae sint officia catholicorum singulorum erga ecclesiam separatam, erga eius ministros, erga singulos orthodoxos generatim, et separatim in casu necessitatis spiritualis, quae officia orthodoxi erga catholicos, quos separatos a vera ecclesia esse putant, habeant (ACV I 75; AAV VII 18. 189; Sl. l. th. V 123); quae communicatio sacrorum utrisque sit vitanda (Sl. l. th. II 280); quomodo auctoritas ecclesiae separatae valeat: quam vim tribuere possint orthodoxi decretis universae ecclesiae separatae (Sl. l. th. IV 252; III 262; AAV VII 29); de vi librorum symbolicorum et decretorum patriarchae Cp. (AAV VII 32. 35); quomodo unitati (Sl. l. th. VI 77. 188; V 119; III 262. 325; I 272) et libertati (Sl. l. th. VI 129. II 182. I 186) et incrementis progressui temporum convenientibus (Sl. l. th. IV 347) consuli possit in ecclesia separata; num Spiritus S. in ecclesia separata impediatur in operando: possitne sanctitas eximia apud orthodoxos inveniri (AAV VII 126; Sl. l. th. VI 253, I 114. 154); etc. (Sl. l. th. IV 113; VI 252; AAV VII 16. 19).

Tum causae exponendae sunt, propter quas schisma perseveret, item causae, quibus ortum sit; cur orthodoxi separati maneant (Sl. l. th. IV 347), quibus causis in retinenda hac condicione confirmentur (Sl. l. th. I 270. V 190. 248. VI 17. 78 etc.); quid catholici ipsi ad id contulerint (rebus neglectis vel etiam male factis :

*) Commendari potest etiam ep. Michaelis liber Надъ евангеліемъ³. Полтава 1911. Red.

**) Plura ex Indice rerum I. Iustri Slav. l. th. peti possunt.

stantinopoli commissis, nimio nationis propriae vel rei publicae ritu orientali minus aestimato, calumniis, sceleribus a Latinis Constudio, morum pravitate, neglecta prudentia vel ratione in negotio concordiae unitatisque restituendae etc.; cf. Sl. l. th. V 58. 116; AAV VII 16. 18); quomodo protestantismus eiusque sectatorum auctoritas huc pertineat (Sl. l. th. II 36. III 14. IV 310; AAV VII 103); cur apud orientales studium unitatis restituendae desideretur (Sl. l. th. III 305. 324. VI 25).

Origo schismatis num etiam catholicorum peccatis tribuenda sit (Sl. l. th. VI 186; VI 61. 253; V 57. IV 112. 316. III 326. 372); studione Romanorum Pontificum imperii orbis obtinendi an eorum contemptui sui (Sl. l. th. VI 187. II 181).

Post de condicionibus unitatis restituendae agendum est et quaerendum, cur conatus, qui hucusque facti sunt, in cassum redierint (Sl. l. th. V 118). Itaque exponendum est de modis, quibus studium unitatis restituendae apud orientales excitari possit (Sl. l. th. II 155. 233 III 198. V 63. AAV VII 186); de scandalis tollendis (AAV VII 20. 117. 206); de opinionibus praeiudicatis catholicorum tollendis (de ritu orientali: Sl. l. th. II 233. V 55. 185. VI 151; de absolutae uniformitatis praestantia etc.); item de orthodoxorum opinionibus praeiudicatis tollendis (ACV III, II, 4); de protestantismi auctoritate apud orthodoxos evertenda; de modo tractandi quaestiones controversas (Sl. l. th. V 181. VI 184; ACV III, II, 4 -5); de fontibus, unde argumenta sumenda sint (ACV II 11. 64; AAV VII 107; Sl. l. th. III 291). Praeterea simul investigandum est, quae orientalibus concedenda esse videantur (Sl. l. th. IV 196. V 54. AAV VI. 208).

Tum vero singulae quaestiones controversae diligentissime tractandae sunt; imprimis eae sententiae, quae cum schismate ita conexas sunt, ut, si non tenerentur, in schismate perseverari non posset (non posset enim, nisi teneretur, Christi ecclesiae posse auctoritatem definiendi dogmata deesse: AAV VII 28. 37; Sl. l. th. IV 259; concilium Florentinum nullius esse auctoritatis; Sl. l. th. IV 198; I 270. III 216. IV 71. V 118) et eae, quae auctoritate ecclesiae orientalis confirmatae sunt, velut de „Filioque“ symbolo fidei inserto (Sl. l. th. II 153. III 198. 370. V. 82. 172); de Spiritus S. processione (Sl. l. th. I 79. III 106. 259. IV 355. V 82. 121. 165. 199. VI 81); de primatu Romani Pontificis (Sl. l. th. I 216. VI 131. AAV VII 135; Sl. l. th. V 120 AAV VII 135 -6; Sl. l. th. VI 130. 254; IV 26; AAV VII 179; Sl. l. th. III 12. 326; IV 319. AAV VII 206); de eiusdem auctoritate in docendo (III 148. IV 26; AAV VII 135.242); de purgatorio (Sl. l. th. II 158; AAV VII 132); de B. Maria V. excepta a peccato originali (Sl. l. th. II 154. III 101. VI 190; AAV VII 3); etiam quaestio de modo baptizandi huc pertinet (Sl. l. th. III 279. IV 198).

Praeterea minime neglegendae sunt sententiae theologorum orthodoxorum magis privatae, quibus discrepant a theologis catholicis. Investigandum est igitur etiam de iuridismo theologis

catholicis in doctrina de peccato originali, de redemptione, de meritis, de indulgentiis etc. obiecto (Sl. I. th. II 160. IV 310; AAV VII 208. 248; Sl. I. th. II 63; AAV VII 132. 162 ACV II 104); de dogmatum progressu (Sl. I. th. VI 20. 128; AAV VII 22. 135. 147. 207); de ecclesiae notione (Sl. I. th. IV 203 AAV VII 115*) et forma (Sl. I. th. I 88. II 156; AAV VII 242; de conciliis oecumenicis Sl. I. th. III 242. 328) et munere (Sl. I. th. VI 148 AAV VII 74); de iustorum post mortem condicione (Sl. I. th. II 306. III 195. 364); de divortio (Sl. I. th. III 17. 60. 106. IV 272. VI 26. AAV VII 197); de matrimonii ministro (Sl. I. th. I 102. 267. II 153); de ministro et de efficientia sacramenti confirmationis (Sl. I. th. III 66. 373); de ordinis caractere indelebili (AAV VII 168); de condicione apta ad unctionem infirmorum adhibendam (Sl. I. th. III 366); de epiclesi (Sl. I. th. V 121. VI 130 AAV VII 135 ACV I 56. II 135), de transsubstantiatione (Sl. I. th. V 119. VI 55; AAV VII 207), de communione sub utraque concedenda (AAV VII 17); de peccatis contritione perfecta delendis (Sl. I. th. VI 204. 208. 224); de sacramentorum efficientia (Sl. I. th. II 239. III 321. V 143); de tutiorismo (Sl. I. th. I 65); de adiaphoris et ascési (I 64. III 250. IV 198); de auctoritate librorum deuterocanonicorum (Sl. I. th. V 115); de auctoritate Vulgatae (AAV VII 17); de azymis (II 273. 378. IV 72. 226); de cultu ss. Cordis Iesu (AAV VII 135. 204) etc. (Sl. I. th. III 101; II 153; IV 261; I 9).

Denique exponenda est historia schismatis theologiae orthodoxae a Photio usque ad haec tempora, praecipue neglecti utrimque officii habita ratione (AAV VII 156. 185 VIII 19).

Exempli causa etiam nonnulla singularia argumenta indicari forsitan expediat: De sententiis de peccato originali a iuridismo quem vocant alienis. — Quid scriptor homiliae de paradiso, quae est inter s. Basilii et Gregorii Nysseni opera, senserit de peccato originali. — De Georgii Corcyrensis de purgatorio disputatione. — De P. Possevini conatibus. — Quomodo opinio qua sacerdotium collatum perpetuum esse negatur, orta sit. — Quibus Nicetas Seidus fontibus usus sit in *λόγω σχεδισθέντι* conscribendo. — Qua ratione libri deuterocanonici a Graecis Patribus aestimati sint. — Quid apud Lc 16, 25 voce *παρακλήσεως* significetur. — De operibus supererogatoriis. — De communione infantium.

De transsubstantiatione.

Ea quae a. VII (1911) p. 209 commemorantur de transsubstantiationis notione ansam dederunt quaerendi sitne verum, peripatetico-scholasticam substantiae notionem cum dogmate esse arte coniunctam.

Delegamur ad librum quem ibidem commemoravimus (*Justus, Das Christenthum*), in quo p. 194 scriptum legimus: Indem die Scholastik lehrt: Substanz ist dies, das nicht Stoff, sondern die Ursache

ist, weshalb der Stoff dieses oder jenes Wesen ist, lehrt sie mit dürren Worten, dass die Ursache, weshalb der Stoff Brot und gerade dieses (singuläre) Brot ist, Substanz dieses Brotes sei. Infolge dieser Anschauung bleibt nichts anderes übrig, als die menschliche Arbeit, durch welche die Stoffe gemischt und in ein bestimmtes Verhältnis gebracht werden, als Substanz des Brotes zu erklären (cf. *Mattes* in *Wetzer-Welte Kirchenlexikon*, Transsubstantiation); denn wir haben erst nachgewiesen, dass im Brote kein Etwas sein könne, welches macht, dass der Stoff in dieser Zusammensetzung Brot und gerade dieses Brot sei. Oder wollen die Scholastiker behaupten, durch die menschliche Arbeit, das ist: das, was der Mensch hinzutut, damit Brot werde, wird ein Etwas ex nihilo erzeugt? Es würde also die menschliche Arbeit in den lebendigen Leib Jesu Christi verwandelt werden; allein es gibt nur Menschen, welche arbeiten, es gibt aber keine Arbeit als ein von den Menschen gesondertes Etwas. Das also, was nach der Lehre der Scholastiker verwandelt werden soll, ist ein reines Abstractum und im Brot gar nicht als ein Etwas vorhanden. Anders, aber nicht besser für die Scholastiker, verhält es sich mit dem Leib Jesu Christi. Nach der Lehre der Scholastik ist Wesenheit das von Gott geschaffene Individuelle und Reale, Dasein ist die vollendete Wirklichkeit; Substanz in abstracto ist die Natur, das ist das Sichdarleben des Individuums nach seiner Art, z. B. des Pferdes als Pferd, des Menschen als Mensch; Substanz in concreto ist suppositum. Jesus Christus als individuelle menschliche Natur ist also suppositum, d. h. sie existiert nicht für sich (durch sich), sondern durch den Logos. Wir bemerken: so wie Leib und Seele den einen Menschen constituieren, ebenso constituieren Mensch und Logos den einen Jesum Christum, denn sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus; es gibt kein Etwas im Menschen, welches erst machte, dass Leib und Seele Mensch sei; ebensowenig gibt es ein Etwas in Jesu Christo, welches machte, dass Mensch und Logos der eine Jesus Christus ist. Gesetzt aber, es gebe im Brote ein Etwas, welches verwandelt werden könnte, so könnte dieses Etwas nur in den Logos, nicht aber in den Leib Jesu Christi verwandelt werden; denn die menschliche Natur Jesu Christi existiert nur durch den Logos, und wenn dieselbe mit der Lehre der katholischen Kirche identificiert wird, so haben die Gegner Recht, wenn sie sagen: Die katholische Theologie lehre, dass in der Consecration Gott gemacht werde.

Praeterea indicantur nobis argumenta ex Patribus et ex liturgia, quibus sententia a scholasticorum decretis diversa commendatur. Affertur e. c. *Theodoret* Eranist., dial. c. 447 (Journal p. 762): Eran.: Sicut ergo symbola dominici Corporis et Sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur et alia fiunt, ita dominicum Corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est. Orthod.: Retibus, quae ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt

a sua natura; manent enim in priore substantia et figura et forma et conspici tangique possunt sicut prius; intelleguntur autem ea esse, quae facta sunt, et creduntur et adorantur, ut quae illa sint quae credantur.

Etiam clarius quid fiat significari dicitur voce liturgica „adsumptionis“ in Corpus Christi per Spiritum venientem de caelis (Bulletin d' anc. littér. et archéol. chrét. 15 avr. 1911, p. 126 -7: Batiffol).

Quae cum ita sint, saltem nulla re impediri virum catholicum concluditur, quominus a scholasticis in hac re dissentiat dicatque empirica forma manente eam partem materiae seu substantiae corporeae, quae phaenomeno panis subsit inseri¹⁾ (modo utique, qui notionibus a sensibus petitis comprehendi non possit) Corpori glorificato Christi, et eatenus fieri Corpus Christi.

Respondetur:

Interrogamur, num cum dogmate transsubstantionis notio scholastica substantiae arte coniuncta sit. Ut ex iis, quae afferuntur, apparet, interrogatione hac illud ipsum quaeritur, num a doctrina scholastica recedi possit dogmate non sublato. Interrogationi adiunguntur quaedem rationes, quibus effici videatur non solum scholasticorum de substantia sententiam esse falsam sed etiam cum dogmate discrepare.

Respondemus ad haec:

I. Tria doctrinae scholasticae capita, quae huc pertinent, inter se diligenter distinguenda sunt:

1) Substantiae generalis definitio, ut est „ens, quod est in se et non in alio ut in subiecto inhaesionis“; praeterea sententia, qua statuitur, esse saltem numero multas substantias corporeas, et vivas et inanimas, neque corpora empirica unius individui, quod substantia naturae vocatur, phaenomena.²⁾ Scholastici enim et omnes qui sanam philosophiam naturae profitentur, multa esse re individua materialia tenent.

2) Sententia, qua corpora naturae (etiam inanimata, velut individuum auri, argenti, oxygenii) composita esse existimantur ex materia informi (m. prima) et forma substantiali, qua materia illa per se informis ut corpus naturae determinatae speciei constituitur velut ut atomus auri, argenti, oxygenii.

3) Sententia antiquiorum scholasticorum, quibus illud, quod panem vocamus, non videbatur esse res artificio mixta e compluribus naturae corporibus, „humano labore“ i. e. coquendo sed corpus naturae vere unum per se, constans e materia prima et

¹⁾ Cf. contrarium illud: „Inseratur corpus eius in hoc pane“ e liturgia aethiopica Bessar. a. XIV (fasc. 110) p. 193. 197.

²⁾ Cf. Natur u. Offenbarung VI 371. 422.

una forma substantiali non artificiali, forma panis. Itaque scholastici antiqui rem ita fieri putabant: coquendo (efficientia ignis et virium chymicarum) formas substantiales tritici, aquae corrumpi et novam formam substantialem, formam panis dico, generari.

II. 1) Quorum capitum primum cum dogmate christiano, maxime cum dogmate transsubstantiationis omnino conexum est. Qui enim substantias esse negat, illud dico, quod scholastici substantiam definiunt, item qui individua corpora numero multa esse negat, eum substantiam panis converti in substantiam corporis Christi quemadmodum dogmate catholico id fieri statuitur, negare necesse est.¹⁾

2) Sententia scholasticorum corpora naturae (etiam anorganica) e duabus substantiis incompletis composita esse docentium cum dogmate per se conexa non est. Quidam egregii theologi catholici (ut Dom. Palmieri) hanc sententiam non approbaverunt. Ecclesia id solum postulat, ut pro revelata doctrina habeamus et credamus totam panis substantiam in totum corpus Domini converti; quo modo corpora anorganica intus constituentur, utrum e materia prima et forma constant necne, ecclesia non decernit.

3) Tertium caput ad dogma multo minus pertinet, illam dico sententiam, qua formam panis (id, quo massa est panis et non aliud, velut farinae massa subacta) aliquid substantiale esse sumitur, formam dico substantialem, quae coquendo generetur sicut in generando animalii novum principium vitae oriatur. — Id quo farinae massa subacta panis fiat nihil aliud esse quam determinatum ordinem molecularum atomorumque „humano labore“ effectum omnino tenere licet. Neque inter recentiores scholasticos, qui ceteroquin omnem scholasticorum philosophiam

¹⁾ Conc. Trid., Sess. XIII cp. 4 (cn. 2): „per consecrationem panis et vin conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius“. Ubi voce substantiae ad excludendum errorem haereticorum significatur saltem indeterminate illud, quod a speciebus manentibus seu a forma empirica diversum est et aliquo modo iis substat, etsi non illud quod scholastici eo tempore voce substantiae significabant; non quidem substantia panis reduplicative sumpti sed substantia (vel accuratius substantiae) illarum rerum, quae panis sunt; sicut substantia sanguinis non est reduplicative sumenda sed intellegenda ad modum scholasticorum illius temporis, quibus substantia sanguinis pars substantiae totius corporis Christi constans ex anima Christi et materia prima esse videbatur. Ideo mutatio totius substantiae in substantiam non potest significare mutationem, qua substantia tota quam scholastici cogitabant non desinat seu evanescat, sed solum illud, quod eorum sententia pars tantum substantiae erat, dico formam, ita ut substantia panis manente materia formam mutet, qua mutata corpus Christi evadat. Durandus quidem solam formam panis mutari docuit In l. 4 d. 11 q. 3; sed in hoc discrepat a decreto Tridentino. — Conversio autem substantiae panis in corpus Christi non potest eo sensu accipi, ut sumatur substantiam, quae fuerit substantia panis, fieri corpus ita, ut non desinat illud quod est substantia, sed solum ratio, ob quam dicatur substantia huius corporis. Cf. Natur und Offenbarung I. c. (substantiam totius naturae esse unam).

naturalem retinent, facile quisquam invenietur, qui in pane coquendo priores formas substantiales corrumpi et propriam formam substantialem panis generari putet.

Ceterum haec omnia ad dogma minime pertinent. Neque enim ecclesia formam panis in corpus Christi converti docet, sed totam massam substantialem rei, quam homines panem triticeum vocant, consecratione in corpus Christi converti; nec remanere nisi speciem panis empiricam i. e. quae sensibus percipiatur.

Si cui omnia naturae corpora ex elementis eiusdem generis (primis atomis) composita esse videantur nec differre aliter nisi elementorum diversa dispositione ita ut panis triticei massa substantialis a massa substantiali corporis Christi specie non differat, eum, ne a dogmate deficiat, dispositionem atomorum primorum, qua panis triticeus continetur, postulatum esse a Christo, ut consecratio fieri possit, tenere oportet.

Quodsi quis ulterius progressus substantiam naturae, e qua omnia corpora organica et anorganica constant, unum esse individuum sumit, quod vario modo se manifestet praebeatque (sich „darlebe“), ei et transsubstantiationem fieri posse negandum est et ea enuntiare, quae inter se pugnare appareat.

III. Ergo et 2. et 3. caput scholasticorum de substantia opinionis salvo dogmate negari potest. Verum minime licet dicere: „Ea pars materiae, quae phaenomeno panis subest, inseritur corpori Christi“. Hanc enim opinionem amplexus, non a scholasticis sed a dogmate ipso dissentit. Dicitur autem potest: „Ea pars materiae, quae phaenomeno panis subest, vi consecrationis tota desinit esse et, forma empirica manente, praesens sistitur substantia corporis Christi“.

IV. Ad dubitandi rationes propositas quaedam adnotari possunt.

a) Loco illo, qui ex libro *Das Christentum* affertur, scholasticos putare formam panis mutari in corpus Christi falso sumitur. Non formam sed totam massam substantialem, quae formam panis habeat in corpus Christi converti manente phaenomeno panis, quod sensibus percipitur, scholastici existimant, id quod cum dogmate convenit.

Insuper alia quoque illo loco dicuntur, quae falsa sunt. Voces enim „in concreto“, „suppositum“, „individuell“, „Natur“ perperam usurpantur. Jesus Christus suppositum est non natura sua individuali humana sed persona divina. Denique attendendum est, non omnes scholasticos sed solum thomistas strictiores docere humanam Christi naturam per existentiam Verbi existere. Multi et egregii theologi humanam Christi naturam suam habere existentiam creatam a Verbi existentia re distinctam et toto caelo diversam ut ens finitum ab ente infinito existimant.

Quod igitur JUSTUS obicit „in consecratione Deum fieri“ nisi contra Thomistas afferri certe non potest; sed ne ii quidem hac

ratione peti possunt; neque enim substantiam panis in corporis Christi existentiam mutari dicunt, verum in substantiam eius. Atqui thomistae in rebus finitis semper re distingui substantiam ab existentia sua tenent.

b) In verbis THEODORETI allatis vox illa substantiae (gr. *οὐσία*) non significat ens in se (substantiam), sed essentiam. Orthodoxus eo loco recte ait essentiam specierum panis et vini eandem esse ante consecrationem atque post eam, essentiam dico extensionis, figurae, coloris, odoris etc.

c) Voce „adsumtionis“ non clarius sed obscurius et incertius sententia catholica, significatur quam voce transsubstantiationis.

Dr. L. Lercher S. I.

VARIA.

De iis, quae in conventu eucharistico Viennensi ad unionis Ecclesiarum studia referebantur.*

Unionem christianorum et ss. Eucharistiam arte cohaerere neminem latet qui in memoriam sibi revocat omnia, quae Christus Dominus in ultima cena locutus est egitque.

Nil igitur mirum quod in conventibus eucharisticis etiam de unione Ecclesiarum agi solet. Nil mirum quod conventus eucharisticus hierosolymitanus anno 1893 annuente ipso piae memoriae Leone PP XIII. eo consilio convocatus est, ut unio Ecclesiarum maturaretur. Nec mirum etiam in conventu eucharistico hoc anno 1912 diebus 12.—15. Septembris Vindobonae celebrato disputationibus atque orationibus ad unionem Ecclesiarum spectantibus locum fuisse et alio quoque modo provisum esse, ut unionis Ecclesiarum studia divulgarentur

Huc pertinent certe liturgiae rituum orientaliu[m] sollemniter celebratae. In ecclesia „Am Hof“ primo conventus die ritu armeno ceiebrabat missam pontificalem Abbas Generalis Mechitaristarum Ill. D. Dr. Gregorius de Govrik, archiepiscopus Nisibenus tit., assistentibus compluribus sacerdotibus et clericis et cantu vocis sociata nervorum et tiliarum concordia. Assistebant in sedibus paratis Ill. D. Petrus Koyunian, archiepiscopus Chalcedonensis consecrator Romae, Ill. D. Sephan Israëlian, episcopus Carputensis in Armenia, Rsm. D. Thaddaeus Torunian Abbas infulatus Mechitaristarum Vindobonae. Item aderat Ill. D. Dr. Victor Mihályi archiepiscopus Alboiuliensis ritus graecovalachici. E latinis hierarchis aderat Em. D. Dr. Franciscus Salesius Cardinalis Bauer, archiepiscopus Olomucensis.

Altero die in eadē aede sacra Ill. D. Dr. Victor Mihályi de Apsia, archiepiscopus Alboiuliensis sacrum sollemne faciebat ritu graecovalachico, choro sine symphonia canente. Inter concelebrantes vidimus eximium D. Dr. Basilium Suciū, canonicum alboiuliensem et eximium D. Dr. Victorem Szmigelski, canonicum alboiuliensem. In sedibus paratis assistebant Ill. D.

Dr. Demetrius Radu, episcopus Magnovaradinensis ritus graecovalachici et Ill. D. Dr. Basilius Hoszu, episcopus Lugosensis eiusdem ritus. Concur- sus populi clerique maior erat ad hanc liturgiam quam die primo.

Tertio die in eadem ecclesia ritu graecoslavo missam pontificalem Excell. D. metropolita Galiciae Andreas comes Szeptycky, archiepi- scopus Leopoltanus ritus graecoslavi, celebravit. Concelebrabant eius suf- fraganei Excell. D. Constantinus Čehovič, ep. Przemysliensis et Ill. D. Gregorius Chomyszyn ep. Stanislavoviensis et quattuor praelati in- fulati, multis clericis assistentibus. Chorus, qui e sacerdotibus clericisque constabat, sine nervorum tibiarumve sonis, pulcherrime cantabat maxime ad consecrationem. Multitudo cleri populique et latini et aliorum rituum tanta aderat, ut plurimi nullum amplius locum invenientes, ab ecclesia rece- dere deberent. E maioris dignitatis sacerdotibus, qui aderant, mentionem facimus Ill. D. Gregorii de Govrik archiepiscopi et Abbatis Gener. Mechi- taristarum et Ill. D. Norberti Schachinger, Abbatis Generalis et Domini Prae- monstratensis et Abbatis Plagensis. Sacerdotibus ritus latini liturgia haec maxime placebat. Audivimus sacerdotes germanos dicentes: „Hic ritus pul- cherrimus debet in Ecclesia conservari. Quam dulcis, quam mollis est haec lingua palaeoslavica!“ Populus fidelis Ruthenorum, cui per mediam navem genibus nixo episcopi cibum Eucharisticum ministrabant sub utraque spe- cie, adstantium catholicorum ritus latini animos eximia pietate magnopere commovit. Quorum tanta aestimatione Galli affecti sunt, ut in processione theophorica Ruthenis acclamaverint: „Macte virtute Rutheni uniti!“

Qua ratione studiis unionis in plurimorum animis excitatis speramus fore, ut augeantur preces et labores eo spectantes, augeatur animus promptus ad quocumque modo ea opera sublevanda, quae ad consequendam unionem suscipiuntur.*)

Nunc ad acroamata venimus, quibus Ecclesiarum discidium tollendum tractabatur.

In parte conventus bohemica de epiclesi Adm. Rev. D. Dr. *J. Konečný* exposuit, qui argumentis historicis, philosophico-dogmaticis, liturgicis allatis ostendit mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi perfici verbis quibus Christus Ss. Sacramentum instituit.

In parte ruthenica Adm. Rev. D. Dr. *Nicol. Malyniak*. sermone russo de via ad unionem per Ss. Eucharistiam exposuit. Differentiam, qua ss. Eucharistia in oriente et occidente colitur duabus eiusdem rei rationibus dixit contineri, quae cum indole contemplativa, mystica ecclesiae orientalis et activa ecclesiae occidentalis conveniant. Quas rationes coniungi oportere cum summa orientis potissimum utilitate; quod fieri non posse nisi sublato muro, quo duo ritus dissaepiuntur, i. e. concessa communicatione in sacris.**)

*) Hoc loco commemorare libet ecclesiam graecam tempore conventus nos ornatam vidisse tritone colorum Austriae, Russorum autem non item. Utinam etiam hisce similibusque signis externis animi benevolentia inter utriusque ecclesiae christianos ostendatur!

**) Cui desiderio Pius X summus pontifex respondit, quatenus consti- tutione „Tradita ab antiquis“ d. d. XVIII Kal. Octobris omnibus fidelibus cuiusvis ritus dedit facultatem, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiendi.

Ostenso Petro unitatis fundamento peroravit. Praeterea R. D. *Volod. Gurgula* de cultu Eucharistiae in ritu graeco-catholico verba fecit, sermone ruthenico (cf. *Nyva IX* p. 291); qui Eucharistiam magis coli ab orientalibus quam a latinis docuit. Adde Adm. R. D. Dr. *D. Dorožynskyyj*, qui de S. Ioanne Chrysostomo, doctore Ss. Eucharistiae dixit (cf. *Nyva IX* p. 593); qui verbis s. Ioannis Ch. usus cultus primae ecclesiae testimonia quasi oculis subiecit.

In parte historico-archaeologica Adm. Rev. D. Dr. *Josef Boecian*, rector seminarii clericorum Leopolitani ritus graecoslavi, de concordia inter ritum latinum et graecum exposuit. Mentione facta IV. conventus eucharistici Hierosolymis a. 1893 celebrati ostendit conatus unionis Ecclesiarum pertinere ex eo tempore ad res conventuum eucharisticorum. Commendavit, ut minus ea, quae diversa in utraque Ecclesia sunt, tractarentur, quam ea, quae sunt paria vel similia; quem procedendi modum aptiorem esse ad unionem promovendam. Deinde perlustrans historiam ritus latini et graeci demonstravit in iis, quae praecipua sunt, utrumque ritum convenire, quae vero in utroque ritu diversa sunt, in iis momentum non esse. Consecrationem verbis Christi, quibus Eucharistiam instituit, perfici. Ostendi debere utrumque ritum in Ecclesia antiqua radicem habere. Ad unionem Ecclesiarum promovendam profuturum, si rituum convenientia libello in honorem „panis unientis“ edito illustraretur.

In eadem parte conventus III. D. Dr. *Raimundus Netzhammer* O. S. B. archiepiscopus Bucharestensis de historia loci et vasorum in quibus Ss. Eucharistia collocatur exposuit. Ecclesiam orientalem eum usum servasse docet, qui in Ecclesia occidentali saeculo XI. et XII., partim etiam saec. XIII. fuisset. In aede patriarchali et aliis graecis templis orthodoxis Constantinopolitanis ss. viaticum, quod non renovetur nisi feria V. in cena Domini, in impolito vase globoso reponi, quod a tergo altaris dependeat. Sacerdotes et ministros ecclesiasticos sine ullo venerationis signo monstrare ibi „sacrum panem“ morientium. Frigidus praeterire Orientales eum, qui caritate erga homines consumatur. Etiam in Occidente tempore schismatis orientalis amorem Ss. Eucharistiae in animis christianorum refrixisse. Sed ordines mendicantes contionibus amorem christianorum erga Ss. Eucharistiam inflammavisse et Romanos Pontifices nova edidisse decreta, quomodo Ss. Eucharistia tractanda esset. Urbanum IV. anno 1264 novum festum Ss. Corporis Christi instituisse. Haec omnia effecisse, ut tabernaculum in medio altari collocaretur et Christus in Ss. Eucharistia cardo interioris vitae ecclesiasticae esse inciperet. Huius progressus cultus eucharistici Orientem iam non fuisse participem. Vitam interiorem ecclesiasticam desiisse vigere, externum Ss. Eucharistiae cultum deterrimum evasisse. Cum Ecclesia orientalis modo ritui suo accommodato Salvatorem in Ss. Eucharistia in ecclesiis et super altaribus splendore debito circumdare populoque sollemnitate dierum, hymnis, orationibus patefacere et commendare coepisset, tum futurum esse, ut pariter atque aetate superiore inter Occidentem et Orientem Ss. Eulogiae commutarentur et Ss. Eucharistia vinculum esset unionis et unitatis.*)

*) Ad haec referuntur quae *Vladimir Zabugin* scribit in Roma e l'Oriente II 341: „Un liturgista tedesco dall' anima finemente artistica puo avere

In parte ea, cuius proprium erat de unione agere, res omnes lingua germanica tractabantur. Praesidebat Ill. D. Dr. *Franciscus* liber baro *Zorn de Bulach* episcopus auxiliaris argentoratensis. Advenerant satis multi laici, plurimi vero clerici. Nominandi sunt Ill. D. Dr. R. Netzhammer, archiepiscopus Bucharestensis, Ill. D. Petrus Chebli, archiepiscopus Berytensis, Ill. D. Dr. Basilius Hoszu, episcopus samosujvariensis seu armenopolitanus, et vir de unionis studiis colendis commendandisque optime meritus s. theologiae professor Maximilianus princeps Saxoniae. Aderant etiam comes Harrach et comitissa Schönborn.

Primus Adm. R. D. Dr. *Coelestinus Wolfsgruber* O. S. B. s. theologiae in universitate vindobonensi professor et contionator academicus exposuit de S. Ioanne Chrysostomo, doctore eucharistico et conatibus unionis. Ostendit, quomodo S. Ioannes Chrysostomus in haereticos et schismaticos invectus esset. Mentione facta unionis florentinae graecos maxime doctrina S. Chrysostomi motos esse, ut transsubstantiationem verbis Salvatoris perfici agnoscerent, idque ipsos coram Papa Eugenio IV. confessos esse docuit. Praeterea exposuit, quantopere Leopoldo I. Imperatori cordi fuisset Christianorum in fide unio, quidque ii quos in hac re consulebat Spinola et Leibnitz sensissent. Etiam Döllingero unionem fieri posse visam esse. Deinde conatus Leonis PP. XIII. unionis Ecclesiarum perficiendae causa susceptos imprimis eius encyclicam „de unitate Ecclesiarum“ commemoravit. Desiderium unionis ubique locorum inter Christianos vigere ostendit, optimumque remedium discidii Ss. Eucharistiam esse, quae

un legittimo affetto per i monumentali tabernacoli gotici, turrati ed aggrol vigliati, delle chiese medievali di Germania; può nel cuor suo preferirli alla „domus aurea“ alla colomba pensile, alle foggie insomma romano-bizantine del tabernacolo: fin qui saremo con lui. Ma quando egli verrà fuori colla conclusione, che dall' VIII secolo in poi l'Oriente non fece neppur un passo innanzi nello sviluppo delle forme di custodia del SSmo, ed inasprirà questa tesi con qualche parola alquanto severa sul conto del culto eucaristico nell' Oriente di oggi, noi risponderemo con ogni fraterna carità ed umiltà: il culto che noi Orientali dobbiamo al SSmo secondo le pie tradizioni dei nostri padri è tutto intimo, mistico, nascosto, individuale. I suoi progressi stanno nel profondo dell' anima e della coscienza cristiana, e non possono quindi avere bisogno di sviluppo esterno nelle forme di custodia del Sacramento. L'unica estrinsecazione sociale del culto eucaristico è presso di noi la Messa, ove riceviamo ogni volta la benedizione col SSmo dopo la Comunione, ed ove ha luogo, ogni qualvolta si celebrano le προηγιασμένα un grande e solenne Isodo eucaristico. Orbene, anche qui è escluso ogni sviluppo o progresso formale: ci bastano il calice e la patena dei nostri remoti antenati, l'antichissima colomba, la veneranda „domus aurea“. Il nostro intimo culto può progredire, svilupparsi, raffinarsi entro di noi: nessuno se ne accorgerà quaggiù, salvo l'istesso Dio nascosto nel tabernacolo del mistero, nel S. Vima inaccessibile ai profani, Dio la cui presenza è svelata ai fedeli dal mite lume di un' unica lampada, appesa alla Porta Santa. Così c'insegnarono i nostri padri, così insegneremo noi ai figliuoli. Se poi si vuole essere severi verso la vita eucaristica dei nostri fratelli distaccati d'Oriente, inviteremo chiunque a fare il giro dei monasteri della Russia, dei grandi santuari orientali, a vedere con quale fede ed ardore il popolo si confessa e si comunica, e come sa pregare prima e dopo, e come sa digiunare, magari fin dopo mezzogiorno, giacchè da noi le Messe solenni sono lunghe e le comunioni non si fanno fuori della Messa“. Cum in conventu de re disceptatum non sit. haec saltem afferenda nobis visa sunt.

semper a Christianis putabatur non solum signum, sed et vinculum unitatis. Conclisit verbis liturgiae S. Io. Chrysostomi: „Pacem totius mundi, salutem sanctae Ecclesiae Dei, unionem omnium precemur ad Domino“.

Deinde Ill. D. Praeses de oratione eucharistica ad unionem fidei perficiendam exposuit. Qua de re se iam in eucharistico conventu apud Montem Regalem habito de hac re dixisse commemoravit. Omnia quae fratribus separatis displiceant, tollenda, quae bona in iis sint, agnoscenda eosque a nobis sincere diligendos esse urgebat. Imprimis autem docuit, quantum effectum preces ad impetrandam unionem christianorum in fide susceptae in Anglia habuissent; quaque re motum Leonem PP. XIII. „archiconfraternitatem B. Mariae V. a misericordia“ a 1897 constituisse ad Anglicae linguae populos Romae uniendos. Archiconfraternitatem Assumptionis B. M. V. idem de orientalibus sibi proposuisse. Meminit etiam aliarum societatum velut societatis precibus fundendis „Ut omnes unum“ institutae a Domina Iulia de Massow, „apostolatus orationis“, Congregationis „B. Mariae V. de Sion“. Optimam viam ad unionem consequendam putat esse preces cum sacro faciendo et s. communionem sumenda coniunctas. Precibus autem addenda esse verba et opera, non in sola oratione sistendum. Concludit duobus propositis, ut sacerdotes et saeculares et regulares quam saepissime dum sacrum facerent precarentur et regulares non sacerdotes sicut et homines laici s. communionem offerrent ad impetrandam unionem ecclesiarum.

Eadem igitur consilia Ill. D. Praeses commendavit, quae conventus velehradenses. Illud tamen desiderabamus, quod mentionem „Apostolatus SS. Cyrilli et Methodii sub tutela B. Mariae V.“ non fecit etsi conventus eucharisticus Vindobonae celebrabatur, in capite imperii Apostolatus socios plurimos continentis. Qui Apostolatus iam inter omnes fere Slavos catholicos divulgatus est, inter Bohemos, saltem in Moravia, Polonos, Croatas, Slovenos, Bulgaros catholicos, cui etiam Bulgari orthodoxi sua sponte nomen dant.

Magna mentis delectatione audiebamus ea, quae, cum Ill. Praeses perorasset, Adm. R. P. Dr. *Josef Höller*, C. Ss. R., qui paulo ante ediderat librum „Die Epiklese in der griechisch-orientalischen Kirche“, de epiclesi exposuit. Is doctrina catholica de epiclesi confirmata testimoniis s. Iustini (Ap. I c. 66), Greg. Naz. (Or. catech. m. c. 37), Io. Chrysost. (Hom. I. de prod. Iudae n. 6), Cyr. Hieros. (Catech. myst. IV 7), Io. Dam. (De f. o. IV 13) item iis, quae in variis liturgiis fiunt vel dicuntur post verba, quibus Christus in instituenda Eucharistia usus est, velut in liturgia aethiopica, in liturgia Armenorum, ad dissensionem inter occidentales et orientales explicandam, qua de re desperasse nonnulli videntur ut Kössing, Thalhoffer, E. Bishop, aggressus primum cardinalis Bessarionis sententiam veram esse negavit, cum si Spiritus S. invocandus esset (quod tamen negandum esse ei videtur) nec simul omnes tres Personae invocari possent, ante verba Christi vel saltem ante anaphoram invocandus esse videretur; atque inventam esse epiclesin Spiritus S. anteconsecratoriam, non vero esse inventam veram invocationem Filii neque in omnibus liturgiis invocationem Patris inveniri. Quapropter sibi videri primitus duplicem fuisse invocationem Spiritus S.: priorem ante consecrationem, qua consecratio peteretur (qualis

inventa est 1907 apud Dêr Balyzeh: καὶ καταξίωσον καταπέμψαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιόν σου ἐπὶ τὰ κτίσματα ταῦτα καὶ ποιήσον τὸν μὲν ἄρτον σῶμα τοῦ Κυρίου...), posteriorem, qua utique iam non consecratio peteretur sed illud, quod in antiquissimis liturgiis graecis (in ea, quae in l. VIII. Const. Apost. occurrit: Ἐπὼς ἀροφήνη τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, in epiclesi liturgiae s. Iacobi Syrorum) dicitur ἀποφαίνειν. Cui voci ἀροφήνη tempore procedente parum intellectae neglecto discrimine inter epiclesin anteconsecratoriam et postconsecratoriam (antiquos voce epicleseos consecrationem ipsam significavisse Lingens in ZkTh 1897 p. 52 monuerat) additas vel loco eius usurpatas esse voces ποιήση, ποιήσον, τελειώση et similes. Quam mutationem rationibus et exemplis explicavit. Orationem verbis *Goekenii* (ZkTh 21 p. 377. 375) laudatis conclusit.*)

Postremus Reverendissimus D. Dr. *Victor Szmigelski*, Canonicus Custos alboiuliensis exposuit De Ss. Eucharistia in historia unionis. Is ea quae ad liturgiae naturam pertinent sacrificium et communionem immutabilia esse docuit neque orientales de vera Christi Dei hominis in Eucharistia praesentia dissentire. De duabus tamen rebus cum Ss. Eucharistiae mysterio coniunctis inter Ecclesiam orientalem et occidentalem controversia orta est. Ecclesia enim orientalis formam Ss. Eucharistiae putat esse epiclesin, materiam autem solum panem fermentatum. Photium in hac re non fuisse occidentalium adversarium, sed Michaëlem Caerularium eos hanc ob rem haereticos azymitas dixisse. Decretum unionis florentinum praefatos byzantinos die 5. Iulii a. 1439 subscripsisse iussu imperatoris, non facta prius de hac re disceptatione. Apud Graecos, Bulgaros, Valachos, expugnata a Turcis Constantinopoli unionem in oblivionem venisse in Russia autem a potestate civili sublatam esse; eos autem, qui hodie Romae uniti sunt, posterioribus demum temporibus decretis florentinis paruisse. Quod unitatis restituendae conatus tam exiguos effectus habuissent, tribuendum non esse temporum iniquitati sed hominum negligentiae. Sua quidem

*) De hac explicatione controversiae *VI. Zabugin*, l. c. p. 343 haec sentit: La teoria è vecchia, risale a Giovanni Maro, al Bellarmino, all' Assemani, e può dirsi ora abbandonata dalla scienza, specie dopo il recentissimo, magnifico lavoro del *P. Lisovski*, che la confuta „ex professo“. Il vederla rinverdire al Congresso, quasi rivelazione di grande attualità scientifica, desta un senso di meraviglia, che aumenta discretamente, se pensiamo che il conferenziere s' innamorò della propria teoria al punto di volerla imporre... ad Eugenio IV, il quale „accortosi dell' alterazione del testo liturgico, tollerò che i Greci seguitassero ad usare il testo corrotto, purchè non prestino fede al senso letterale delle parole“. Orbene, è noto che al Concilio di Firenze la questione dell' epiclesi fu dibattuta in senso cattolico dal Torquemada e da Bessarione, i quali entrambi seguono una via recisamente diversa da quella scelta più tardi da Maro e da Bellarmino; Eugenio IV. disse un breve discorso di chiusura, che ognuno può leggere nelle „Collazioni“ di A. di Santa Croce, che non tocca neppur da lontano la questione di questo o quel testo dell' epiclesi, e tornò poi sull' argomento in una lettera apostolica posteriore all' atto d'Unione coi greci: anche lì sarebbe vano cercare ciò che vorrebbe avere scovato l'oratore. Dunque? Rimane un po' di „defectus charitatis“ verso i Greci, ribadito da un linguaggio rudemente polemico, che contrasta tanto con quello misurato e dignitoso del libro testè lodato di Lisovski, il quale pur polemizza coi teologi orientali moderni, ma in forma scientificamente irreprensibile e piena di ferma, caritatevole, onesta dolcezza.

sententia spem unionis collocandam esse in perpetuis omnium christianorum precibus, quibus Dei ad Ecclesias inter se reconciliandas auxilium quasi expugnaretur. In liturgia orientali, quotienscumque sacrum fieret, peti pacem et fidei unitatem; ut idem in Ecclesia occidentali fieret, se proponere, ut a conventu eucharistico sancta Sedes libello adiretur, ut imperaret preces publicas, post sacrum faciendas, quibus reconciliatio inter orientales et Ecclesiam catholicam exigeretur.

Utinam haec omnia, quae ad unionem Ecclesiarum promovendam in conventu eucharistico gesta sunt, conferant, ut impleatur testamentum Christi Domini, qui ex hoc mundo ad Patrem transiturus nobis Ss. Eucharistiam reliquit simulque votum, „ut omnes unum essent“.

Gilbertus Cyrillus Křikava,
C. R. Praem.

* * *

De conventu IV. Velehradensi. Constitutum est, ut proximo anno conventus maiore sollemnitate ornatus habeatur mense Iulio exeunte vel serius. Cum etiam ineunte mense Augusto nonnulli impediuntur, quominus veniant, medio mense Augusto habendus proponitur. Desideria sua de tempore statuendo ii, qui interesse volunt secretario Academiae R. D. Jašek (Kroměříž in Moravia) mittant velimus. — De thesauro meritorum ad exponendum invitati promiserunt RR. DD. prof. Pejška (historice), prof. Prešeren (ethice), prof. Dom Pl. de Meester (dogmatice); Praeterea exponetur: De orthodoxa doctrina de intercessione sanctorum, De obicibus unionis ecclesiarum, De contagione protestantismi in theologia Russica etc.

Ad doctrinam theologorum de thesauro meritorum explorandam pertinent quae in Kolokol 1912 № 1927. edere licuit:

„Желая наиболее конкретнымъ образомъ заняться разработкой богословскихъ вопросовъ, разделяющихъ церкви Востока и запада, мы постановили на третьемъ Велеградекомъ съѣздѣ слѣдующее. На послѣдующихъ съѣздахъ будетъ разсматриваемъ всегда какой-нибудь отдѣльный спорный вопросъ, что бы такимъ образомъ взвѣсить все затрудненія богословскія филозофскія и историческія, какія могутъ относиться къ нему. Поэтому предметомъ обсужденія четвертаго Велегр. съѣзда будетъ вопросъ о сверхдолжныхъ заслугахъ Иисуса Христа и святыхъ — вмѣстѣ съ вопросомъ объ индульгенціяхъ. Съ нашей стороны уже избраны богословы, которые приготовятъ цѣлый рядъ диссертаций для надеждающаго освѣщенія вопроса. Съ другой стороны мы, конечно, желали бы слышать подобное же освѣщеніе вопроса изъ устъ православныхъ богослововъ, которые, быть можетъ, не откажутъ намъ въ любезности присутствовать на четвертомъ Велеградекомъ съѣздѣ... Если бы присутствіе (русскихъ православныхъ) богослововъ было почему-нибудь затруднитель-

нымъ. мы просили бы по крайней мѣрѣ, чтобы намъ были присланы диссертации для чтенія на конгрессѣ, какъ это было сдѣлано на третьемъ съѣздѣ съ диссертацией его Высокопреподобія о. Владимира Гёкена. Намъ было бы пріятно, чтобы диссертации были переведены на латинскій языкъ, и потому мы просили бы прислать ихъ къ намъ для перевода за четыре мѣсяца до съѣзда, который состоится въ 1913 году, приблизительно въ то же самое время, какъ и всѣ предыдущіе съѣзды. Переводы будутъ отосланы для пересмотра и поправки авторамъ диссертаций и, узаконенные ими, будутъ допущены къ чтенію на съѣздѣ.

Для точнѣйшей разработки вопроса предлагаемъ следующія темы:

1) Насколько самая идея о преизбыточествующихъ заслугахъ Иисуса Христа и святыхъ, съ православной точки зрѣнія, противится (противна) ученію Священнаго Писанія?

2) Точный экзегетическій разборъ тѣхъ мѣстъ Св. Писанія которыя приводятся католиками въ защиту ученія о сокровищцѣ заслугъ святыхъ.

3) Насколько та же самая идея съ православной точки зрѣнія противится (противна) богословеко-философскимъ понятіямъ?

4) Какимъ образомъ Православная Церковь объясняетъ примѣры отпущенія и сокращенія эпитиміи, содержащееся въ литургическихъ и прочихъ церковныхъ книгахъ?

(Вопросъ этотъ не вполне ясенъ и самъ по себѣ и по отношенію къ главной темѣ. — Редакція).*)

5) Какимъ образомъ православная церковь изъясняетъ изреченія святыхъ отцовъ, приводимыя католиками въ защиту своего ученія?

6) Какими текстами св. отцовъ руководятся православные для оправданія своего ученія?

*) Въ древней церкви при сокращеніи срока публичнаго покаянія кающимся не отпущалась вина а показаніе, и отпущалось оно именно съ убѣжденіемъ что Богъ самъ это подтверждаетъ. Это совершалось особенно ради ходатайства мучениковъ, страданія которыхъ церковь считала вознагражденіемъ (исполненіемъ) покаянія кающихся. (См. *Supr. Ep. 18; De lapsis c. 17. 18. etc.*) Эта власть облегчать каноническія наказанія приписывалась епископамъ. (*Conc. Ancyr. c. 2; Nicaen. c. 12 etc.*). Такъ какъ имѣть отпущенія лишь только черезъ заслуги Иисуса Христа, приписывается вмѣстѣ съ тѣмъ епископамъ власть располагать заслугами Спасителя, относительно сокращенія публичнаго покаянія и власть страданіями мучениковъ дополнять публичное покаяніе кающихся грѣшниковъ. Это ученіе кажется совершенно похожимъ на ученіе о сокровищцѣ заслугъ, по которому церковь имѣетъ власть удовлетвореніями святыхъ и Иисуса Христа (потому что удовлетворенія мучениковъ надо считать дѣлами цѣлаго мистическаго Тѣла, дѣянія котораго суть якобы дѣянія самого Иисуса Христа) дополнять несовершенное удовлетвореніе кающихся. *Red.*

Если бы у кого изъ (русскихъ) богослововъ нашлась особая тема для наилучшаго разъясненія поставленнаго вопроса. — мы, конечно, будемъ рады ея изложению”.

Подписано собственноручно:

Гофгастайнъ.

А н д р е й, С. митрополитъ Галицкiй.

* * *

In facultate theologica Oenipontana proprium collegium et seminarium paratur tractandae quaestioni ecclesiasticae orientali.

* * *

Additamentum ad P. Palmieri commentationem de Orientalium in schismate defendendo peccatis. Tria genera eorum qui de controversiis inter ecclesiam orientalem et occidentalem in orientali ecclesia scripserunt ČEL'COV in Hр. Čt. 1879 (Polemika m. gr. i l. ob oprěsnokahъ II 639—648) p. 647 distinguit: extremos, medios, moderatos. Acerrimos enumerat hos: Lev Ahridskij, Nikita Stithat, Mihail Kerularij russkie metropolity Georgij i Nikifor, Leontij m. Preslavy, Nikita Nikejskij, Evstratij Nikejskij, Nikita Seid, Ioann Antiohijskij, Nikolaj Methonskij i Ioann Klavdiopol'skij. Medios autem s. XI. fuisse dicit hos: Nikita David Paflagonskij, Ioann II m. russkij, s. XII. Georgij Korcirskij i Theodor Kuropalat. Moderati ei videntur fuisse s. XI. Petr Antiohijskij i Theofilakt Bolgarskij, s. XII Nikita Nikomedijskij. Inter Latinos scriptores vehementes existimantur fuisse papa Lev IX, kard. Gumbert, Anzelm Gavel'bergskij, moderati autem Dominik Gradskij i Anzelm Kenterbjuriskij. — Porro vim harum controversiarum hanc fuisse definit (p. 648): Praktičeskoe značenie polemiki dlja meždu-cerkovnyhъ otnošenij sostojalo v tom, čto ona okončatel'no vyjasnila istinnyj harakter otnošenij meždu cerkvami i razsějala fikciju ihъ edinstva, deržavšujusja ešče po predaniju, no ne iměvšuju uže pod soboj tvrdoj počvy.

Red.

LITTERAE THEOLOGICAE SLAVORUM.

De Ruthenorum orthodoxorum litteris theologicis.

Omnes Rutheni, qui etiam Ucraini vel Parvo-Russi nominantur, numero 33,000.000 hominum Russiam meridionalem (Ucrainiam, Volyniam, Podoliam, Podlachiam et Cubaniam), septentrionalem versus Orientem partem monarchiae Austro-Hungaricae (orientalem Galiciam, septentrionalem Bukovinam et Hungariam) incolunt. In ecclesiis suis graecum ritum cum palaeoslavica lingua liturgica coniunctum observant. Praeterea Rutheni etiam in America septentrionali (in Confoederatis Statibus et in Canada) et meridionali (Parana et Argentina) atque in Bosnia Croatiaque tamquam coloni inveniuntur.

Solum septima pars Ruthenorum cum Ecclesia Romana gratiam et communionem habet et hi sunt Rutheni incolentes orientalem Galiciam (3,400.000), septentrionalem Hungariam (400.000), Bosniam (12.000), Croatiam (20,000), Confoederatos Status Americam sept. (500.000), Canadam (200.000) et Brasiliam Argentinamque (90.000), in universum igitur circiter 5.000.000. Ceteri Rutheni incolentes Russiam meridionalem 27,500.000 et Bukovinam (400.000) ad orthodoxos pertinent. Apud hos Ruthenos quamdiu gratiam et communionem cum Apostolica Sede habebant, id est, usque ad saec. XII. et postea tempore magnae polemicae discussionis inter unitos et non unitos s. XVI. et XVII. magna copia litterarum ad theologiam doctrinae spectantium edita est. Postea tamen cum ecclesia eorum in Russia cum russica coaluit, in Bucovina autem Romaniae cessit, litterae theologicae omnino sunt extinctae et scriptores in suis libris lingua russica vel valachica utebantur hodieque partim utuntur. Maxime cum a. 1876. in Russia vetitum est ullum opus lingua ucrainica conscriptum edi, quod ad doctrinam referretur, opera iis dari non potuit. Ex libris ante hoc edictum editis inveniuntur solum: sacerdotis Оратовуѣ: Brevis sacra historia (Коротка свѣщенна історія), sacerdotis протоiereos Нре-чѣуле вуѣ: Narrationes ex Sacra Scriptura (Оповідання святаго писанія), eiusdem scriptoris: Contiones lingua ucrainica conscriptae (Проповѣди на укрѣнськѣмъ) et Sermone catechetici (Весѣды катихизическія). Sacerdos Мораѣ vs kyj Novum Testamentum in linguam ucrainicam convertit, quod opus, cum a Synodo Petropolitana approbatum non esset, editum non est. Pantalejmon Kuliš, homo laicus, considerans magnam penuriam litterarum ad religionem pertinentium apud Ucrainos in Russia, Sacram Scripturam utriusque Foederis lingua ucrainica interpretari conatus est, cuius operis prima pars a. 1869 Leopoli typis exscripta est. Continet quinque Moysis libros. (Святе писъмо. Перва частина біблїи.

Пять книг Мусієвіч. Коштом і заходом „Правды“ 4^o p. 172). Postea eiusdem Kuliš, Ioannis Levickyj illustrissimi scriptoris, prof. Puluji opera sacra Scriptura universa in linguam ucrainicam translata est, ac sumptibus anglicae societatis biblicae parti singuli libri separatim, partim totum corpus aliquotiens, imprimis Vindobonae editum atque per Ucrainiam divulgatum (velut Святе письмо старого і нового завіту мовою русько українською, у Відні 1903. 8^o p. 249.). Aliquas partes S. Scripturae Kuliš forma poetica composuit nempe Canticum Moysis, librum Job, Psalterium, sermones Tobiae. Idem etiam Ševčenko illustrissimus poeta Ucrainae fecit.

Postquam in Russia decretum est varias religiones esse tolerandas, etiam alia concessa sunt, inter quae etiam illud (anno 1876), ut scriptores ruthenica lingua uti possent in libris ad doctrinam pertinentibus aliisque. Libertas, quae per aliquod tempus data est (hodie enim iterum scriptis ucrainicis edendis in Russia impedimenta ponuntur) sufficiebat ad complura scripta religiosi generis emittenda.

Inter quae orationes eminent sacerdotis Ksenofont Van'kevyc: Contiones parvo-russiaco populo lingua patria praeparatas anno 1908. edidit. (Проповіді до малоруського народу на його рідній мові. Камінець-Подольський. p. 60 pr. 25 k.) Quae contiones sermonis simplicitate atque claritate eminent. Alius sacerdos J. Stepanivskyj: Orationes pastoris ruralis (Назання сільського пастиря. Київ. 1909. p. 12. pr. 60 k.) edidit, quae indoli vitae gentis ruthenicae omnino accommodatae cum doctrinae theologicae tum vitae ususque scientiam testantur; si sermonem spectamus aliqua minus recte aut eleganter dicta in iis invenimus.— Praeter orationes iam laudatas occurrunt nonnullae lingua ucrainica conscriptae etiam in russicis foliis: „Podolija“, „Pravoslavna Podolija“ et in „Propovėdničeskoe Obozrėnie“. Etiam A. A. Titov in Magno Rostovio denuo ucrainicas s. Demetrii Rostoviensis orationes edidit (p. IX + 134.)

Secundum locum versiones Sacrae Scripturae in linguam ruthenicam obtinent. Praeter versionem a Kuliš, Levickyj, Puluji factam quae etiam atque etiam recuditur, Synodus Petropolitana cura Parthenii episcopi podoliensis veterem versionem a Moračevskyj factam emendavit typisque edere coepit. Praecipuum momentum huic interpretationi tribuitur, quod tria collegia operam dabant, ut bene verteretur: unum theologorum in Kamenec Podolsk, alterum in Synodo Petropolitana, tertium linguae ucrainicae peritorum in academia moscoviensi. Primum evangelium secundum Matthaeum a. 1905 editum est, deinde Marcus (1906) et Lucas (1907), nuperrime Joannes et Acta Apostolorum. Quantum fuerit desiderium huius versionis, cognoscitur ex hoc, quod novem mensibus (a Iunio 1906 usque ad Martium 1907) quinque edita est (65.000 exemplaria divulgata). Haec versio a synodo Petropolitana approbata est.

Tertio loco libros populariter scriptos de religione ponimus, qui Odessae eduntur sub communi titulo: „Promin“ (Промінь). Hi sunt V-p, De Vladimiro Sancto duce et baptismo Rutheniae (Князь Володимир Святий та хрещення Русь. 1909. p. 24 + VII.), Jurko Sivač, De Nicolao Thaumaturgo pontifice (Святитель Никола Чудотворець 1909. 16^o p. 47.); Nekrasov - K. Mykola-jevuč: De sancto Ioanne Milite (Святий Іван Воїн 1909. 16^o p. 15), Acta et miracula St. Apostolorum Діяння та чудеса св. Апостолів 1909.) aliique. Omnes hi libri multis imaginibus ornati sunt.

Nonnulla ad pietatem fovendam vel errores impugnandos scripta etiam Počajovic composuit.

Praeter hos libros omnino ac proprie ad religionem pertinentes etiam alii sunt, quibus de nonnullis rebus historiae ecclesasticae exponitur. Tales sunt libri a „Benefica societate edendis libris“ (Благотворительное общество издания общепользных книгъ.) Petropoli editi:

Nr. 30. O. Konys'kyj - Sinkevuč, Venimus post Ipsum (Ходимо за Нымъ). 1905, 16^o p. 56.

Nr. 41. A. S-ko, De primis Slavorum magistris (De sanctis Cyrillo et Methodio) Первоучители Славянъ (про Кирила и Мефодія).

Nr. 50. V. Domanyckyj, Mors pro veritate (De Io. Hus), Смерть за правду. (про І. Гуса).

Alios societas „Pros'vita“ Kioviae inter libros, quos edit, emisit.

Nr. 11. Hrinčenko B. Confraternitates et res litterariae in Ukraina temporibus regni Polonorum usque ad Bohdan Hmel'nyckyj. (Братства і просвітна справа на Україні за польського панування до Богдана Хмельницького). -- et

Nr. 22. M. Zahirnja, Pro patria. (Narratio de Ioanna d'Arc). За рідний край (оповідання про орлеанську дівчину Жанну д'Арк).

Kioviae Ucrainica societas docta sexies in anno suos commentarios (Записки українського наукового товариства в Києві) edit, in quibus multa ad historiam ecclesiasticam Ucrainae pertinentia inveniuntur. En conspectus commentationum anno 1909. editarum:

Liber II. (8^o, p. 261 + 6) adscriptus est memoriae P. Žy-teckyj qui libris, quos de rebus ad historiam ecclesiasticam pertinentibus conscripsit, illustris est (velut: Описаніе пересопницької рукописи XVI в., Descriptio peresopnicensis codicis manuscripti Evangelii saec. XVI. Kioviae 1876; О переводахъ Евангелія на малорусскій языкъ. De Evangelio in linguam parvo-russicam converso. Petropoli 1906.). In hoc tomo invenitur: Per etc V., Pro memoria operae 45 an. a Paulo Žyteckyj litteris impensae. Сагматов in commentatione, quae inscribitur „Ad quaestionem de septentrionalibus legendis de Olga duce“ viam ostendit, qua legendae de s. Olga Novgorodi et Kioviae exstiterunt. Ad-

rijanov scribit de Kioviensi psalterio XIV. s. Petrov M.: De ucrainica collectione quorundam librorum s. XVII—XVIII. facta in Dubica prope Luck, quae totam seriem librorum apocryphorum quales in Ucraina divulgati erant continet. Nunc in museo ecclesiastico-archaeologico academiae theologiae Kioviae invenitur. De uno ex his libris apocryphis Nazarevskyj agit sub titulo: „De itinere Dei Genetricis in infernum (Хожденіе Богородиці по мукамъ в нових українських синагах 17 і 18 ст.) eumque cum vetustioribus et recentioribus editionibus comparat — Maslov: Sermo Leontii Karpovyč in dominicam ante Nativitatem Domini“. Karpovyč contionator erat medius inter modum dicendi, quo olim ante s. XVI. apud Ruthenos virtutes commendabantur et sacri libri explicabantur, et modum lesuitarum proprium, in quo adhibendo Galatov-kij princeps fuit. A. Ševčenko de libro apocrypho, qui inscribitur: „Narratio de 12 feriis sextis“ scribit deque iis, quae apud Ruthenos in eo immutata occurrunt an 1604; valde enim differunt a byzantinis codicibus, unde omnes alii profecti sunt, et a serbicis. Loboda A. Quaedam ad kioviensium alumnorum indolem et habitum designandum.

Liber III. (8^o p. 158) inter alia continet canonistico-historicam disputationem B. Levickyj: De nuptiis in Ukraina s. XVI—XVII. factis sine benedictione ecclesiae (про невінчнї шлюбнї на Україні XVI і XVII. ст. p. 98—107). Scriptor demonstrare conatur in Ucraina a primis temporibus christi nismi, matrimonium sine ecclesiae benedictione legitimum habitum esse, eo magis quod etiam in byzantina ecclesia de hac re disputabatur. Postea, cum ecclesiae benedictio necessaria esse videri coepit et aliud matrimonium legitimum ab ea haberi desitum est, lex populi consuetudinaria matrimonium pro pacto ad libitum solvendo habebat. Ad quamdam sollemnitatem huic pacto addendam convivium et nuptiae adnectebantur. Res exemplis imprimis e vita optimatum sumptis illustratur.

Liber IV. (8^o p. 106) Hrušyń-kij Ol. commentationem continet de „Elegia Alexii“ Theophanis Prokopovič. Syšyckyj: „Ad quaestionem de schola litteraria XII s.“ scripsit, ubi ostendit sermonem Cyrilli Turoviensis et Carmen de bello Igori ad eandem scholam litterariam pertinere. Bučyn'skyj B. in disputatione quae inscribitur: De conatibus ecclesiam ruthenam Romae uniendi tractat effectus, quos priores conatus unionis ha uerunt. Postea de metropolitae Kioviensis necessitudine cum patriarchatu Constantinopolitano exponit et qualem se praebuerit, cum in magno ducatu Lituaniae et in terris Ruthenorum, quae politice ad regnum Poloniae pertinebant, unio fieret. In fine de rationibus quae inter metropolitam kioviensem et magni ducatus Lituaniae administrationem intercesserunt agit. Videmus et post priores conatus unionis solum aliquas iuridicas regulas, quae ad promotionem futurorum conatuum adhiberi possent, relictas esse atque Ecclesiam latinam in eo, qui princeps erat in partibus eius agendis

in M. D. Lithuaniae, infelicem fuisse et necessitudinis cum patriarchatu remissionem, magnam vim ducatus lithuani, metropoliae divisionem fauste conatibus unionis intercessisse. — His expositis scriptor transit ad hos conatus a. 1498—1506. narrandos et vitam metropolitae Josephi describit, qui magnam vim in conatus unionis cum Roma faciendae s. XV. et initio s. XVI. exercebat.

In libro V. praeter partem disputationis Bučynskianaе de conatibus unionis, Nevirovii commentatio de vestigiis ukrainicae daemonologiae in „Вечера“ et Миргороді Gogolii inest et Rosovii de ukrainico scholari dramate dormitionis Dei Genetricis.

Liber VI. continet partem dissertationis Bučyn'skyj et commentationem a V. Peretc conscriptam: de panegyrico „Speculum virtutum“ sacerdotis E. Pkteneckyj.

De aliis libris huius societatis (ab a. 1900 usque ad a. 1912 editis) alias mentio fiet. Litteras ad religionem fovendam et animos delectandos pertinentes componunt Ev arnyuckyj D. J. (За чужині гріх. Екатеринослав 1907. 4^o p. 461; Убуреу! Катеринослав 1908. 8^o p. 64; Христову серці чоловіка Катеринослав 1908. 8^o p. 24.), sacerdos Hrynevyc (До Бога. Евангельски пагомось. Балта. 8^o p. 12.). Vitalij Samijlenko (Із за мар сумшньских. Полтава 1909), Fedorčenko Jo. (Продіяда. Богоблудниця поема Київ 1906. 8^o p. 87. Вид. Ранок ч. 5), Farovyč Alex. (Колядки). Jurčakevyc (versio Петровъ Гр. На Божій дорозі. Стати. Каменець подільскій 1907) aliique. Secta štundistarum sub titulo „Athanas“ edidit carmina spiritualia.

Habes brevem conspectum litterarum theologicarum et ad religionem pertinentium, quae apud Ruthenos orthodoxos Russiae inveniuntur. Pauca haec quidem sunt, et propter universae rei litterariae ukrainicae in Russia impedimenta, et propter hierarchiae et cleri fere omnis animum a studiis ukrainophilorum alienum. Tamen sex anni qual scumque libertatis iam aliquod momentum ad litteras, quae ad religionem spectant, Ruthenorum attulerunt.

Altera pars Ruthenorum orthodoxorum in Bucovina inveniuntur (400.000), quorum clerus tamen Romaniae lingua utitur. Propterea litterae ad religionem pertinentes solum tarde progrediebantur.

Anno 1888. Alexander Manastyrskyj librum „Iuvenis contionator“ (Молодий проповѣдникъ. Černovici 8^o p. 56) edidit, in quo 40 orationes dominicis et diebus festis habendae inveniuntur. — Fed'kovyc J. Vitam sancti Nicolai Thaumaturgi 12. carminibus illustravit (Leopoli 1896. 16^o p. 27.). Nonnullae res, quae huc pertinent in: „Orthodoxo Kalendario Bucovinae“ inveniuntur.

Sumptibus societatis „Ruska Besida“ Černovicii liber prof. D. Eremijčuk, qui inscribitur: „S. Joannes Sučaviensis“ editus est. — Eiusdem scriptoris est Introductio in theologiam pastorem: Введено в настиреке (практичне) богословіе. Чернівці 1903. p. VII + 100. Ubi E. in prolegomenis p. V. negat, post confessi-

onem imponi debere satisfactionem; hunc enim usum contineri dogmate romano, quod conectatur cum doctrina de purgatorio.

Praeterea commemoranda sunt scripta Eugenii Semaka, catech. gymn.: Церковна Історія для вищих клас шкіл середних, після учебника о. проф. Коки. Відень 1906. р. X. + 308. — 3 К 80 h. Ecclesiastica Historia in qua sequitur compendium prof. Koka. — Наука догматична церкви православної. Часть загальна і спеціальна після учебника о. Коки. Відень 1906. р. 208; 2·80 К. Dogmatica ecclesiae orthodoxae in qua eundem auctorem sequitur. Учебник науки моральної. Уложив після волоського учебника. Відень 1907. р. 121. — 2·02 К. Compendium doctrinae moralis. — Історія біблійна старого завіта Відень. 1907. р. 111. — 1·20 К. Historia biblica Veteris Testamenti. — Історія біблійна нового завіта. Відень. 1907. 94 h. Historia biblica Novi Testamenti. — Наука християнської віри і моральності. Відень 1907. р. 92. — 1·75 К. Doctrina christianae fidei et morum (р. 3. exponens de fontibus revelationis divinae, non enumerat libros Maccabaeorum). — Християнська Аполюгетика. Відень. 1907. р 195. — 3 К. Christiana Apologetica. — Дітургіка церкви православної. Відень. 1907. р. 88. — 1·90 К. Liturgica ecclesiae orthodoxae. — Обширна біблія старого і нового завіту для шкіл народних. (Magna biblia utriusque Testamenti in usum ludorum.) Vindobonae 1905. — Церковна історія для учительських семінарій і шкіл реальних (Ecclesiastica historia in usum seminariorum paedag. et scholarum, quae reales vocantur conscripta. Vindobonae. — Християнська аполюгетика для учительських семінарів (Christiana apologetica in usum seminariorum paedag.). — Denique Dr. K. Bryndzan librum de liturgia ecclesiae orientalis in Bucovina edidit.

Praeterimus nonnulla, quae lingua ruthenica conscripta inveniuntur in valachicis commentariis: „Academia orthodoxa“, qui Cernoviciis eduntur. Societas orthodoxi cleri rutheni nuper instituta atque novus clerus amore linguae patriae imbutus spem praebent litteras theologicas in Bucovina apud Ruthenos augeri posse.

Cehelskij Ignatius.

Conspectus singulorum operum recentium.

Bohemica.

P. Václav Smolik C. SS. R., Encyklika J. S. Papeže Pia X. „Pascendi Dominici gregis“ o učení modernistův. Pr. 1911 (423 p.) 6·50 K.

Litterae Bohemorum theologicae aliis feliciores explicatione hac encyclicae „Pascendi Dominici gregis“ ad plenam de integro

modernismo instructionem conscripta auctae sunt. Scriptor non modo encyclicam ipsam latina et bohemica lingua affert eamque collatis undique scriptorum, qui modernismum profitentur sententiis, explicat confirmatque, quae res hoc opere praecipue spectatur sed etiam initio originem et progressum horum errorum in variis regionibus maxime in Gallia et in Italia divulgatorum narrat additque conspectum eorum, quae occasione editionis huius encyclicae variis in regionibus scripta sunt. Finem vero operi suo facit variis decretis et commentariis a Sede Apostolica postquam haec encyclica edita est emissis, quibus quae in encyclica enuntiata vel indicata sunt, rursus confirmantur vel, quomodo ea intellegenda sint, accuratius exponitur.

Ratio et via, qua S. in hoc opere componendo non recusato assiduo labore usus est, certe iure merito recta existimari potest, cum et sacerdotibus theologisque et laicis hominibus eruditus utile esse possit ad clare cognoscendum, quae sit vera doctrina ecclesiae catholicae et qua in re theologi quidam recentes falsae cuidam doctrinae innixi a recta via aberraverint; quare opus laudatum simul momentum apologeticum habet nec sine causa scriptor praemio a c. r. universitate Pragensi pro hoc opere affectus est.

Tamen, ne solis virtutibus commemoratis iniquum iudicium ferre videamur, etiam rerum nostra quidem sententia corrigendarum exempla afferre in animo est. Mirum scilicet non est, si scriptorem, cum diligentius in originem modernismi inquireret, diligentia nonnumquam defecerit. Velut cum Kantii ad doctrinam exponendam aggredereur, solum philosophum Bohemum Durdík de eo consulere non conveniebat sed ipsius Kantii scripta diligenter adhibenda erant. Quod si fecisset, verba quae p. 214 illi tribuit Kantio ipsi tribuisset (ein ganzes System von dialektischen Annassungen); cf. annot. p. 214, 215, 216. Quo factum videtur esse, ut Kantii doctrinam non omnino bene explicaret aestimaretque et ut res praecipuas, in quibus Kantii refutatio vertitur, nonnihil neglegeret. Ut spatium et tempus p. 198 ad intellegentiam revocatum omittam, p. 208—9 illum maximum fuisse errorem scriptor dicit, quod Kantius sensationem cum notione confuderit. Res tamen non modo non probatur (etsi Kantius aliud videtur significasse verbis: „beide Vermögen oder Fähigkeiten können auch ihre Functionen nicht vertauschen: der Verstand vermag nichts anzuschauen und die Sinne vermögen nichts zu denken“) sed in errore explicando accuratio desideratur. Dicit enim: Smyslové čítí jest stav hmotného ústrojí duši oživeného i má na sobě známky hmoty. Obrázek na př., který na sítnici oka vzniká... jest prostorný (p. 208—9). At imago, quae in retina oritur, non est sensatio; res enim videmus extra nos ipsos, non in retina, sensatio autem est videre res extra nos. Praeterea dicitur: Čítí smyslové má své rozměry a časový sled jako předmět jeho — smyslný svět vůbec... pojem nemá rozměrů, nemá časového sledu, nicméně však

repraesentuje rozumu vše, cokoliv v prostoru a čase jest rozloženo (p. 209). Quibus verbis minus benigne explicatis probari videtur posse scriptorem ipsum caecam quandam iudicandi necessitatem tenere, quam recte Kantio exprobrat. Ad hoc evitandum distinguendus erat actus subiectivus ab obiective spectat. Nam certe actus subiective spectatus cum actu repraesentative spectato confundi non potest. Verum est tempus esse necessarium, ut sensatio oriri possit, negandum autem notiones non esse aliam post aliam.

Praeterea scriptorem consulturum fuisse multum perspicuitati operis existimamus si etiam de qualitate theologica et encyclicae, et aliarum contra modernismum a Sede Apostolica editarum sententiarum disseruisset, qua in re Motu proprio „Praestantia Scripturae Sacrae“ magni videtur esse momenti, cum poenas et censuras ecclesiasticas statuat graves non solum in eos, qui encyclicam „Pascendi“ verum etiam eos, qui decretum „Lamentabili“ oppugnare audeant.

A. Bratič.

Filip Jan Konečný, Mravní velikost Kristova důkazem Jeho božství. Christi virtutum excellentiam divinitatis Eius argumentum esse. Regino-Hradecii 1911 (p. 72).

Scriptor in libello suo transmissis directis argumentis quibus Christi divinitatem docere solent theologi hoc modo argumentandi utitur: Christus virtutibus suis omnes omnium temporum homines probos et sanctos infinite superavit. Ergo non merus homo, sed Deus est dicendus.

Antecedens certe exposita paucis auctoritate ac fide evangeliorum et ex his evangeliiis ipsis et ex aliis etiam testimoniis per totum fere libellum ostenditur probando Christi animum a peccato alienum (p. 24 ss., plenum simplicitatis, humilitatis, temperantiae (39 ss.), clementiae, patientiae, munificentiae, liberalitatis (47 ss.), fortitudinis (49 ss.), sapientiae (51 ss.), veracitatis (55 ss.), humanitatis (58 ss.) erga Deum et homines amoris (62 ss.), illustrando ipsam eius admirabilem passionem et mortem (66 ss.); sed cum omnes hae proprietates, licet maxime admirabiles, tamen simpliciter infinitae non sint ideoque per se naturae alicuius creatae quamvis super homines eminentis, quin etiam hominis alicuius maximis ingenii donis instructi esse possint etiam consequentia argumenti erat demonstranda. Idque vel ex eo, quod Christus vir veracissimus et sanctissimus se Deum esse, aiebat vel ex eo, quod ipsa admirabilis sanctitas haec sit miraculum ordinis moralis ad verba Christi comprobanda aptum.

Libellus sine doctrinae apparatu scriptus nihil novi continet quod hic laudare possimus.

Quaedam privatae reprehensiones de adversariorum, contra quos pugnat, vitiis, ignorantia etc. melius omitti poterant.

Dr. Boh. Spáčil.

Cyrill 1909—1911.

D. Orel, Vstaf jest této chvíle (Surgit in hac die) 1909 5. 19. 33. 52 66. 85. 107.

D. Orel, Narodil se Kristus Pán (De celeberrima cantione Bohemica in Nativitatem Christi) 1909, 43. 34. 147.

J. Vajs, Hlaholský zlomek nalezený v knihovně král. kanonie Strahovské (De fragmento glagolitico bibliothecae Strahoviensis). 1909, 99.

V. Müller, Cyrillský sjezd v Plzni 9 a 10. září (De conventu sacrae musicae studiosorum Pilsnae habito) 1909, 113

C. Straka, Česká skládání při průvodu na neděli květnou a Hod Boží Velikonoční 1910, 6—9. 18—20. 37—38. 50—51. 70—72. 82—85. E codice bibliothecae Strahoviensis eduntur quae medio saec. XVI. in processione. quae in Dominica Palmarum fiebat, bohemicè canebantur; deinde ea, quae in die Paschatis in aede sacra (ut scriptor conicit fortasse post processionem quae a sepulcro Domini ad altare maius fiebat) a pueris instrumenta passionis repraesentantibus bohemicè pronuntiabantur.

D. Orel, Nastal nám den veselý 1910, 101—112. 118—124. 137—139 157—159; 1911, 35—39. Exponitur de origine et vicissitudinibus cantilenae Dies est laetitiae in ortu regali; latine editur e codice Altovadensi, bohemicè (Nastal nám den veselý, z rodu královského) e codice Vyšehradensi; modi varii, qui vetustum mixolydicum exceperunt, adumbrantur. Deinde similiter tractatur canticum Nobis est natus hodie de pura virgine (Nastal nám den veselý, v němžto z paní čisté), cuius modus scriptori videtur esse ab alia cantilena petitus, verba Bohemica ea, quae ad posteriorem modum accommodata sunt, potius a fratre Luca composita, quam a Ioanne Dobešio parrocho († post 1574), etsi res dirimi non possit.

K. Kuffner, Několik myšlének o východisku dalšího pokroku u církv. hudby 1910, 20—22. (Qua ratione perficienda sit musica sacra). Negatur, quaecumque nova sint, ea idonea esse, quae ad musicam sacram adhibeantur, sicut vestem huius temporis induere pro veste sacra non decere sacerdotem manifestum sit. Praeter alia modus in affectionibus animi cantu exprimendis commendatur.

K. Eichler, K jubileu P. Pavla Křížkovského 1910, 68—70. De Paulo Křížkovský (*1820, †1885) qui musicam sacram in Moravia correctam expolivit.

C. Sychra, Steckrová „Missa solemnis“ 1911, 33—35. 56—59. 120—123 De hoc opere exponitur; quod optimum in nova musica ecclesiastica esse iudicatur.

E. Bezečný, Repetitorium dějin hudby 1911, 49—54. 70—75 etc. Historia musicae, summam perscribitur fontibus non indicatis.

První rakouský paedagogický kongres ve Vídni 1911, 65—70. 83—87.

D. Orel exponit hic de cantu discendo in seminariis et facultatibus theologicis.

Supplementi instar Zd. Nejedlý edidit Missam Christophori Hant, baronis de Polžic (1564—1621) e codice communalis bibliothecae Vratislaviensis et *Dobr. Orel* librum, qui inscribitur Katechismus církevního zpěvu (Summa de cantu ecclesiastico) via ac ratione compositum.

Pavel Opavský.

Časopis katolického duchovenstva 1908.

Richard Špaček: Vzniklo křesťanství z buddhismu nebo z řecko-římské filosofie? (Num religio christiana e buddhismo aut e philosophia Graeco-romana orta sit?) 7—12, 118—125, 201—205, 265—269.

Invidia religionis christianae succensi multi homines docti divinum eius ortum omni conatu improbabilem reddere volunt. E multis eiusmodi tentaminibus scriptor illud, quod religionem christianam ex buddhismo aut ex philosophia Graeco-Romana esse ortam demonstrare conatur, electum iudicio subicit. Libris optimorum scriptorum sive ad hoc probandum sive ad improbandum scripti sunt, consultis opinionem illam ut absurdam reicit et demonstrat 1) religionem christianam, etsi in aliquibus rebus cum buddhismo conveniat, in eo radicem habere non posse, quia in ipso doctrinae capite, imprimis in amore Dei et proximi omnino inter se discrepant; 2) simili ex causa philosophiam Graeco-Romanam fontem religionis christianae esse non posse et ea, in quibus convenire videantur, potius ex religione christiana in philosophiam Graeco-Romanam translata esse quam e contrario.

Konst. Wołodzko: Dvanáct apoštolů a nejvyšší úřad sv. Petra v církvi. (De numero 12 apostolorum et de primatu s. Petri in ecclesia ex hoc efficiendo.) 309—311.

Duodecim apostoli a Domino electi erant, quem numerum servari Dominus voluit; nam Iuda proditore mortuo alium ei substituendum esse censuerunt. (Act. I. 21.) Quam Dei voluntatem S. Paulus nihilominus spernere videtur, cum se verum apostolum nominet (I. Cor. IV. 9; IX. 1., II. Cor. XI. 5.) Quae difficultas solvitur, si s. Petrum a Domino in suum locum destinatum et ita omnibus apostolis superiorem constitutum esse tenemus.

V. Hazuka: Srovnání života a zvyků starých Babyloňanů se životem patriarchů dle současných pramenů. (Vita et mores antiquorum Babyloniae incolarum ex eiusdem aetatis monumentis cognita cum vita patriarcharum, comparantur). Cf. ann. 1907 p. 40—46, 169—176, 269—279, 362—365, 395—403, 451—463, 586—596.

Agitur hic de moribus Babyloniorum maritorum, de educatione, pietate, iuribus liberorum, de adoptione. His omnibus cum moribus Patriarcharum comparatis, non similitudinem tantum maximam, sed eandem prorsus rationem *H.* invenit. Hoc novum argumentum est auctoritatis ac fidei, quae libro genesis in vita sui temporis describenda tribuenda sit, quantique momenti sit ad historiam cognoscendam. Scriptor linguis orientalibus optime imbutus in nonnullis librorum Babylonicorum locis interpretandis explicandisque a viris doctis Ranke et Meissner discedit velut in explicatione vocis „ullulu“.

Jan Hejčl: Pentateuch. (pars prior iam a. 1907 edita est). 97—105, 189—195, 324—329, 412—423, 496—510, 557—567, 639—647.

H. quaerit, num Pentateuchus a Moysse solo conscriptus sit. Omnibus quae utrimque allata sunt argumentis diiudicatis arbitratur, Pentateuchum opus esse quod velut planta paulatim creverit cum religionibus populi electi a Moysis tempore usque ad tempus post transmigrationem Babylonicam, cuius operis radix vel fundamentum liber a Moysse scriptus fuerit.

Pentateuchum esse ex diversis libris ab uno scriptore conglutinatum, quae opinio a theologis protestantibus defenditur pro certa, scriptor probabile tantum esse existimat.

Frant. Kryšřtůfek: Papež—suverén a garanční zákon italský z dne 13. května 1871. (De papae principatu et de lege italica 13. Mai 1871 data, qua papae auctoritas salva declaratur.) 1—7, 112—118, 181 ad 189, 349—355.

Exponitur de statu ecclesiastico papae erepto et de rebus a rege Italico papae oblatis, ut ei principatus honoris causa maneret. *K.* negat principatum papae sublatum esse eumque agnoscere ab aliis principibus etiam non catholicis historice ostendit. Iuridica quaestionis pars (de qua cf. Sl. l. th. II 185-6) neglecta est.

V. Smolík: Fischerova „Nadfilosofie“. (De Fischeri opere „Überphilosophie“). 56—59, 137—141, 212—216, 329—333, 424—430, 522—530, 601—605, 634—639.

S. negat hoc opere quo philosophia christiana cum recenti conciliabatur illi aut huic satisfactum esse.

Jos. Novotný: Různé pokusy vysvětliti příčinu zjevů spiritistických. (De variis conatibus explicandi eventus, quibus spiritismus nititur). 23—32, 125—130, 341—349, 403—412, 476—496, 568—579, 621—634.

Spiritismus antiqua necromantia et magia renovata est. Miros eventus, qui negari non possunt, alii aliter explicant. Alii omnia a machinis repetunt, alii hallucinationes potius gigni contendunt; plurimi quibusdam viribus sive iam notis, ut musculari, electricae, magneticae, sive nondum exploratis, ut „od“ etc. ea tribuunt, alii quarta dimensione ea explicant; sed horum explicationum nullam esse satis idoneam, quartam dimensionem ne esse quidem *N.* existimat. Verisimillimum ei videtur, eventus spiritismi, qui quantum nos scimus viribus naturae perfici nequeunt, daemonibus esse tribuendos.

Robert Neuschl: Darwinistický evolucionismus ve vědách společenských. (De darwiniana progressus opinione disciplinis, quae societatem spectant, applicata.) 59—65, 131—137, 205—212, 334—341, 430—473, 510—522, 596—601, 662—668.

Scriptor cum doctrina recentium virorum doctorum pugnat, qui, ut hominum ex bestia ortum esse docent, ita etiam omnia, quae ad hominis in societate vitam pertinent ut religionem, matrimonium, honestatem simili mutationi obnoxia esse putant.

M. Daněk.

Časopis katolického duchovenstva. 1909.

Karel Hubík: Křesťané „pekaři“. Christiani „pistores“ 57—64; 104 ad 110; 205—211; 260—265.

Scriptor primum ex inscriptionibus et signis catacombarum probat contra Io. de Rossi symbolum modii non esse insigne collegii pistorum, cum etiam in sepulcris feminarum, quae ad virorum collegia pertinere non potuerint, inveniatur, sed significare mortuorum in materia Eucharistiae praeparanda merita. Deinde in Minucii Felicis dialogo ubi dicitur (14, 1): „... ecquid ad haec“, ait (A. Caecilius), „audet Octavius, homo Plautinae prosapiae, ut pi-

storum praecipuus, ita postremus philosophorum“ pistorum voce dicit II. contra varias philologorum ut Stieber, von Wilamowitz, quem Harnack sequitur, Schanz coniecturas christianos generatim petulanter significari et Octavianum hominem Plautinae prosapiae (i. e. pistorem) contra Ed Norden nominari. Quod fieri non potuisset, nisi christiani ab aliis pistores appellati essent. Hinc quoque repetendum esse, cur Apuleius in fabula Metamorphoseon, christianam religionem in pistoris uxore diffamare voluerit.

Fr. Kryštůfek: Zjevení se kříže na nebi císaři Konstantinu Velikému. De cruce quae a Constantino M. in caelo visa est; str. 9—13, 124—129; 177—181; 269—272.

Scriptor testibus auctoribusque usus Eusebio (de Constantini iure iurando etc.), Lactantio (313: caeleste signum) Artemio duce, quodam oratore panegyrico („adversi ominis“), Nazario (321: „caelestium armorum lux“) contra Ranke, Burckhardt huius facti veritatem historicam tuetur.

Jos. Smrček: První legáti papežští v Čechách. De primis legatis apostolicis in Bohemia str. 249—259; 313—320; 388—396; 441—452.

Scriptor agit de legatis ab Alexandro II. in Bohemiam missis ad litem inter Jaromirum, episcopum Pragensem eiusque adversarios Ioannem, episcopum Moraviae et Vratislaum componendam. Venerunt a. 1073 Bernardus et Gregorius, a quibus Jaromirus punitus est. Qui ea occasione dabant operam, ut studia curiae Romanae ad caelibatum pertinentia valerent

Vavř. Wintera: Jací byli staří predikanti z doby před reformací a po reformaci. Quales fuerint praedicantes ante et post reformationem; str. 42—52; 111—120.

Multis exemplis et ipsorum protestantium testimoniis scriptor docet pastores et utraquistarum et protestantium causam extitisse morum corruptorum saec. XVI.; indicatque quid eventurum fuisset, nisi reformatio catholica mala avertisset.

Jan Zitek: Ke sporu Jana z Jenšteina s Václavem IV. De Ioannis de Jenstein cum Venceslao IV. conflictatione; str. 64—69; 135—141; 211—218; 324—332, 566—572; 636—644.

Adhibito codice manuscripto bibliothecae Vaticanae scriptor post Pelzel et Pubitschka denuo ad verbum affert Ioannis de Jenstein archiepiscopi Pragensis de Venceslao IV. querimoniam, ex qua originem et magnitudinem litis optime cognoscimus.

Jos. Samsour: Symbolum apoštolské a jeho původ. De symbolo apostolico eiusque origine str. 149—152; 198—204; 273—278; 320—324; 377—381; 460—468.

S. symboli apostolici quod a saeculo VII. in ecclesia Romana receptum est, primam formam, qualis saec. IV. Romae occurrit, iam saeculo II. usitatam fuisse existimat ducitque veri simile eam a ss. Petro et Paulo esse repetendam.

Richard Špaček: Čtvrté evangelium v protestantském badání. De protestantium theologorum de quarto evangelio sentiis; str. 223—229; 348—354; 411—417; 489—498; 598—601; 644—650.

Scriptor percurrit antiquos et recentes scriptores, qui integritatem evangelii IV. negant, antiquos et recentes, qui eam defendunt, recentissimorum

opiniones de origine et scriptore evangelii IV. affert, ea, quae ab adversariis afferuntur, examinat, testimonia antiquitatis commemorat; etsi omnia paucis absolvit, plura tamen doctrinae de Verbo concessit; nihilo minus eum fugit, ideam Verbi — e Platonis „Sophistae“ temporibus — ideam fuisse ad quam omnis cogitatio humana referretur et ideo omnino consentaneum providentiae omnem humanae mentis progressum gubernanti ac respicienti fuisse significari Salvatorem voce Verbi Dei in eo evangelio. quo consilii divini de salvando genere humano magnitudo et altitudo enuntianda erat. Prologi Ioannei cum Geneseos initio similitudine explicandum erat quod haec vox Verbi in historicam evangelii narrationem recepta non est et quod Verbum incarnatum tanta industria praecursori ipsius oppositum est ut vera lux, quae illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum qui per ipsum factus est. i. e. non solum in ordinem naturalem rerum visibilium sed in ordinem moralem societatis humanae.

Aug. Štancl: Snahy o volnou morálku. De studiis doctrinam moralem „liberam“ reddendi; str. 14—19; 120—124; 192—198; 279—284; 417 ad 422; 480—489; 561—566; 629—635.

Scriptor magna cum diligentia ostendit nullam afferri posse rationem, qua vita moralis, quam vocant liberam, commendetur, quod refutando maxime principia prof. Fr. V. Krejčí et Herb. Spenceridemonstrat.

Rob. Neuschl: Darwinistický evolucionismus ve vědách společnosti. Darvini de progressu doctrina quid valeat in disciplinis quae ad societatem pertinent; str. 52—57; 129—135; 181—188; 284—290; 332—339; 396—402; 453—460; 572—577; 625—629. (Priora cf. ČKD. 1908).

Scriptor explanat praecipuos philosophos recentiores qui Darvini opinione progressum in societate humana explicant, et in fine totam rationem examini subicit.

Jos. Novotný: O četbě zapověděných knih dle nyní platných zákonů církevních. Quid leges ecclesiasticae, quae de libris prohibitis nunc valent, statuunt de iis legendis. 26—35; 98—104; 291—300; 354—365; 422—428; 498—513; 577—597; 650—675.

Časopis katolického duhovenstva. 1910.

Rich. Špaček: Nalezla moderní theologie protestantská historického Ježíše? Inveneritne recens theologia protestantica Iesum historicum? 30—35; 115—119.

Scriptor quaerit, num recens theologia protestantium Iesum historicum pro dogmatico invenerit, ad quod negative respondendum. Iesum Nazarenum ut Messiam regnum Dei in terra praedicantem pro eoque morientem, qualem rationalismus effinxit, existitisse idem rationalismus ut neget eo nunc sua fretus ratione pervenit.

Ant. Helebrant: Mandragora biblická (De mandragora biblica) 172—179.

Vocem מַנְדְּרִיָּקָה (Gen. 30, 14; Cant. 7, 13.), quam Septuaginta reddidit voce *μανδραγόρα*, H. significare putat aurantia.

Ant. Helebrant: Včela v bibli a církvi. De ape mellifica in scriptura et in ecclesia 370—380.

Considerat locos s. Scripturae (Ez. 27, 17; Iud. 14, 8; Mt. 3, 4.) ubi de melie vel de apibus mentio fit.

Innoc. Kautlich: Lze-li biblický šabbat stotožňovati s babylonským šabbattu? Possitne šabbat biblicum revocari ad šabbatu babylonicum. 35—41; 92—99.

Licere šabbat bibliae repetere a šabbatu Babylonensium, scriptor contra Delitzsch negat.

Vinc. Zapletal: O některých úkolech katolické exegeze Starého zákona. De quibusdam exegeos catholicae V. T. pensis; 632—646.

Scriptor disserit, quae praestanda sint explicanti Vetus Testamentum, quomodo in verba ipsa inquirendum, quomodo fontes et additamenta eruenda, quomodo veritas historica defendenda. Desiderandum maxime esse plenum et perfectum commentarium latinum in Vetus Testamentum.

Fr. Kryštůfek: Papežští legáti. De Sedis Apostolicae legatis; str. 11—17; 120—126; 180—186; 222—227.

Scriptor demonstrat papam habere ius mittendi legatos, disserit de apocrisiariis, vicariis, legatis natis (de rege Hungarico, archiepiscopo Pragensi, rege Siciliae) exponit iura legatorum tempore mediae aetatis, agit de nuntiis apostolicis; denique quae sint iura legatorum huius aetatis exponit.

Václ. Pavlík: Český král Jiří a compactata. De Georgio Bohemiae rege compactatorum defensore; 41—53; 81—92; 162—171; 242—253 286—295; 388—398; 486—505; 548—557; 593—610.

Scriptor adhibitis — non tamen satis frequenter — fontibus bibliothecae Vaticanae, codicibus manuscriptis bibliothecarum Pragensium, aliisque monumentis historiae Bohemiae scribit de articulis Pragensibus, de seditione contra Sigismundum de concilio Basileensi, de factionibus Příbramii et Rokycanae, de Rokycana archiepiscopo creato, exsule, de rege Alberto 1437—1439, de interregno, de Taboritis a. 1444 cum utraquistis conciliatis, de conatibus archiepiscopatum Rokycanae ab Eugenio IV impetrandi, de Nicolai V legato, de Rokycana a Georgio Poděbrad vi adiuto, de unione cum Graecis tentata (p. 252), de Nicolao Cusano et Ioanne Capistrano, de legatis Ladislai regis pro Rokycana Romam missis, de Georgii regis (1458—1471) iuramento, studiis et inde orta spe catholicorum, de eius studiis mutatis, de compactatis a Pio II sublatis, de Friderici imperatoris interventu, de Georgio a Paulo II in iudicium vocato, de eius conatu iam non compactata sed tolerantiam obtinendi, de Ludovici ducis interventu, de Georgio condemnato et excommunicato, de detrectata a catholicis nonnullis in rebus civilibus oboedientia, de conatibus Casimiri aliorumque rem componendi, de Matthiae studiis et consilio in fine mutato, de Rudolfo legato Romam male informatam fuisse confesso, de Georgii optima voluntate. In fine scriptor dicit firmam fidem Bohemorum-utraquistarum maioris debuisse fieri, si ecclesia tumultus religionum saec. XVI in Germania ortos experta esset. Rara auctorum et fontium commemoratio testimonio est haec omnia non satis diligenter esse tractata, praesertim cum etiam eo modo documenta indicentur, quo p. 487 „Denzinger Enchiridion“.

Sal. Roubíček: O účasti řádu praemonstrátského v díle Bollandistů „Acta Sanctorum“. De ordinis Praemonstratensium in opere Bollandistarum „Actorum Sanctorum“ partibus.

Ostenditur quid Praemonstratenses de opere Bollandistarum „Acta Sanctorum“ meruerint, praecipue versus finem saec. XVII., quo vol. VI. mensis octobris ediderunt.

Jos. Samsour: Benediktini a počátky západní kultury. De initiis cultus occidentalis cum ordine s. Benedicti conexis; 281—286; 406—411; 432—442.

Scriptor adumbrata natura et indole regulae Benedictinorum ostendit, cur Benedictini tantum momentum ad Occidentis cultum habuerint.

Jos. Vajs: Úcta sv. patronů českých v liturgických knihách charvatsko-hlaholských. De sanctorum Bohemiae patronorum cultu in liturgicis libris croato-glagoliticis; 417—424.

Scriptor affert legendam s. Venceslai in recentem sermonem Bohemicum translatae e lingua palaeoslavica, qua conscripta in glagoliticis codicibus reg. caes. bibliothecae Labaci asservatur, ut clero accessus patefiat ad verba legendae ipsius et ut contra varia temere prolata constet de labore sacerdotum Slavorum navato.

Vavř. Wintera: Novokřtěnci na Broumovsku. De anabaptistis in regione Braunaviensi. 53—59; 126—132.

Scriptor exposita origine et religione anabaptistarum generatim loquitur de anabaptistarum sede haud minima in Šonov apud Broumov et in Broumov ipso 1859 condita et adhuc existente.

Josef Novotný: Má člověk svobodnou vůli? De hominis libero arbitrio. 153—162; 232—242; 329—340; 380—388; 467—486; 574—580; 1911, 108—114; 200—213; 332—340; 433—445; 527—536; 587—610; 682—695.

Scriptor agit de re nostris potissimum temporibus maximi facienda de voluntatis libertate. Agit de notione libertatis quam indeterministae statuunt, explanat doctrinam christianam de hac re, affert argumenta, quibus indeterminismus fulciatur, et refutandis quae a recentioribus philosophis obiciuntur, dat operam. Etsi studium scriptoris maxime laudandum est, tamen nonnulla desiderantur quae in re tanti momenti non videntur esse silentio praetereunda.

Ac primum quidem ea consideranda sunt, quae ex theologia afferuntur. Quomodo libertas Dei explicanda sit, non quaeritur (cf. Sl. l. th. III 359, ad 6), sed inter alia *N.* affert, si homines libertate non fruerentur, omnia scelera Deo tribuenda esse; at nonne hac ratione, si modo ad aliquid probandum affertur, principium petitur? Non enim aliter tribuenda Deo essent ac diri naturae eventus, quippe cum malitia libera carerent. Peccata a deterministis concedi non possunt nisi materialia; sed honesti vel inhonesti rationem obiectivam (cum discrimine inter errorem et veritatem, quod Deus permittit, permittendam) ab iis negari necesse non est. Melius argumentum inde peti potest, quod deterministae aliam poenam concedere non possunt nisi medicinalem. Aeterna igitur damnatorum miseria non potest ab iis haberi poena vindicativa nisi eatenus, quatenus sicut damnum errorem ita miseria sequatur peccata materialia. Atqui quomodo Deus talem condicionem ho-

minis intendere potuit, unde eum necessario miserum esse futurum praevideret? Sane non potest cum Mumssen (*Der freie Wille*. Neumünster 1909) responderi, Deum ideo hunc hominem in tali condicione infelici posuisse, quod eius impietatem praevidisset; hoc enim modo indeterminismus introducit saltem ut obiectum scientiae mediae. Verum, si thomistae seu bañeziani sine offensione dicere possunt ad pulchritudinem mundi efficiendam necessarium esse nonnullos damnari, cur hoc modo deterministae sententiam suam defendere non possint? Praesertim si tenetur re ipsa bestias dolorem sentire, cur Deus hominem sine eius culpa aeternis aerumnis afficere non possit? — Aliud a theologis peti potest argumentum: Deum omnibus hominibus adultis gratiam sufficientem ad salutem dare. Deterministae certe aliam omnium communem admittere non possunt, nisi quae sufficiat in abstracto tantum vel condionate: si ab homine apprehendatur (lumen fidei, si homo eo illustretur), non tamen in concreto, singulis hominibus, quorum in sua quisque condicione sit constitutus. — Ceterum ex patribus aut conciliis argumenta non facile sumuntur. Generatim ea potissimum libertas praedicatur, qua rationi obsequi liceat, etsi impedimenta (ut concupiscentia) obstent. Liberrimus igitur assensus significare potest eum, qui in aliis quoque voluntatis actibus insit: pendentem ex intellegentia, non ex aliis rebus. Necessitatem concupiscentiam sequendi certe etiam deterministae negare possunt: item eam determinationem ad unum, qua erroris facultas sublata sit. Praeterea eius distinctionis, qua thomistae utuntur, copia deterministis neganda non est: in sensu diviso, in sensu composito: potentia dissentiendi manet, non autem potest esse actus dissentiendi (Trid. Sess. 6, cn. 4). Etsi abest necessitas illa, quam haeretici fingebant semper malum agendi, non patet quamvis abesse necessitatem, etiam eam, quae manet ex indole et condicione hominis, qua modo honestum modo inhonestum patretur.

Deinde in probanda libertate haec potissimum desiderantur: 1) clarius ea exponenda videntur fuisse, in quibus summa quaestionis vertitur; additis enim aliis rebus caput obscuratur. 2) non quam plurima argumenta afferenda erant, sed ea vel id, quod nihil dubii relinqueret. Quodsi plura afferebantur, ratio, quae e Dei creantis voluntate sumitur (Deus potuit libertatem creaturae spirituali concedere, ergo concessit) non ita parvipendenda erat, ut ne commemoraretur quidem. 3) fatendum erat clare voluntatis libertatem esse mysterium naturale. Metaphysico illo argumento nobis certe nihil effici videtur. Cur enim Deus creare non possit: 1) ens, cuius mens perfecta sit et ab omni errore libera et quod semper agat illud, quod menti melius esse videatur; 2) ens, cuius mens imperfecta sit et errori obnoxia et quod semper agat illud, quod menti melius esse videatur et consiliis, poenis medicinalibus eo adducatur, ut fere illud ipsi melius videatur esse, quod re ipsa melius sit. Praeterea analysi conscientiae non videtur ulli deterministae persuaderi posse eum liberum esse. Semper enim illud facere sibi videbitur, quod sibi melius esse existimet; neque negandum est nonnumquam evenire, ut rationes quae a mente clare (reflexe) cognoscantur superentur rationibus obscurius propositis (quasi quadam divinatione), idque cum hominis emolumento. Quodsi urgeatur saltem in rebus eligendis quas aequae bonas esse constet, libertatem manifestam esse, ne-

gabunt fere aliter de eiusmodi rebus hominem decernere quam bestias; ubi vero in iis eligendis libertatem suam ostendere velint, quod raro eveniat, iam ea ratione eos determinatum iri, qua libertatem suam melius ostendere se posse putent. Quod peccati aliquem paeniteat eodem modo explicandum esse atque dolorem de re inepte gesta, de re amissa, de virium naturae iniquitate. Quod homines utantur poenis vindicativis in eo eos errare posse aequae atque in cleptomania et similibus rebus diiudicandis antiquitus errare soliti sint. Quodsi quis (cum Th. Desdouits, *La responsabilité morale*. Paris 1896) nitatur illusionem libertatis oriri non posse, cum illusiones omnino alio modo oriri soleant, aliquid proprii in hac re concedi certe posse et quemadmodum errent homines cum dicentes fieri posse ut cras pluat plus significare velint quam se pro sua causarum cognitione iudicare non posse, quid cras necessario eventurum sit, ita eos errare cum dicant se potuisse aliud eligere, si plus velint significare quam antecederet ad iudicium quo illud quod fecerint melius esse iudicaverint se determinatos non fuisse.

Tum quaedam obiectiones maioris momenti omissae sunt; velut: quomodo fieri possit, ut illa quam urgere solemus amoris coniugum perfectio, quae perpetuitatem contineat, inter homines vigeat, si homines odio digni sint propter peccata indeterministicè concepta; homines utique propter honestatem deterministicè conceptam diligi posse sicut res propter pulchritudinem; inhonestos autem commiseratione, non odio esse dignos. Vel illud quod e sententia Christi Domini de Tyro et Sidone (Mt. 11, 21.) elicitur: non in singulorum hominum arbitrio, sed in gentis proprietate discrimen poni. Vel illud quod e vaticiniis ducitur, quae Dei interventu facta esse veri simile non sit.

Denique etsi nonnulli scriptores adhibiti sunt neque omnes, qui consulendi erant commemorantur, neque omnes, qui consulti sunt, auctoritatem habent.

Mart. Mikulka: Sv. Cyrilla Jerusalemského život a učení o Slovu vtěleném. De S. Cyrilli Hierosolymitani vita et doctrina de Verbo incarnato; 1—11; 105—114; 186—197; 259—270; 304—314; 359—370; 442—466; 562—574; (a 1911 reliqua tractantur).

Exponitur de statu rerum, qui episcopatum s. Cyrilli antecessit, deinde de vita et scriptis eius. In parte dogmatica scriptor explanat, quid s. Cyrillus de Messia, s. Scriptura, traditione, ecclesia, infallibilitate conciliorum, primatu, Verbo ut secunda persona divina docuerit. *A. Novotný.*

Polonica.

Ks. Dr. Władysław Hozakowski: Klemens z Aleksandryi o siedm-dziesięciu tygodniach Daniela proroka. Pag. 144. Poznań 1912. Clemens Alexandrinus de septuaginta hebdomadibus Danielis prophetae quid senserit.

Liber hic qui de singulari quaestione, quae in Clementis Alexandrini (Strom. I. IV.) interpretatione celeberrimae illius Danielis de septuaginta hebdomadibus prophetiae versatur, conscriptus est non solum augmentum patristicae litteraturae est, sed etiam et ad historiam biblicae exegesis et ad exegesim ipsam ditandam co-

piosam materiam continet. Clementis Alexandrini interpretatio ideo potissimum magni momenti est et attentione digna, quod primum et antiquissimum est conamen in antiqua christiana litteratura nobis occurrens prophetiam Danielis sensu Christiano de adventu messiae explicandi. Insuper interpretatio Clementis argumento suo et interiore vi critica multum superat alias interpretationes aetatis patristicae, quibus vel dumtaxat typologice pericopa illa Danielis explicatur, vel ad tempora Macchabaeorum refertur vel, uti saepissime fit, prophetia eschatologica de secundo Christi adventu intellegitur, cum Clemens Alexandrinus ea primum Christi adventum eiusque opus redemptorium significari cognoverit.

Cum tamen Clemens Alexandrinus non proprie et separatim aut uberius de Danielis prophetia agat, sed solum data occasione mentionem ea de re operi suo inserat, cumque vis verborum eius multis rationibus dubia sit et intellectu difficilis oportet primum Clementis sententiam ex diversis locis Stromatum, ubi de septuaginta illis hebdomadibus agit, eruere et clare definire. Iam Hieronymus, utique immerito, in hac quaestione Clementi errores exprobrabat, quod ipsa hac obscuritate verborum Clementis explicatur. Quapropter iure merito maiore parte libri scriptor id agit, ut critice certam et indubiam statuatur interpretationem eorum, quae Clemens Alexandrinus dixerit.

Clemens in explicando Daniele propria quaedam habet et differt ab interpretationibus aliis, quae sive antiquo sive nostro tempore sensum prophetiae Danielis assequi conantur. Septuaginta hebdomades Danielis ad captivitatem babylonicam refert, hebdomade igitur sumit significari annum, porro hebdomades illas LXX numerat ab XI anno Sedeciae usque ad alterum annum Darii Hystaspis. Ab his LXX hebdomadibus distinguit sequentes VII + LXII + I hebdomades tamquam aliam novam aetatem, de qua propheta loquatur. Septem primas hebdomades in hoc novo cyclo iterum intellegit septem annos, per quos post reditum ex exilio babylonico templum Hierosolymitanum exstructum esse sumit. Christum ducem, qui post septem hebdomades venturus fuerit, Clemens Iesum, filium Iosedec esse existimat, qui utique ut summus pontifex imago sit futuri Messiae. Sequentes LXII hebdomades scriptor docet a Clemente omnino separari ab annis septem, qui praecesserunt; quas hebdomades rursus annorum — non hebdomadum septenniorum — LXII ad tempus referri quod publicam Christi vitam praecedebat, ita ut a. XXVIII. nostrae aerae vulgatae sit terminus ad quem eius aetatis. Ultimam hebdomadem in duas partes divisam a Clemente referri ad tempora eversionem Hierosolymorum antecedentia. Priorem partem hebdomadis pertinere usque ad mortem Neronis, alteram tempora imperatorum Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani usque ad urbis sanctae excidium comprehendere.

Non est hic locus accuratius et propius de Clementis interpretatione agere, hoc tamen dici oportet scriptorem magno ingenii

acumine et iudicii subtilitate et assiduitate laboris in rem inquisivisse eamque ita exposuisse, ut adducamur, eum veram obscurorum verborum scriptoris Alexandrini sententiam invenisse. Critica ars scriptoris pleno splendore imprimis in capite IV. fulget, cum de fontibus Clementis Alexandrini exponit et unde ad suam interpretationem pervenerit quaerit. Capita XI. et XII. Apocalypseos, quae Clemens ad tempora Neronis et Vespasiani referebat et quae illi omnino simillima ultimae hebdomadi Danielis esse videbantur ad hoc explicandum pertinent.

Scriptor recentiores litteras, quae ad materiam tractatam spectant, diligenter adhibuit, praeclara arte quaestiones contortas aptasque ad animos legentium defatigandos modo claro et distincto proponendi usus est ita, ut librum eius tamquam pulchrum specimen quaestionis singularis biblico-patristicae tractatae enixe commendare possimus.

Dr. T. Hudec.

Russica.

K. I. Rovinskij. Мариавиты въ царствѣ польскомъ (Mariavity v carstvĕ pol'skom) De secta mariavitarum in regno polonico. Spb. 1910. (139 p., 8^o). 1 r.

Scriptor favet sectae mariavitarum conaturque hanc sectam omnibus viribus defendere putatque eam patriae consulere (p. 5), eam solam idoneam esse ad socialem quaestionem nostrorum temporum solvendam (p. 73 sq.), ea orthodoxam Ecclesiam russicam reviviscere posse (p. 93 sq.), ea philosophis neo-christianis in Russia veram viam ostendi (p. 98), ea veram societatem et amorem omnium Slavorum inter se comparari (p. 113 sq.).

In prima parte (pag. 11—38) ostendit nobis *R.* evolutionem sectae mariavitarum. Profecta est a Maria Felicia Kozłowska (n. a. 1867). Cum studia gymnasii absolvisset, a. 1886 quasi quoddam monasterium monialium in urbe Plock condidit secundum s. Francisci Assis. secundam regulam. Contemplans ecclesiae catholicae miserabilem statum in Russia, cognovit necessariam esse morum emendationem; ad quod adhibenda esse sibi persuasit quattuor remedia: 1) Imitationem apostolorum et vitam christianorum primorum temporum aetatis christianae, 2) adorationem Ssmae Eucharistiae, 3) venerationem imaginis Deiparae „de perpetuo succursu“, 4) castitatem vitae. Clericis perfectissime esse caelibatum servandum neque pecunias eos appetere debere. De aliis patefactionibus tacet scriptor.

Haec quasi divinitus cognita Kozłowska proponebat confessoriis aliisque sacerdotibus qui postea his rebus impulsivi a. 1907 confraternitatem sacerdotum mariavitarum constituerunt, cui sacerdotes Kowalski et Pruchniewski praeesent. Hi sacerdotes ea populo in contionibus exponebant et in usum convertere studebant.

A. 1903 Kozłowska illa episcopo Szembek in Plock proposuit, qui earum rerum Romam certiore fecit. Kozłowska cum septemdecim sacerdotibus etiam Romam venerunt (a. 1903), petentes ut societas sua agnosceretur et tamquam ordo constitueretur. Quamquam a SS. Pio X. cum benevolentia excepti sunt, non obtinuerunt statim quae petebant.

Interea episcopi varsaviensis et plocensis mariavitismo resistebant, quia sacerdotes mariavitae quaedam in ecclesiis et in ritibus mutabant. Profecti sunt mariavitae iterum Romam a. 1904, sed frustra. Congregatio Inquisitionis ea, quae Kozłowska divinitus se comperisse dicebat, pro somniis animi halucinantis habuit vetuitque sacerdotes in ea societate nomina sua profiteri. Mariavitae subiecerunt se potestati ecclesiae sed iterum iterumque suam causam Romae promovebant (missis legatis agrorum, accusatis 1200 sacerdotibus polonis de inhonesta vita et fidei experte etc.) sed omnia in cassum redierunt.

Anno 1906 27. ianuarii sacerdotes mariavitae a catholica ecclesia defecerunt fidelesque qui illorum curae commissi erant pastores suos secuti sunt. Interea catholici resistebant, praesertim cum viderent mariavitas Ecclesias catholicorum occupasse. — Nunc numerus mariavitarum est circiter 200.000, secundum publicos numeratores regni 73.000.

In altera parte (39-117) *R.* de doctrina mariavitarum propria disserit. Doctrina haec ad quattuor illa a Kozłowska proposita revocatur. Missale et breviarium habent idem quod romani catholici addito officio eucharistico, omnia in linguam polonicam conversa. Praeter festa catholicorum 2. augusti festum Deiparae de perpetuo succursu et 4. octobris festum S. Francisci Assis. celebrant. A catholicis maxime differunt dogmate de infallibilitate Romani Pontificis reiecto.

Sectae praest minister generalis, cui subiciuntur ministri provinciales, custodes etc. Minister generalis et provincialis potest esse simplex sacerdos. Episcopi non habent officium regendi ecclesiam, solum sunt ad hoc instituti ut hierarchiam conservent. Omnes sacerdotes quattuor votis obligantur: 1) oboedientiae (erga ministros), 2) paupertatis (nullos redditus neque a populo iis commisso neque a republica accipere, unde victum habeant, solum liberis stipendiis uti iis licet, habitant in uno cubiculo prope ecclesiam), 3) castitatis (non solum caelibatum servare debent sed etiam carne et vinolentis abstinere, neque famulis uti nisi maribus), 4) votum augendi cultus SS. Eucharistiae.

Qui sacerdotes fieri volunt, debent quattuor classibus gymnasii superatis per quattuor annos apud sacerdotes mariavitas educari et postea in seminario (vel novitiatu) per annum manere et ibi sacros ordines suscipere.

Generalis et provinciales ministri, custodes etc. suffragiis cleri creantur. Ex iis post annos tres capitulum generale convocatur. Mariavitae in communione sunt cum omnibus christianis qui

Eucharistiam colunt (p. 62) etiam si aliis dogmatis differunt, velut Filioque recepto, exceptis romano-catholicis (cf. p. 131—139). Nunc 63 paroeciae constitutae sunt. Fideles paroeciae (etiam feminae) habent ius eligendi parochi, administrandi ecclesiastica beneficia etc. Praeter religiones ab his coetibus etiam rebus providetur, quae ad erudiendos sublevandosque homines (aegrotos, infantes) pertinent.

Mariavitae sunt coniuncti cum vetero-catholicis. A. 1909 mense Augusto Vindobonae conventui vetero-catholicorum interfuerunt et 5. Octobr. 1909 generalis minister I. Kowalski Ultraiecti in episcopum consecratus est. Ut publicus sectae nuntius editur „Maryawita“.

Libro addita sunt statuta paroeciae mariaviticae (p. 120-127) et quaedam appendix, qua quid teneatur de catholicis aliisque exponitur (p. 130—139). Ubi inter alia Papam antichristum esse, episcopos et sacerdotes catholicos non credere Christum in SS. Eucharistiae sacramento praesentem esse, neque alteram vitam esse post mortem intenditur.

Liber scriptus est ab homine qui rei mariaviticae favet, propterea in multis sanum iudicium deficit. Nihilominus complura de hac secta et de misero statu cleri et populi polonici in Russia inde discere possumus.

Originem et incrementa huius sectae nobis quidem repetenda videntur esse certe non minus ab inhonesta vita et ruditate non exiguae partis cleri polonici in Russia et nimio quorundam episcoporum vetustatis retinendae studio, quo omnis novitas respuitur et prohibetur, quam ab auctoritate humana et quasi divina monialis Kozlowscae atque superbia sacerdotum mariavitarum potestatisque ecclesiasticae neglectu.

Quod R. Kozlowskam dicit instituisse monasterium monialium et confraternitates sacerdotum non videtur esse verum. Monasterium institutum est a P. Honorato O. Cap. et confraternitas a quibusdam piis sacerdotibus; Kozlowska autem iam institutas societates corrumpit et ad haeresim contra voluntatem eorum qui eas instituerant perduxit.

I. Cehelskyj.

A. Ja. Roždestvenskij: **Краткое руководство къ обличенію социализма. Breve enchiridion ad socialismum convincendum.** Vladimir gub. 1910 (80 pag.) 0.75 r.

Scriptor libri socialismi cuiusvis, etiam eius, qui doctrina christiana fulcitur, inimicus acer videtur esse. In primis libri paginis socialismum quem christianum vocant, verbis Christi eiusque modo agendi prorsus contrarium esse demonstrare conatur. Maior autem pars libri rationi quae a Marxio inventa est, confutandae impenditur. Socialismi doctrinam propositam iudicio subicit, in qua ad rem melius investigandam primum rationem eius explanat, relationem eius ad religionem, imprimis ad christianam explicat, ethicam eius enucleat, quam omnis honestatis expertem esse iu-

dicat. Ex quo concludit opinionem illam numquam in usum converti posse; quod si tamen fieret omnis progressus hominum in cultu et humanitate finem futurum esse praedicit. Quae cum ita sunt, pastoribus ecclesiae orthodoxae diligenter vigilandum et cum socialismo pugnandum esse scriptor monet, ad cuius pugnae felicem exitum obtinendum modos quosdam eis proponit atque commendat.

M. Daněš.

I. Galašov, Печальная страница въ исторіи русскаго религіознаго самосознанія. (Pečal'naja stranica v istorii russkago religioznago samosoznanija) De tristi pagina in historia russicae conscientiae religiosae. Tomsk 1910 (p. 44, 8^o) 30 k.

Anno 1909 liber „Вѣхн“ (Věhi) editus est, ubi a clarissimis scriptoribus disputabatur de commercio inter homines cultos seu doctos et Ecclesiam in Russia. Qui (Berdjaev, Bulgakov, Geršenson, Kistjakovskij, Izgoev, Struve, Franc) consentiunt clerum et homines doctos inter se iuvare aut pace frui non posse quamdiu hi athei remaneant. Librum „Вѣхн“ magna certamina consecuta sunt. *G.* defendit scriptores Věhorum et negat posse clerum socium fieri hominum doctorum, si ex his complures quod Tolstoj excommunicatus esset, ipsi a S. Synodo petierunt ut se excommunicaret (p. 5).

A russiaci tamen populi natura atheismus alienus est. Eius originem in occidentali Europa quaerendam esse (p. 11 sq.). Russi docti notiones peccati (p. 16) et officii erga Deum tollere solent (p. 17.). Hic nihilismus in moribus consequitur nihilismi rationem (p. 18.). — Populus autem russiacus quaerit religionem. Inter populum igitur et homines doctos maxima diversitas est sententiarum et deest consensus.

Scriptores Věhorum nullam mentionem faciunt de quibusdam scriptoribus qui christianismum profitentur sed eum evertunt. Nonnulli enim velut Rozanov, Minskij, Filosofov aliique christianum praeceptum abnegationis sui reiciunt et spiritualia et materialia in homine conantur componere, sanctificanda et in pari loco cum spirituali parte ponenda etiam parte materiali, carne et quae ad eam pertinent (p. 36). Rozanov deificat mundum et carnem ita, ut totius christianismi naturam tollat.

G. ostendit Ecclesiam sua metaphysica fundamenta mutare non posse. Qui volunt cum ecclesia esse debent sequi viam quam scriptores Věhorum ostenderunt, alia non invenitur.

I. Čehelskij.

P. B. Giduljanov. Изъ исторіи развитія церковно-правительственной власти: восточные патріархи въ періодъ четырёхъ первыхъ вселенскихъ соборовъ. (Iz istorii razvitiija cerkovno-pravitel'svennoj vlasti: vostočnye patriarhi v period četyreh pervyh vselenskih soborov.) Ex historia evolu-

tionis potestatis ecclesiastico-civilis: Patriarchae orientales aeta te quattuor primorum conciliorum oecumenicorum). Jaroslaviae, 1908. In 8, IV + 778 p.

Hocce ingens opus continuatio quaedam haberi potest alterius eiusdem scriptoris operis, cui titulus: *Митрополиты въ первые три вѣка христіанства* (Metropolitae tribus primis saeculis religionis christianae). Mosquae, 1905, p. VIII + 378. (cf. Sl. l. th. III 7—14) Scriptor sibi proponit ostendere temporis intervallo, quod ab anno 325 usque ad annum 451 decurrit, potestatem ecclesiasticam gradatim sua iura ac privilegia sibi adauxisse: ac metropolitas quosdam, vi evolutionis, titulos patriarcharum usurpasse.

Totum opus introductione constat et quattuor partibus sectionibus. In introductione (p. 1—193) agit scriptor de Constantino Magno et christianismo. Imprimis de converso ad religionem christianam ipso imperatore disserit, eumque ab accusationibus in eum illatis nititur tueri. Varias exponit sententias eruditorum de Vita e Constantini ab Eusebio exaratae vera origine et veracitate, ac firmiter asseverat patrem historiae ecclesiasticae nulla in suum opus falsa invexisse documenta, licet saepe ea ad verbum non referat, sed compendiose. Declarat Constantinum ex persuasione fidem christianam amplexatum esse, eiusque religionem postremis vitae temporibus colorem quendam mysticum induisse. Dum vitam agebat, in sua ratione agendi christianos sensus palam fecit; quodsi crimina quaedam ei obiciuntur, dicendum est eum iura honestatis suorum amori praetulisse. Constantini imperium administrandi ratio christianis regitur atque informatur principiis. In regimine suo hoc sibi proponit ut primas det Ecclesiae christianae, atque idolorum cultum funditus convellat. Falso igitur dicunt quidam scriptores eum idololatriam supparem statuisse religioni christianae. Refert scriptor leges plurimas ab eo latas, quibus iura idololatriae coercentur, et Ecclesia iuribus ac praerogativis communitur, sive in societate civili, sive in familia. Insuper in propaganda religione christiana sedulo suam impendit operam pius imperator. Sine ulla dubitatione affirmari potest eum totum in id incubuisse ut regnum terrestre in caeleste commutaret.

Ecclesia scriptores quidam Constantinum usum esse tenent, ut consiliorum ad rem publicam pertinentium instrumento. Ad explodendam hanc sententiam scriptor tuetur ius romanum discrimen statuisse inter imperium, et viros imperiali exornatos potestate. Eodem sane modo Ecclesia non idem est, quod viri potestatem ecclesiasticam exercentes, dico hierarchiam ecclesiasticam. Immo, dicere fas est rerum Ecclesiae cardinem extra hierarchiam reperiri, p. 5. Scriptor existimat, sententias theologorum catholicorum et protestantium qui auctoritatem civilem distinguunt ab ecclesiastica, et laicos in catholica Ecclesia omnis iuris expertes esse statuunt, serius ortas esse ut progressum doctrinae secutas. Etsi enim potestas ordinis in Ecclesia prima pertinet ad episcopos, tamen po-

testas magisterii et regiminis ab hierarchia una cum populo exercetur. Satis esto meminisse in urbe alexandrina primis fidei christianae saeculis laicos operi catechizandi vacavisse. Itidem potestas iurisdictionis vel a toto populo exercebatur. Exemplis ex historia collectis concludit *G.* catholicos scriptores a veritate aberrare cum statuam plenitudinem potestatis ad solos pertinere episcopos, p. 63. Concilia illius primae aetatis ex episcopis et populo constabant: ad priores decreta pertinebant, populus autem suum consensum dabat. Nec silentio praetereundum concilia oecumenica carere determinato praeside. Praeses honoris tantum habetur; qui nequit sua auctoritate concilia convocare, aut dimittere, aut eorum decreta approbare. Haec iura imperatori tantum vindicantur. Imperator sibi multa usurpat in regenda Ecclesia. Quaeenam haec sint, scriptor ostendit ex parte quam Constantinus in prima synodo nicaena habuit, cuius historiam arianorumque haeresim nimis fuse scriptor pertractat. Quae tractatio nihil novi continet, illudque tantum sibi proponit ut ostendat cunctis episcopis Constantinum potioem in concilio auctoritatem explicasse. In eo, inquit *G.*, Ecclesia sibi constituit centrum unitatis. Imperator fit vere caput visibile Ecclesiae eique in imperio suprema potestas ecclesiastica et civilis vindicatur, p. 186. Mediatore inter eum atque episcopos non dantur. Ipse cum ipsis episcopis de rebus ecclesiasticis agit. Fatendum tamen est, sub dominatu Constantini, ea constituta esse elementa, quibus niteretur auctoritas civilis et politica in Oriente. Duo haec fuisse elementa tenet scriptor: incrementum potestatis episcopi romani, et victoriam arianismi, quae multas invexerit in Ecclesiam controversias et discrepantias dogmaticas.

Prooemio absoluto initium statuit scriptor primo capiti sui operis, quod hoc titulo generali instruitur: Constantius imperator, et supremi pastores Ecclesiae, p. 194–296. Statuto Constantinum imperatorem vere caput Ecclesiae fuisse scriptor decernit post eius mortem ac divisionem imperii supremam potestatem civilem atque ecclesiasticam quae ei vindicabatur, bifariam esse distributam inter duos imperatores. Apud orientales imperator magis intervenit rebus Ecclesiae: apud occidentales contra negotia ecclesiastica ipse negligit; quo factum est ut potestas Romani Pontificis pedetentim adaugeretur. Ante concilium nicaenum, episcopus romanus, ut episcopus civitatis imperialis et capitis orbis, ut pastor solius communitatis christianae conditae ab apostolis, et successor sanctorum martyrum Petri et Pauli, excellentiam habebat honoris. Verum saeculo IV, magna facta est immutatio. Crevit potestas episcopi romani, qui primo creatus est patriarcha totius Italiae, postea totius Ecclesiae occidentalis: haec potestas ad decreta disciplinae et doctrinae pertinebat, ac spiritualem tantum prae se ferebat naturam: episcopi orientales ei refragari poterant, ut in controversiis arianorum evenit. Concilium sardicense primum sanxit potestatem romani antistitis in universam Ecclesiam. Quam tamen potestatem potius directi-

vam *G.* ait fuisse quam auctoritativam. Concilia iudicium ferebant, Papa nihil faciebat aliud nisi ad ipsum suos legatos mittebat. Quae cum ita fuerint sedes romana facta non est tribunal supremum appellationis; sed potestatem directivam ad appellationem obtinuit, id est sine auctoritate consensuve romani Pontificis non poterat fieri appellatio ad alteram synodum.

Concilium sardicense comprobatum non est ab Ecclesia; ipsius igitur decreta vim legis non habuere. Eius tamen momentum maximum est in origine ac progressu pontificiae potestatis. Eodem tempore meminisse iuvat arianismi victoriam, sedis romanae victoriam habitam esse. Etenim, cum magis serperet grassareturque haec haeresis, firmum sibi fulcrum in sede romana conciliavit, p. 209. Inde factum est ut ad occasum vergente saeculo IV plurimi ex Gallia et Hispania episcopi romanam sedem adirent vel rogarent ut veteris fidei doctrina sibi nuntiaretur, vel consilia in rebus asperis darentur, vel responsa in difficultioribus controversiis suppeditarentur. Eadem certe aetate romanus antistes sibi coepit iura leges ferendi ad totam Ecclesiam pertinentes vindicare. Bella barbarorum sedis romanae momentum adauxere. Velut episcopi africani qui initio saeculi V restiterant romanae iurisdictioni, propter Vandalorum vastationes ei se subiecerunt.

Contrarium accidit in Oriente. Permulti erant metropolitae, nullis inter se dependentiae vinculis colligati: nil mirum igitur si potestas suprema uni alicui apud eos tradita non est. Qui Constantino successerunt paternis ingressi vestigiis, suis in manibus summam potestatis et ecclesiasticae et civilis tenuerunt. Hanc rem scriptor proluxa expositione eorum demonstrat quae Constantio imperante Ecclesia ad confodiendum arianismum egit. Permultis verbis, et varia eruditione de conciliis a Constantio convocatis, imprimis de sardicensi et seleuciensi disserit, atque Constantium sibi proposuisse affirmat idololatrarum ad fidem christianam conversionem, atque religionis sui imperii unitatem. Non secus atque aetate Constantini suprema auctoritas ecclesiastica ad imperatorem pertinet. Ad regendam Ecclesiam Constantius consiliariis utebatur, quos inter eminere Eusebius nicomediensis, Basilius ancyranus Acacius caesariensis etc. Acacius extremis vitae annis Constantii rector supremus videbatur Ecclesiae; suo arbitrio episcopos creabat vel missos faciebat, etiam summos, ut romanum, alexandrinum, etc.

Capite sexto huius partis fuse disseritur de auctoritate episcopi constantinopolitani aetate Constantini magni et Constantii. Ab ovo heic incipit auctor, nimirum ab urbe byzantina condita eiusque primis episcopis. Orientales potestatem sedis romanae inde repetebant, quod Roma caput esset totius imperii. Sed romano imperio diviso, et nova metropoli apud Orientales condita, iura sedis romanae sua sponte diminuta sunt.

Parte altera, p. 297—424 agitur de evolutione supremæ potestatis civilis-ecclesiasticæ a morte Constantii usque ad initium regni Theodosii magni. Tempore Iuliani apostatæ diminutam esse aulae imperialis in ecclesiasticis negotiis auctoritatem scriptor ait. Factiones dogmaticæ constitutæ sunt in Ecclesia: metropolitæ qui ambitione ducebantur, dominatum in alios episcopos obtinere satagebant. Documenta huius ætatis sæpe conqueruntur ambitionem episcoporum. Sedes præcipuæ imitari exemplum sedis romanæ conatae sunt. Ut id consequerentur, quaedam potestate imperiali nixæ sunt, ut Byzantina et Antiochena; quaedam auxilium romanæ sedis petierunt, ut alexandrina, caesariensis.

Deinde agitur de factionibus ecclesiasticis tempore Iuliani, atque imprimis de controversiis homousianismi. Quibus rebus expositis de consiliis scribitur, quæ in administrando imperio in rebus religionis secuti sunt imperatores Iovianus, Valentinianus, Valens. Valentinianus exhibetur ut sincerus christianus, et decretorum nicaenorum studiosus. Noluit tamen aurem præbere consiliis episcoporum qui eum rogabant ut coërcendo tutaretur religionem publicam imperii, sed principia tolerantiae religiosæ semper est secutus (p. 331). Valens autem hanc tolerantiam amplexus non est, atque, Eudocio duce, arianismo favit. Studiose scriptor varias factiones discernit quæ sæculo IV ex varia decretorum nicaenorum interpretatione profectæ sunt. Quomodo huiusmodi factiones ad progressum auctoritatis episcopalis compluribus in sedibus pertinuerint in aliquot capitibus ostendit, initio sumpto a patriarchatu alexandrino. De iuribus eius in concilio nicaeno statutis disserit; eius incrementum sæculis IV et V narrat; eius divisionem politicam et religiosam describit. In hæc eadem inquirat agens de patriarchatu antiocheno, de ecclesiis insulae Cypri, Palaestinae, Ponti, Cappadociae, Asiae, etc. Ostendit hisce in provinciis quinam episcopi potior ceteris potestatem sibi vindicarint in regenda Ecclesia, velut episcopus Ephesus in Asia occidentali ceteris præcellebat; in Asia orientali episcopi antiocheni, et iconienses. Ut ita dicam, geographia historica ecclesiastica harum regionum hic conscribitur.

Pars tertia, p. 424—557 Theodosii imperatoris consilia quæ in imperio administrando erga ecclesiam sequebatur aperit. Sceptro potitus, iuvenis imperator sibi proposuit imperium a Gothis liberare, omnesque cogere ad veri Dei adorationem sive in Oriente sive in Occidente. Aliis verbis id sibi proposuit Theodosius ut exemplar fieret sinceri regis christiani, ut consilia gubernandi vere christiana persequeretur, quæ, ut fuse verbis sancti Augustini exponit scriptor, in hoc consistunt ut civitas terrena subiecta sit civitati caelesti. Suis in edictis Theodosius testatur se caelesti sapientia duci. Coelestinus papa Deum ait habitare in corde imperatoris, eique pias suggerere inspirationes: ipsius anima est sacerdotalis et apostolica: imperium est *ιεράτευμα*: in concilio constantinopolitano ipse vocatur *ἀρχιερέυς-βασιλεύς*. Tota Theo-

dosii legislatio hoc ostendit imperium romanum converti in imperium christianum. Leges promulgantur adversus paganos et haereticos. Communitates christianae privilegiis atque immunitatibus auctae sunt. Permulta in primo capite tertiae partis de temperatione imperii romani aetate Theodosii habentur, quae ad rem non pertinent.

In capite secundo eiusdem partis legislationem Gratiani et Theodosii I de christiana Ecclesia examinat scriptor. Prima lex pro religione catholicae sanctitatis anno 76 promulgata conventus ethnicorum prohibet. Anno vero 382 reliquiis paganorum bellum indicitur.

In hoc capite historia secundi concilii oecumenici constantinopolitani narratur. Historia huius concilii maximi momenti est ad rem quam tractandam sibi statuit scriptor. Etsi imperator caput Ecclesiae habetur, tamen, cum Theodosius I perpetuo extra urbem ad barbaros debellandos commoraretur, potestas episcopi constantinopolitani aucta est. In hoc secundo concilio, canon promulgatus est quo patriarchae constantinopolitano conceditur, ut tamquam episcopus novae Romae, in hierarchia post Romanum episcopum primas teneat. Qui canon testimonio est aetate illa omnino persuasum fuisse orientalibus romanos antistites suam potestatem in totam occidentalem Ecclesiam inde esse nactos, quod episcopi haberentur metropoleos imperii. De canonibus ipsius concilii fuse disserit scriptor, ut quae mutata sint in regimine hierarchico enarret. Breviter quomodo dioeceses Thraciae et Asiae iurisdictioni episcopi constantinopolitani sint subiectae explicat.

Quarta parte, p. 558—760, de natura et progressu supremae potestatis ecclesiastico-administrativae aetate Arcadii (395—408) et Theodosii II (408—450), et de conatibus Marciani (450—457) et Pulcheriae ut Theodosii Magni consilia tamquam speciem quandam perfectissimam imperii ad effectum perducerent. Primum caput partis Ioannis Chrysostomi vitam continet, atque historiam certaminum inter sedem byzantinam et alexandrinam de acquirendo primatu in Ecclesia orientali. In ceteris describitur pietas Pulcheriae et Theodosii qui consiliis Attici constantinopolitani maxime usi stabiliendae unitati Ecclesiae strenue dederunt operam. Atticus non solum in dioeceses orientales suam extendere auctoritatem conatus est, sed etiam in partem illam Illyrici quae in rebus civilibus imperio orientali coniungebatur. Certamina inter patriarchas byzantinos et romanos Pontifices de iurisdictione in Illyricum narrantur, atque origo exponitur fabulosi elenchi episcoporum qui a. s. Andrea apostolo usque ad Metrophanem Byzantinae Ecclesiae curam habuisse dicebantur. De incrementis sedium hierosolymitanae, antiochenaе, alexandrinae aetate quae praecessit concilium ephesinum (431) disseritur in capitibus tertio et quarto huius partis, et in quinto certamina de primatu inter sedem alexandrinam et constantinopolitanam tractantur. In hoc capite historia concilii ephesini narratur. Concilium ephesinum exhibetur ut triumphus sedis

alexandrinae, atque occasus sedis constantinopolitanae. Status hierarchiae orientalis post synodum ephesinam in capitibus subsequentibus depingitur. Procli deinde constantinopolitani vita describitur gestaue extolluntur. Deinde, enarrata historia latrocinii ephesini, novorumque certaminum inter patriarchas constantinopolitanum et alexandrinum, ostenditur in concilio chalcedonensi sedem alexandrinam devictam esse. Iudicat scriptor, in concilio chalcedonensi Marcianum imperatorem caput ac praesidem synodi fuisse, qui omnia statuerit de convocanda synodo, de agenda, de dimittenda, de comprobandis decretis. Sessionum discussiones contrahuntur, et canones explicantur. De canone XXVIII ipsius synodi quaestio instituitur. Totum opus absolvitur verbis excerptis ex epistula S. Leonis papae (134, Mansi, VI, 288) quibus merita extolluntur Marcionis imperatoris, qui canonem illum reiecit.

His rebus cognitis satis patet vastissimam provinciam sibi explorandam delegisse Giduljanovium. Si eruditionem spectes, ex optimis fontibus haustam, nimis interdum ponderosam, laudibus quidem sinceris dignus est scriptor. Idem dicendum de claritate et arte expositionis, qua fit ut lubenter velut narrantem audias scriptorem, ac praecipuos rerum gestarum ab eo descriptarum actores coram te ipso, perinde ac si vitam denuo spirent, aspicias. Ut rite animadvertit Andreev, hocce opus clarissime ostendit methodos historiae tractandae in academiis ecclesiasticis russicis secutum haud esse scriptorem. De ipsis auctoribus liberius fert iudicium; non aliis tenetur vinculis quam legibus veritatis historicae.

Quaedam lacunae in hoc opere, maxime in vertendis scriptoribus germanis, quorum utitur voluminibus, accurate notantur in pulcherrima et copiosa aestimatione quam de hoc opere inseruit Andreev commentariis *Византийскій Временникъ*. t. XV, p. 396 ad 425. Quidam loci ex germanicis scriptoribus ita vertuntur in russicum ut contrarius omnino sensus ei qui subicitur, ipsis tribuatur. Rite etiam improbat Andreev frequentes digressiones, quae, ut lepide dicit, ad ipsius opus non aliter conveniunt quam Pontii Pilati mentio in symbolo. At satis non habeo hoc opus historice diiudicare: theologice multis et gravioribus inficitur maculis. De hierarchia ecclesiastica modo humano disserit scriptor: eam pro re ab hominibus instituta, legibus iisdem quibus humanarum rerum origo et progressus continetur subiecta habet. Origini et progressui auctoritatis ecclesiasticae Deum intervenisse G. satis clare negat, licet non apertis verbis. Nil mirum igitur si in primatus romani texenda historia, a causis in rebus civilibus positis excellentioris potestatis gradum repetit. Si quae ipse exponit vera esse teneretur sequeretur Ecclesiam Christi nullam habuisse unitatem saeculis IV et V, sed complures episcopos, ambitione ductos, vel opportunis adiutos condicionibus rei publicae ceterorum episcoporum iura usurpasse, atque ita patriarchatus constituisse. Haec quidem de constantinopolitani patriarchatu dici possunt; at nimis absonum est eadem de romana sede statuere, quae luculentissimis traditionis christi-

anae testimoniis primatum habuisse ab exordiis christianismi confirmatur. Inde fit ut thesis praecipua huiusce operis principiis theologiae catholicae repugnet. Primatus enim romanus divinitus est institutus, a Iesu Christo exorsus, ac divino praecepto innixus; condicionibus igitur temporis et loci non creatur, non exoritur, sed tantummodo perficitur ac patefit.

A. Palmieri.

V. Parhomenko, Очеркъ исторіи Переяславско-Бориспольской епархіи. (1733—85) (Očerk istorii Perejaslavsko-Borispol'skoj eparhii) Conspectus historicus dioecesis Perejaslavo-Borispolitensis². Poltava 1910 (8^o, V+182+XXXIII) 1 r. 20 k.

Oppidum Perejaslav positum in guber. Poltava (Ukraina) iam saec. X—XIII suos episcopos habuit. Bello Mongolorum Perejaslav dirutum cathedra episcopali privatum est. Deinde conatibus Mazepae clarissimi hetmani kozakorum episcopatus a. 1700 restitutus est. Ab anno 1716, cum episcopalem sedem Cyrillus Šumianskij qui episcopus fuerat in Luck et Ostrog (in polonica parte Ucrainae) teneret, episcopi perejaslavienses etiam curam orthodoxorum regni polonici sibi quasi commissam existimabant. Quae res magni momenti erat. Usque ad a. 1733 episcopus perejaslaviensis solum vicarius metropolitae kioviensis erat. Eo anno separata dioecesis perejaslaviensis constituta est.

P. conspectum episcoporum qui ab a. 1733—1785 fuerunt praebet eorumque vitam et industriam describit. Imprimis exponit, quid ad liberandum clerum ab arbitrio magistratuum civilium, ad vanas superstitiones tollendas in rebus sacris et profanis, ad ingenia cleri excolenda (quo seminarium anno 1738 institutum pertinet ex quo plurimi nobiles episcopi et civiles magistratus prodierunt) fecerint. Cum a. 1752 delegati cleri perejaslaviensis dioecesis antiquo suo iure usi, faventibus kozakorum magistratibus, episcopum eligere vellent, Petropoli hoc ius iam non est agnitum (p. 45—50). A. 1784 dioecesis sublata est. Postea a. 1797 restituta est, ab 1847 episcopi Poltavam transmigraverunt ibique adhuc manent.

Cum quaeritur, quam partem Gervasius Lincevskij episcopus perejaslaviensis (1757—1769) et Melchisedec Javorskij hegumenus in seditione hajdamacorum in regno polonico habuerint, *P.* defendit eos auctores huius tumultus crudelitatis pleni non fuisse, cum non ut religio iuvaretur sed ut bonis civium consuleretur excitatus sit (p. 167—177).

Multum disserit de magnis incrementis vitae ecclesiasticae in paroeciis ukrainicis saeculo XVI (de confraternitatibus, scholis, hospitalibus etc.) de electione et successione parochorum et de detrimento quod haec vita cepit, cum omnia synodi Petropolitanae decretis subicerentur et cum servitus a. 1783 institueretur.

In fine nonnulla documenta ex archivis deprompta adduntur.

Opus laude dignum et propter materiam et propter exponendi elegantiam. Materiam ex archiorum documentis potissimum magno

studio et labore collectam *P.* proponit, quaecumque hucusque de hac re conscripta sunt adhibens et claram depingit imaginem temporum, maxime momenti quod ecclesia et cieras ad societatem attulerit.

I. Čehelskij,

Libri a. 1910 editi. (Supplementum).

- Athanas'ev, A. A.* Ob istočnikah hristianskago věroučeniya. (Otd. ott. iz No. 33 Ekater. Eparh. Vědom. za 1910 g.) Ekaterinoslav. 1910. Izd. Br. Sv. Vladimira. Tip. S. I. Baranovskago. 8° 24 str.
- Birjukov, Evlampij,* svjašč. Otvěty na nedouměnyye voprosy věry, нравstvennosti i obrjadov hristianskih. Kamyšlov. 1910. Izd. avtora. Tip. V. A. Šterntal'. 8° (15×23). 113 str. Skl.: St „Bogdanovič“, Perm.-Tjum. ž. d. Selo Kašinskoe, u avtora. C. 50 k.
- Bogatenko, E. A.* K voprosu o pěnii nepenaek. Otd. ottisk iz ž. „Staroobriadčeskaja Mysl“ za 1910 g. M. 1911. Tip. I. M. Mašistova. 8° (18×26). 13 str. (300 ekz.)
- Bogdanov, A. S.* Žizn' arhimandrita Nikodima Kazanceva. Sergiev Posad 1910. Izd. Mosk. Duh. Akad. Tip. Sv. Tr. Sergievoj Lavry. 8° (16×24). 128 str. (300 ekz.)
- A. N.* K pastyrskoj bor'bě s sektoju paškovcev. nazyvajuščih sebja „evangeľskimi hristianami“. Sergiev Posad 1910. Izd. Athon. Russk. Pantelejm. mon. Tipografija Sv.-Tr. Sergievoj Lavry. 8° (15×23). 118 + 1 nen. str. C. 30 k. Věs 11 l.
- Čel'cov, Grigorij,* prot. Učenie o bogosluženii pravoslavnoj cerkvi. Spb. 1910. Tip. M. I. Akinfieva (Spb., Baskov per., 10). 8° (13×20). 72 str. S ris. C. 10 K.
- Čepik, Mihail,* Opyt polnago kursa gomileтики dlja duhovnyh seminarij (s priloženiem razobrennyh obrazcov, propovědničeskijh planov i tem na vsja prazdničnyye i voskresnyye dni. Sergiev Posad 1910. Izd. 2-e. Tip. Sv.-Tr. Sergievoj Lavry. 8° (17×25). 243 str. C. 2 r. 50 k.
- Čerujij, Platon Filipov,* svjašč. Sbornik pravil, programm i rasporjaženij Svatějšago Sinoda. objavlennyh v „Cerkovnyh Vědomostjah“ za 1888—1910 gg. O cerkovno-prihodskih školah raznyh tipov. Alexandrija 1910. Tip. F. H. Rajhl'sona. 8° (17×25). VIII+132+86 str. C. 4 r.
- Davidovič, B.,* Svjatyj Aleksij. Mitropolit vseja Rusi. Očerk ego žizni i dějatel'nosti cerkovnoj i gosudarstvennoj. Spb. 1910. Izd. Učilišč. Sov. pri Svjat. Sinodě. Tip. Sinodal'naja. 8° (14×21) 57 str. S ris.
- Denisov, Leonid.* Uspenie Presvjatoj Bogorodiey. (Prazdnovanie 15 avgusta). M. 1910. Izd. i tip. E. Konovalovoj i Ko. (B. Andron'evsk., s. d.) 2-e. 16° (12×18). 32 str. S ris.
- Denisov Leonid.* Žizn' i podvigi Sv. Aleksija, čelověka Božija (pamjat' 17 marta). V priloženii: svjatootečeskoe učenie o duhovnyh podvigah, M. 1910. Izd. i tip. E. Konovalovoj i Ko. (B. Andron'evsk. s. d.) 8° (15×22). 48 str. S ris.

- Dužovenstvu Hersonskoj eparhii. Odessa 1910. Izd. Sv. Andreevskago Br-va. Tip. E. Hrisogelosa (ul. Kondratenko, 8). 8° (17×24). 31 str.
- Fedorovskij, V. P.* Cerkovnoe pěníe i ego značenie v dužovno-nravstvennom razvitii. (Ot. iz Sarat. brat. listka). Saratov 1910. Tip. Sojuza peč. děla (Armjanskaja). 16° (11×17). 24 str. (60 ekz.)
- Glagolev, S., prof.* O grafě L'vě Nikolaěvičě Tolstom. (Rěč'). Sergiev Posad 1910. Izd. Moskov. Duž. Akad. Tip. Sv. Tr. Sergievoj Lavry. 8° (17×35). 21+1 nen. str.
- Golubev, S. T.* Pamjat' mitropolita Petra Mogili v Kievskoj Akademii 31 dekabnja 1754 goda. (K istorii russkago propovėdničestva za vtoruju polovinu XVIII stolětija). Kiev 1910. Tip. Akc. O-va „Petr Barskij“ (Kreščatik, 40). 8° (17×25). 57 str. (100 ekz.)
- M.* O ikonopočitanii. Razbor stat'i pravoslavnago missionera Kuncoviča „Obličenie ikonoborcev“. Odessa. 1910. Tip. „Tehnik“ (Uspenskaja, 56). 8° (15×21). 24 str.
- Il'menskij, Sergěj,* svjašč. O prepodobnom Sergii blagodatnom vospitatelě duža russkago naroda (Iz urokov po Zakonu Božiju). Saratov 1910. Izd. Red. Duž. Věsti. Tip. Sojuza peč. Děla (Armjanskaja). 8° (15×23). 10 str.
- Ivanov, G. A.* Novaja teorija prava i нравstvennosti, eja kritika i monističeskoe ponimanie etiki. Spb. 1910. Tip. T-va „Ekateringofsk. Peč. Dėlo“ (Ekateringsk. pr., 10). 8° (16×25). 120 str. C. 50 k. (50 ekz.)
- 50-lětnij jubilej služeniija v svjaščennom saně protoiereja A. A. Zavadovskago. 1960 6/XI 1910 g. Tomsk 1910. Tip. Prijuta i Doma Trudoljubija. 8° (15×22). 21 str. (200 ekz.)
- Kuncovič L. Z.* V čem lož' baptizma? i otvėt na „otzyv“ baptista D. Mazaeva. Har'kov. 1910. Tip. M. G. Kovaleva. (Podol'skij, 2). 8° (16×24). 25 str.
- Kutepov, Nikolaj,* prot. O perstosloženii dlja krestnago znamenija i pastyrskago blagoslovenija. Novočerkassk 1910. Izd. 2-e dop. Tip. Donskaja. 8° (16×24). 30 str. C. 10 k.
- Kutepov, Nikolaj,* prot. O tainstvě kreščeniija. (V obličenie mnimodužovnyh hristian). Novočerkassk 1910. Izd. 4-e, ispr. i dop. Tip. Donskaja 8° (16×24). 67 str. C. 20 k.
- Kutepov, Nikolaj,* svjašč. O postalju pravoslavnoj cerkvi. (V obličenie mnimodužovnyh hristian). Novočerkassk 1910. Izd. 3-e ispr. i dop. Tip. Donskaja. 8° (16×25). 23 str.
- Lebedev, N.,* svjašč. Člen Gosudarstvennoj Dumy, svjaščennik Arkadij Aleksěvič Zlatomrežev (nekrolog). Saratov 1910. Tip. Sojuza Peč. Děla (Armjanskaja). 8° (16×24). 16 str. (150 ekz.)
- Lejsman, N. A.* prot. Sud'ba pravoslavija v Lifljandii, s 40-ŭ do 80-ŭ godov XIX stolětija. Riga 1910. Izd. Riž. Petro-Pavlovsk. Prav. Brat. Tip. G. Gempl' i Ko. (Krěpostaja, 7). 8° (14×22). 12 str. C. 30 k.
- Leritov, P. V.* Iz vvedeniija v hristianskoe osnovnoe bogoslovie. (Otd. ottisk iz No 33 i No 34 Ekaterinoslavskih Eparhial'nyh Vėdo-

- mostej za 1910 god). Ekaterinoslav 1910. Tip. S. I. Baranovskago. 8° (17×25). 15 str.
- Levitov, P. V.*, Pravoslavnaja Cerkov' i Lev Nikolaevič Tolstoj (Otd. ott. iz No 33 Ekater. Eparh. Vedom. za 1910 g.) Ekaterinoslav 1910. Tip. S. I. Baranovskago. 8° (17×25). 7 str. (110 ekz.)
- Milovidov, A. I.* Rasporjaženija i perepiska Gr. M. N. Murav'eva otnositel'no rimsko-katoličeskago duhovenstva v Sěvero-Zapadnom kraě. Vil'na 1910. Tip. Russkij Počin. 8° (15×23) 38 str. (100 ekz.)
- Molitvennik duhovnyh hristian Molokan. Tiflis 1910. Izd. M. C. Lezina (Dessimokovskaja ul., 14). Tip. A. I. Petrova (Kruzenštern., 3). 16° (13×19). 213 str. C. 60 k.
- (Zav-v. I. S.) O kožeozer'skom monastyrě (Izvlačenie iz „Arhangel'skij Eparh. Vedom.“ za 1910. No. 17). Arhangel'sk 1910. Tip. V. Čerepakova. 8° (15×24) 2 str.
- Nedačin, S.* Pravoslavnaja cerkov' v Japonii. Otd. ottisk iz žurn. „Miss. Obozr.“ No No 7—12 za 1910 god. Spb. 1910. Tip. „Kolokol“ (Nevskij, 127). 8° (17×25). 59 str. S 3 portr. i 2 ris. C. 50 k, (400 ekz.)
- Nedumov, A. D.* prot. Moskovskij pridvornyj Arhangel'skij sobor. Opisanie sego sobora i nahodjaščih'sja v nem Carskij i Knjažskij grobnic. M. 1910. Izd. 4-e. Tip. A. I. Snegirevoj (Ostoženka. Savedov. per.) 16° (13×17). 64 str. C. 10 k.
- Vysokopreosvjaščennyj N i k a n o r, byvšij episkop Orlovskij i Sěvskij (s 1899 goda po 28 marta 1902 goda). Kratkij očerk ego arhipastyr'skoj dějatel'nosti v Orlovskoj eparhii. Kazan' 1910. Tip. universiteta. 8° (17×25) 318 str. 11 portr.
- Nikolaev, N.* Kak nas vospityvali v duhovnom učiliščě. Zapiski i vospominanija. Žěn'kov. 1910 Tip. G. N. Podzemskago. 8° (15×22). 125 str. C. 60 k.
- Nikol'skij, P. A.* Bytie Božie. Tambov 1910. Tip. P. S. Moskaleva 16° (12×17). 36 str. C. 5 k.
- Nikol'skij, Pavel.* Bezsmertie čelověčeskoj duši. Tambov 1910. Izd. avtora. Tip. P. S. Moskaleva. 16° (12×17). 36 str. C. 5 k.
- Nikol'skij, Pavel.* Čto trebuetsja ot čelověka dlja spasenija v miru. Tambov 1910. Izd. avtora. Tip. P. S. Moskaleva. 16° (12×17). 36 str. C. 5 k.
- Nikol'skij, Pavel.* Hristova pastva i eja otnošenje k svoemu pastyrju. Tambov 1910. Izd. avtora. Tip. P. S. Moskaleva. 16° (12×17). 36 str. C. 5 k.
- Otčet Odesskago Eparhial'nago Svjato-Andreevskago Bratstva za 1909 god. Odessa 1910. Tip. E. Hrisogelosa (ul. Kondratenko 8). 8° (17×24). 58 str. (50 ekz.)
- Petrovskij, S.* prot. N. I. Pirogov v Sevastopolě. (K stolětiju so dnja roždenija). Odessa 1910. Tip. K. P. Kozlovskago (Golovinskij pr. 12). 18° (23×30). 262 str. (300 ekz.)
- Pogorėlov, Valerij.* Čudovskaja psal'tyr' XI yėka. otryvok tolkovanija Theodorita Kirr'skago na psal'tyr' v drevne-bolgarskom perevodě.

Pamjatniki staroslavjanskago jazyka. T. III., vyp. I Spb. 1910. Izd. otd. russk. jaz. i sloves. I Ak. Nayk. Tip. Akademii Nauk. V + 276 str. + 2 tab. C. 2 r.

Ponomarev, A. I. prof. Pamjati Protopresvitera J. L. Janyševa. Rěč' 1910. Tip. M. Merkuševa (Nevskij, 8). 8° (15×23). (100 ekz.)

Popov, K. M. Sistematičeskij katalog knig biblioteki Moskovskoj Duhovnoj Akademii. Tom 5, vyp. 8, 1-e prodolženie. Svjaščennoe pisanie i patrologija (Postuplenija 1901—1910 godov). Sergiev Posad. 1910.

Postnikov, I. svjašč. Prepodobnyj Nektarij Běžeckij. Tver'. 1910. Izd. Tversk. eparh. istor.-arheol. komit. Tip. N. M. Rodionova (Trehsvjatskaja, d. Šikanova). 8° (16×22). 28 str.

Pravila ob ustrojstvě vnutrennej missii. Utveržd. Svjatějším Sinodom po opreděleniju ot 20-go—26-go maja 1908 g. za No. 3443. M. 1910. Tip. Russkaja Pečatnja (Triumfal'naja-Sadovaja, 170). 8° (17×26). 11 str.

Prohanov, I. S., Zakon i Věra. Rukovodstvo k ustrojstvu religioznych sobranij, legalizacii i upravleniju vsěmi graždanskimi dělami obščin. otdělivšihsja ot pravoslavija. Spb. 1910. Izd. t-va „Raduga“ (Voznes. pr., 40). Tip. Kjugel'gen, Glič i Ko. (Anglijskij prosp., 28) 8° (16×23). 86 str. C. 50 k.

Protokoly 2-go vserossijskago s'ězda evangel'skih hristian, sostoja-všagosja v gor. S.-Peterburgě ot 28-go dekabrja 1910 g. po 4 janvarja 1911 g. Spb. 1911. Tip. V. Andersona i G. Lojcjanskago (Vozn., 53) 8° (14×20). 24 str. (300 ekz.)

O prosvěščeni i privolžskih inorodcev. „Sotrudnik Bratstva Sv. Ğurija“ II. T. Stat'i i zamětki: 1) O hristianskom prosvěščeni inorodcev (čez Cerkov' i školu). 2) O vozmožnosti usoveršenstvovanija i razvitija missii. 3) Literatura i izdatel'skaja dčjatel'nost' na inorodčeskij jazykah. 4) Stat'i po islamovědčeniju. Kazan' 1910. Izd. Kruž. sester-sotrud. br-va Sv. Ğurija. Tip. M. P. Perovoj (Bulon, sob. d.) 8° (15×23). 12 + 481 — 896 str. C. r. 50 k. (70 ekz.)

Russilov, N. I. prot. O sostojanii čelověka totčas poslě ego smerti. Saratov 1910. Tip. Sojuza peč. děla (Armjanskaja). 8° (15×23). 11 str.

Solov'ev, S. M. Progress i religija. Russkaja religioznaja mysl'. No. 17. M. 1910 Izd. Novoselova. Tip. A. Snegirevoj (Savelovskij per., s. d.) 8° (17×23). 4 nen. str. C. 2 k.

Solov'ev, Ioann, prot. Zaslužemyj professor Bogoslovija v Moskovskom Imperatorskom Universitetě, protoierej Nikolaj Aleksandrovič Eleonskij. Sergiev Posad 1910. Izd. Mosk. Duħ. Akad. Tip. Sv. Tr. Sergievoj Lavry. 8° (17×24). 20 str. (50 ekz.)

Uljanin, P. A., Pis'ma i nabroski po voprosjam etiki, psihologii i estestvoznanija. Varšava. 1910. Tip. Učeb. Okr. (Krjukov. Predm. 3). 16° (13×19). 66 str. (300 ekz.)

- Vajsfel'd, M.* Idealy vospitanija. Kiev 1910. Tip. E. V. El'nik (Aleksandrovskaia, 44). 8^o (15×23). 60 str. Sklad: kn. mag. K. I. Tiho-mirova (M., Kuzneckij m. d. Zahar'ina) i Spb., kn. skl. M. Sta-sjuleviča (Vasil'ev. Ostr.) C. 40 k.
- Vasjutinskij, Theodor*, prot. Spiritizm i vzgljad na nego s točki zrěnija Slova Božija. Har'kov. 1910. Tip. Mirnyj Trud (Děvič'ja, 14), 8^o (15×23). 24 str. (200 ekz.)
- Žiz neopisanie truženika raba Božija Flegonta Ostrovskago. M. 1910. Izd. 4-e, Tip. I. Efimova (B. Jakmuka, s. d.) 8^o (15×23) 16 str. 8 ris.
- Žurnal zasėdaniĭ 3-go sėzda nabljudatelej cerkovnyh škol Oloneckoj eparhii. 31 ijunja—2 avgusta 1910 goda. Petrozavodsk 1910. Izd. Oloneckago Eparhial'nago Učiliščnago Sověta. Tip. Oloneckaja Gu-bernskaia. 8^o (17×26). 26 str.
- Žuze, P. K. Iz istorii ierusalimskoj cerkvi. Kazan' 1910. Izd. Kazansk. Duĭ. Akad. Tip. Central'naja (Dombrovskago). 8^o (17×25) 47 str. (50 ekz.)

A. Novotný.

Serbica.

Vesnik Srpske Crkve. 1910.

S. M. Veselinović: Dogmatizam i evolucija dogme (De dogmatismo et evolutione dogmatum) II. 114—117, III 210—218.

V. statim ab initio statuit: Nostris quoque temporibus perdurat perpetua pugna inter contradictorias opiniones de dogmatismo et evolutione dogmatum, quae rem non ab omni parte ponderant. Pugnatur inter rationalistas autonomistas et seditiosa seu tumultuosa elementa Romanae ecclesiae (reakcionarni elementi rimske crkve). Rationalistae commemorati iam generis rationem supremum iudicem omnium rerum, etiam revelationis ponunt; dogma putant inventum cognitionis pure rationalis, dogmatismum autem catholicae ecclesiae excludunt tamquam impedimentum veri progressus non solum cognitionis rerum religiosarum sed etiam vitae moralis. Ii, qui alteram tenent opinionem, mentem humanam rebus revelatis caeae assentiri debere iudicant et quemvis dogmatum progressum excludunt.

Utraque in parte perspicui potest levitas iudicandi. Alii revelationem, alii fidem rationalem negant, alii progressum extra fines licitos extendunt, alii saepibus etiam illud, quod, circumscribendum non est, occludunt. Rationalistae autonomistae verum dogmatum progressum in eversionem religionis converterunt; Romano-catholici seditiosi exstirpato sensu fidei rationalis eodem modo perturbationem intra fines fidei movent. Alterorum est illud: intellego „ut credam“, alterorum: „serva, quae accepisti neque aucta neque minuta“. (II 113 ss.).

Quibus expositis V. quaerit: utrum dogmatismus et progressus dogmatum inter se pugnent necne. Antequam ad absolvendam quaestionem accedat, haec ponit:

1. Christiana cognitio est cognitio ex fide et per fidem: credo ut intellegam. Cognitio non antecedit, sed sequitur fidem (115).

2. Deus res fidei homini et hominis instituendi causa revelavit. Itaque dogma habendum est tanquam aliquid sacri, quod ratio humana ne tangere quidem possit.

3. Res revelatae non sunt eodem tempore aut eodem modo, sed et temporis et modi differentia apparet. Quare sine dubio postulatur, ut etiam homo has res gradatim accipiat, ut progrediatur in cognoscendis rebus fidei (116).

Haec tamquam fundamenta V. statuit, super quae aedificandum sit, cum de dogmatismo et progressu dogmatum disputetur. Ex illis manifeste apparet has rationes inter se non pugnare neque omnino excusari posse pro alterutra dimicantes.

Quam ob rem tertia in parte brevis d. sputationis V. quaerit: utrum dualismus revelationis et rationis in fide admittendus sit, ut progressum dogmatum salvemus an fides sine ratione admittenda sit, ne dogmatismus pereat. Dualismum excludit V. traditione antiqua allata et ait dogmatismum comparari posse cum lege vitae, progressum autem cum vitae incrementis. Vita nulla est sine progressu: „Progressus igitur dogmatismo continetur et intra fines fidei in dogmatis tamquam in suis argumentis apparet“. (III. 216). Neque cogitari potest extra revelata neque ea ipsa in alia mutare potest.

Ad ea omnia haec addi liceat: V. theologos Romanae ecclesiae seditiosos commemorat, qui mentem, si ea, quae revelata sunt, considerentur, nihil valere existiment, quique eam servam mutam „intra fines religionis esse dicant.“ Sine dubio, ne iustitia et caritas laederetur, afferendi erant saltem aliqui ex numero theologorum, qui tam perniciosam, ab ecclesiae catholicae saepenumero condemnatam sententiam tuerentur. Nobis quidem nullus huius generis scriptor catholicus notus est. Ecclesia catholica atque catholici sive „Romani“ theologi semper inculcabant illud Augustini: credo, ut intellegam, semper hoc contra pietistas et sensualistas defendebant. Quos igitur V. dicit prorsus expellere rationem e regione fidei eosque fidem „sensualisticam“ a ratione alienam praedicare? Num haec apud Franzelin in tractatu de divina Traditione et Scriptura (Romae typ. Polyglotta 1896) 272—291 num apud de San, apud Chr. Pesch, apud Heinrich, Pohle etc. etc. invenit?

Itaque frustra catholicos theologos V. impugnare dicendus est, et in eo peccasse, quod ad cognoscendam theologorum catholicorum sententiam ex tot eorum operibus nullum adhibuerit.

V. ut defensorem fidei rationalis contra catholicos agit, ita ipse fidei omnem rationalitatem videtur tollere. De s. Paulo enim dicit: „Ration tribuit ille quidem desiderium cognoscendi Dei, sed negat eam sine revelatione et fide suis viribus Deum cognoscere posse“ (III. 209.) Testimonio utitur epistulae ad Cor. 21, 11; 8, 1. 2. Priore loco s. Paulus de perfecta cognitione naturae divinae loquitur, posteriore de idolothyti, quando liceat fidelibus ex iis edere. Verba V. saltem valde ambigua sunt: exponendum enim clare erat, quid ratio in cognoscendo Deo valeret, qua cognitione fides contineretur, quomodo adversariorum de his rebus sententiae refur-

tarentur. Ne illud quidem videtur percepisse, quo Kantii auctoritas, quam in fine ad rationalistas arguendos affert, pertineat.

Dr. *Čedomir Marjanović*, Egoizam i altruizam (De egoismo et altruismo) 463—483. *M.* primum definitionem egoismi et altruismi statuit, deinde de causis honeste agendi agit et a rerum gestarum memoria exempla petit. Iesum Christum eiusque discipulos purissimis ductos esse rationibus et altruismi summum culmen ibi inveniri docet.

Sava Dečanae. Udavanje, odbeganje i otimanje devojaka (Quomodo nubant, rapiantur, fugiant puellae) 483—522; 625—652.

D. plenus amoris atque sollicitudinis pastoralis erga suos fideles ac totam dispersam gentem Serbicam describit turpem raptum mercatumque puellarum qui circa fora instituatur apud Serbos in Dalmatia, Serbia, Bosnia, Hercegovina, Monte Nigro, Bulgaria, Hungaria. In fine proponit modos adhibendos contra haec maxima scelera, quae ipsam nationem exstirpent et cum religione maxime pugnent.

Dr. *Ioannes Šimrak*.

Slovenica.

Voditelj. Red. Dr. Fran. Xav. Lukman. XII. 1909.

Dr. *Fr. Lukman*: Cvetna nedelja (De Dominica in palmis) pag. 135—154.

L. tractat historiam processionis D. i. pal. Quae processio, ut commemoratio sollemnis ingressus Domini in s. urbem, Hierosolymis fieri coepta est. In ecclesia occidentali sero introducta est. Naturae processionis in commemoratione illa positae etiam symbolica vis se adiunxit: processio D. in pal. facta est celebratio Christi regis saeculorum. Nonnullis in regionibus etiam theophorica fuit; prima in ecclesia. De hac re varia opera exstant; ut Nilles; *Calendarium manuale* II^o 201 ss, Maximilianus, Princeps Saxoniae, Praelectiones de Liturgiis orientalibus Fribg. Brsg. 1908, 106; praeterea Al. Maltzewii opera etc. In ecclesia Romana diu nullum vestigium de hac celebratione exstitit. Celebratio sollemnis ingressus Iesu Hierosolymam in gallicana ecclesia initium sumpsit, quod ex liturgicis libris gall. VII. et VIII. saec. constat. De processione, cuius in his libris non fit mentio, constat ex hymno: „Gloria, laus et honor“, Ep. Theodulphi ca. a. 820 ubi processionem, quam ipse Andegavi vidit, describit; optime ibi commemorativus et symbolicus character exprimitur. Proin certe iam antea (saec. VII vel VIII) etiam celebratio processionis in gall. ecclesia coepta.

P. Guido Rant. O. F. M., Monoteizm pri Izraelcich. (De Israelitarum monotheismo). 117—135; 261—273; 339—361. In hac re tractanda non omnia artis praecepta servantur; varia, quae obici possunt et solent, quae neglegenda non erant, omissa sunt, velut p. 354 Amos 5, 25. 26; Ier. 7, 22; p. 357 2 Reg. 21, 9 ss

F. K. Lukman. Četrtni kanonični evangelij v spisih sv. Justina (S. Irenaei de quarto evangelio canonico testimonia exponuntur). 1—11.

F. K. Lukman. K razlagi ps. 45, 5. 325—6.

Dr. *Fran Grivec*, *Vzhodno cerkveno vprašanje*. p. 221—260 (etiam seorsim editum: Maribor 1909. De quaestione ecclesiastica orientali). 8° [IV, 40]. K 1.—

G. in hoc libello quaestionem ecclesiasticam orientalem, quam vocant, exponendam aggressus est atque unde originem duxerit quaestio, quinam conatus ad eam solvendam sint facti, quid ad eam expediendam hoc tempore sit agendum ostendit. In prima parte (pagg. 223—235; libelli 3—15) in causas inquiri, quae ecclesiarum scissionem nefariam promoverunt. Quae numero multae sunt, natura differentes, ex uno tamen pullulantes germine, animorum dico alienatione in dies crescente atque diffidentia et contentionibus inter orientem et occidentem, quae iam a saeculo quarto ortae sunt cum Byzantium ad metropoleos dignitatem evectum et imperium Romanum divisum est atque graves illae lites dogmaticae, quibus per saecula agitabatur ecclesia orientalis, initium cepere. In altera parte (pagg. 235—249 lib. 15—29) vir doctus narrat, quid saeculis labentibus actum sit ad tollendum schisma, simulque ostendit, cur hi conatus in cassum redierint. In tertia denique parte (pagg. 249—260; lib. 29—40) remedia proponuntur ad orientalium animos offensiores recolligendos atque unionem cum ecclesia matre praeparandam. Necessarium esse curam maximam haberi missionum in oriente, ab occidentalibus ecclesiae orientalis ritus atque orientalium cultum atque proprietatem magni fieri, a theologis catholicis assiduo studio tractari ecclesiam orientalem, omnique diligentia in theologorum orientalium doctrinam inquiri, statum ecclesiae separatae penitus cognosci, ecclesiam vero et cultum catholicum redundare ad imbuendos suaviter christianos orientales veritate et amicitia. Praeter haec naturalia auxilium divinum singulare expetendum est, cum opus agatur gravissimum et in ipsa religione adiuvanda positum. — His commentatio absolvitur.

Itaque non exponitur universa quaestio orientalis (cf. AAV VIII p. 101—3), sed ex plurimis rebus, quae ad eam pertinent, selectae sunt nonnullae, neque eae potissimum, quae ad rem claris notionibus comprehendendam conferant. Nec ea, quae afferuntur, contra aliorum argumenta (velut ea, quibus *G.* p. 255 [lib. p. 35] missiones quae vocantur commendat, contra ea, quae in *La Terre Sainte* 1902*) et alibi iam pridem exposita sunt) defenduntur. Deest nobis igitur certe adhuc opusculum, quo eo modo universa quaestio orientalis adumbrata sit, quo a Ion. Conr. Schrammio a. 1724 adumbrabatur.

*) *Lettres sur la Réunion des Eglises* p. 83—87; 97—99; 114—117. P. 86: „Assurément je suis loin de demander au missionnaire catholique de suivre l'exemple du R. P. D... et de repousser les rares, bien rares orthodoxes qui viendraient à lui sous les poids d'un doute réel et sérieux. Mais j'oserai lui dire: N'agissez pas de même avec les Grecs. Ne cherchez pas à les attirer individuellement au catholicisme. Ne déchirez pas, ne démembrerez pas la vieille et vénérable Église qu'ils aiment avec une tendresse si profonde, ou vous enrégimenterez contre vous, et contre le catholicisme, les plus ardents, les meilleurs et les plus respectables de leurs sentiments... Je crois donc, que bien loin d'encourager au dégoût de leur Église des âmes qui n'ont jamais douté de son autorité, il faut leur montrer ce qu'elles peuvent y trouver de riche sève chrétienne et les engager à l'y chercher. Devenues ferventes dans l'orthodoxie, elles seraient plus près et non plus loin du catholicisme, car il n'y a que l'amour de Dieu qui pourra triompher, au moment voulu, de certains souvenirs que des siècles d'épreuves ont rendus en quelque sorte sacrés. Voyez Newman...“

J. Kavčić, Simbolika starozakonskih praznikov (De festorum V. T. vi symbolica) 11—23; 154—179; 362—392. Caput archaeologiae hebraicae de diebus festis exponitur, quod titulo, quo *K.* usus est, non satis accurate significatur.

F. K[ovačić], Nauk pravoslavnih teologov o Cerkvi (De libro Eug. Akvilonov, Novozavětnoe učenje o Cerkvi. Spb. 1904). 23—55.

Ivan Tomažič, „Veto“ ali „exclusiva“ pri volitvi papeža 273 ad 284; 392—492 etc.

A. Stegenšek, Poročila o stari in novi domači cerkveni u-metnosti (De arte ecclesiastica nova et antiqua) 55—63.

Jos. Kragelj, Arhidiakoniat Tolminski (De archidiaconatu Tulminensi). 329—338.

Tolminum (Tolmin) fuit pars coloniae Romanae Aquileiense. Fidem christianam accepit etiam Aquileia per clerum Civitatis Austriae (Cividale, Čedad). Ita Civitas Austriae Tolminum in suum dominium assumpsit, quod Romani Pontifices approbarunt. Ac primum quidem Coelestinus III. a. 1192 [qui iura eorum, quibus iam per 40 annos usi erant sub patrocinium S. Petri et suum accepit]. Similiter autem Pius II. a. 1459., qui capitulo potestatem quoque iuridicam civilem concessit etiam in rebus mixtis. Administratio ecclesiarum et vitae religiosae capituli Civitatis Austriae fuit. Quod munus archidiaconi gerebant, qui in historia Tulminensi excellunt. Quotannis a canonicis Civitatis Austriae creabantur et archidiaconi „in montibus“ appellabantur. Quando primus creatus sit nondum constat; fortasse iam 1297, cum iura capituli iterum approbarentur.

Ex litterarum monumentis „De visitationibus Ecclesiarum annis singulis faciendis 1356.“, quae a. 1880 in archivo Civitatis Austriae e Kragelj et prof. Rutar invenerunt, colligi potest, quae officia habuerint. Ex monumentis visitationum apparet quanta iurisdictio penes archidiaconos fuerit. Erat eis ius condendi novas ecclesias et vicarios instituendi, potestas iuridica in clerum et populum. „Fa in queste parti da Papa e da Imperatore“ conquerebatur comes Tulminensis. „Quasi Episcopalis Nostra iurisdictio“ legitur in litterarum monumentis. — Archidiaconi fuerunt sub ditione Venetiana et tamen in Austria munus suum gerebant. „Si possibile est, archidiaconus semper sit Austriacus civis“, sub Carolo VI. statutum est. Sed numquam fieri potuit. Nihilominus ex hoc tempore non amplius in Civitate Austriae sed Tulmini habitabant. Patriarchatu Aquileiensi a Pontifice summo Benedicto XIV. a. 1751 sublato privilegia archidiaconi tamen integra manserunt. Itaque archidiaconus factus est delegatus archiepiscopi Goritensis et munus gerebat idem ac prius. Tempora Iosefi II. omnibus iuribus privatus est. — Solum domus in qua archidiaconus Tulmini habitabat adhuc ad capitulum pertinet.

Dr. *F. X. Lukman* et *Ferd. Kobi*.

• Externa de Slavis.

Kasimir Gajkowski, **Mariavitensekte**. Einige Blätter aus der neuesten Kirchengeschichte Russisch-Polens. Krakau 1911 (Selbstverlag) 99 p.

Mariavitarum litteris diligenter adhibitis hoc libro de origine et progressu huius sectae exponitur. Condicione cleri Polonici legibus iniquis ligati et a magistratibus vexati adumbrata (p. 3—12) agitur de Kozlovska, de rebus quas faciendas ea sibi revelatum esse putabat, de primis sacerdotibus, qui ei crediderunt (Felicianus Strumiłło, Kazim. Przyjemski, Leo Gołębiowski, Rytel, Czerwiński) (p. 12—22). Deinde a P. Honorato, magnae auctoritatis viro commendatam (cum s. Coletta, s. Theresia, s. Catharina Senensi sacerdotum magistris comparatam) multos eam nactam esse congregationis suae socios: Kowalski, Roztworowski, Kaczyński, Skolimowski, Próchniewski, Sadlak, Zeno Kwiek, Kłopotowski, Rewera nomen ei dederunt; nonnulli tamen ut Rewera, Kłopotowski, Z. Kwiek suspicione concepta ab ea defecerunt (p. 22—25). Tum de rebus illi ab a. 1893—1903 revelatis narratur (p. 25—32); quae primum episcopis (varsov., lublin., ploc.), ex quibus unus plocensis mox (mense Iulio a. 1903) Romano pontifici opus ipse exposuit (quem Mariavitae rei corruptae et secreti vulgati accusant), deinde a 17 sacerdotibus cum ipsa duce Romam profectis (qua ratione copia haec iis a magistratu civili facta sit, nisi iam tum cum eo foedus inissent, non intellegi nonnullis videtur) Romano Pontifici proposita sunt. Narrantur deinceps quae Mariavitae Romae conati sint, quos adierint, quid interim obtinuerint, quomodo episcopi domi iis restiterint, quomodo Kozlovska societatem perpetuae adorationis reconciliatoriae instituerit et mense Iulio 1904 delegatos Romam miserit, quid iis promissum sit, quomodo Mariavitae reiectis Kozlovscae revelationibus et congregatione sacerdotum dissoluta se gesserint (de Skolimowskii itinere Romano, de eorum querelis de pessima vita sacerdotum Polonorum, de clade sua a studio moribus corrigendis contrario repetita, de nova legatione Romana, de Gołębiowskii et Próchniewskii querelis a cardinalibus comprobatis, de archiepiscopi Popiel agendi modo, de Romana apellatione (1. febr. 1906). P. 58—69 de detrectata a mariavitis oboedientia erga episcopos agitur, de rebus, quae eis a consistorio plocensi exprobratae sunt, quae omnia fere falso sibi tribui dicunt; de Kowalskii et Próchniewskii conatibus rem suam Romano Pontifici probandi; de iis, quae post haec Kowalski a Popiel archiepiscopo petierit. P. 69—79 de encyclica Pii X d. d. 5. Apr. 1906, de mariavitarum defectione ab ecclesia, de capitulo generali 10. Oct. 1907 habito eiusque decretis exponitur. P. 79—99 de moribus et erroribus Mariavitarum iudicatur. Ceterum iam in prioribus capitibus de indole Kozlovscae, Kowalskii, Próchniewskii aliorumque mariavitarum, de vaticiniis falsis, sententiis inter se vel cum veritate pugnantibus iudicatur. Non tamen eadem libertate adversarii tractari videntur.

* * *

Die St. Petri-Gemeinde. Zwei Jahrhunderte evangelischen Gemeindelebens in St. Petersburg. 1710—1910. 4^o (25×33). 4+436+152 pag. Cum imag.

Arth. Rhode, Bei den Mariaviten. Eindrücke von einer neuen romfreien katholischen Kirche. Gr. Lichterfelde-Berlin (74). 1·50 M.

Monumenta reformationis Polonicae et Lithuanicae. Ser. I, f. 1 (XIV+201) Vilna, Vars. (E. Wende) 1911 (rec. *Völker* in Th. Lz. 1912 c. 462—3).

P. M. Friesen, Die alt-evangelische mennonitische Brüderschaft in Russland (1789—1910) im Rahmen der mennonitischen Gesamtgeschichte. Halbstadt, „Raduga“ 1911 (XX, 776, 154; 50 tab. im.) 12·75 M.

J. Schweizer, Antonio Puteo in Prag 1587—1589. (Nuntiaturreportage aus Deutschland II. Abt., 2. Hälfte). Paderborn, Schöningh 1912 (CLI+630) 34 M.

Const. Jireček, Geschichte der Serben. I. Bd. bis 1371. Gotha 1911. (XX+442) 9 M.

J. Schlenz, Geschichte des Bistums und der Diözese Leitmeritz. I. Teil. Geschichte der Gründung des Bistums. Warnsdorf 1912 (XXX+397). 5 M.

Die evangelisch-lutherischen Gemeinden in Russland. II. Bd. Der livländische, estländische und kurländische Consistorialbezirk. St. Petersburg (Eggers & Co.) 1911. (XXXV 372; XVIII 160; XVIII 309 XIV) 15 M.

A. Žák, Oesterreichisches Klosterbuch. Statistik der Orden und Congregationen der katholischen Kirche in Oesterreich. Wien 1911. 8 M.

* * *

Alb. de Koskowski, Mariavites. Etudes Franciscaines XIV 1912 p. 396—399. Agitur de Car. Mastalarz, muliere sectae mariavitarum addicta, quae sibi ss. Trinitatem in tribus episcopis mariavitarum vidisse visa sit deque mariavitarum conatu ep. Kowalski ut Filii Dei ab inferis redituri cruci suffigendi; praeterea de causa matrimonii a Jos. Sekalski apud mariavitas initi; quod cum Mgr Ruskiewicz episcopus irritum esse ob impedimentum dirimens dixisset et novas nuptias permisisset, ipsum Cieplinski, Plaskowski a iudice civili condemnatos esse.

P. Albers, Het bahoud der Sociëteit van Jezus in Wit Russland. Studiën, d. el LXXII bl. 319—371.

L. Fumi, Eretici in Boemia e fraticelli in Roma nel 1466. *Archivio della R. Società Romana di Storia Patria*. Vol. XXXIV 1911 p. 117—130.

A. Rejzek.

Nuntii procurationis

Pretium fasciculi III. Nomenclatoris qui supplementum est huius voluminis AAV nondum constitutum est. Quibus placet possunt AAV sine eo emere (pro 6 Cor).

* * *

De chartulis ab iis, qui fasciculorum nostrorum curibus publicis committendorum curam gerunt, nuper missis sufficiat respondere illos catalogo nominum non satis caute custodito eo modo rem reficere suis impensis debuisse quo refici poterat; re autem composita eos ultro misisse chartulas, quas typographia aliena suis sumptibus impressisset, quibus haec ipsa a suspicione purgaretur.

De scriptoribus russis theologiae moralis qui theologiae moralis lutheranae auctoritatem secuti sunt.

Ut rite animadvertit Stephanus (Arhangelskij) episcopus Mohileviensis, theologia moralis apud Russos labente saeculo XVIII in seminariis tradi et coli coepta est. Cum tamen eos compendia huius disciplinae deficerent, ipsiusque magistri in scholis catholicis studiorum curriculum absolvissent, modo et methodo scholastica est tradita.¹⁾

A suis vero exordiis ad nostram usque aetatem, vicissitudines temporis secuta, nunc catholicorum vestigiis ingreditur, nunc lutheranam adhibet methodum ac divisiones in suis materiis tractandis; in praesens denique suam propriam conatur explanare semitam, ac systema efficere ad quod aliena non pertineat auctoritas.

Ab incunabulis theologiam moralem in Russia contagione theologiae lutheranae infectam esse apertis verbis fatentur recentiores ac doctiores historici theologiae moralis russicae, ut Stephanus quem iam commemoravimus et Alexander Bronzov. Pater theologiae moralis russicae fere habetur THEOPHANES PROKOPOVICIUS²⁾. Ab eo primum in theologiam orthodoxam invecta est methodus doctrinae propria et critica,³⁾ item distinctio inter theologiam dogmaticam et moralem.⁴⁾ Obiectum theologiae moralis, Prokopovicii sententia sunt bona opera quae in Sacris Scripturis nomine amoris designantur: cum vero duplex habeatur amor, Dei ac proximi, sequitur theologiam moralem de religione quae amorem in Deum exprimit, et simul de iustitia, qua amor proximi palam fit, agere. In theologia morali tractandum de decem praeceptis divinis; de vitiis quae eis opponuntur; de praemiis quibus Deus observatores legis divinae donat, ac de poenis, quibus ipsius contemptores percellit. En ipsius verba: „Agendum est de bonis

¹⁾ К вопросу о системѣ православнаго христіанскаго нравоченія. Mohileviae ad Boristhenem, 1910, p. 3.

²⁾ Consule PALMIERI, Theologia dogmatica orthodoxa, Florentiae, 1911, t. I., p. 160—164.

³⁾ АРҲАНГЕЛСКІЙ, Духовное образованіе и духовная литература въ Россіи при Петрѣ Великомъ, Kasan, 1883, p. 83.

⁴⁾ BRONZOV, Нравственное богословіе въ Россіи въ теченіе XIX-го столѣтія, Petropoli, 1901, p. 24.

operibus in communi: bona autem opera, cum omnia nomine caritatis in Scriptura designentur, caritas autem ad duo se extendat, ad Deum et ad proximum, ipso Christo ita dividente, ita agendum erit de religione, quae caritas in Deum est, et de iustitia quae consistit in caritate ad proximum. Tractatus dividuntur secundum decalogum: quatuor de religione, et sex de iustitia. Tractando de bonis operibus, simul tractandum de contrariis peccatis, singulis praeceptis adiungendae sunt tum promissiones, tum comminationes ex parte Dei, tum observatoribus factae, tum transgressoribus intentatae.⁵⁾

Undenam hanc divisionem theologiae moralis deprompsit Prokopovicius? . . . Compertissimum est in rebus dogmaticis tractandis praecipuum ei magistrum fuisse *Amandum Polanum*, qui Hanoverae anno 1610 in lucem edidit *Syntagma theologiae*.⁶⁾ Ad methodum vero tractandae theologiae moralis, constat etiam pressius eum vestigia persecutum esse lutheranorum theologorum *Ioannis Gerhardi*,⁷⁾ *Ioannis Quenstedt*,⁸⁾ et *David Hollasii* (Hollaz).⁹⁾

In theologia morali pertractanda, methodum Prokopovičii, id est theologiae moralis lutheranae methodum plus minusve secuti sunt PLATON LEVŠIN, metropolita mosquensis († 1812); EUGENIUS РОПОВ, *πρωτοιερέύς*; LEONTIUS, metropolita mosquensis († 1893); NICOLAUS THAVOROV *πρωτοιερέύς*. Hosce inter scriptores clarissimum tenet locum Platon Levšin.¹⁰⁾ Imbuendo christianae fidei praeceptis principe Paulo Petrovicio, PLATON parvum compendium theologiae et dogmaticae et moralis exaravit, quod inscripsit: Бого-словія, или православное учение, сочиненное для употребленія государя Цесаревича и великаго Князя Павла Петровича, учителемъ его въ законѣ, іеромонахомъ, нынѣ митрополитомъ московскимъ Платономъ, Mosquae, 1765. Praeclaris laudibus prosecuti sunt hocce compendium scriptores russi, hanc potissimum ob causam, quod in eo conscribendo, contra veterem consuetudinem latinum sermonem adhibendi, russicum usurpavit. Tertia pars operis, sub titulo generali De lege Dei, ad exemplum theologorum protestantium, verbi gratia Gerhardi, qui eadem utuntur denominatione, theologiam moralem evolvit. Axioma „fides sine operibus mortua est“ primum explicatur. Deinceps ostenditur ipsammet legem divinam differentiam statuere inter bonas et pravas actiones, ac definitis lege naturali et conscientia, Platon tuetur

⁵⁾ Christianae orthodoxae theologiae in academia kioviensi a Theophane Prokopowicz eiusdem academiae rectore, postea archiepiscopo novogrodensi adornatae et propositae, Lipsiae, 1782, t. I, p. 10—11.

⁶⁾ ТИХОМИРОВ, Трактаты Теофана Прокоповича о Богѣ единомъ по существу и троякомъ въ Лицахъ, Petropoli, 1884, p. 101—106.

⁷⁾ GASS, Geschichte der protestantischen Dogmatik in ihrem Zusammenhange mit der Theologie überhaupt, t. I, Berolini, 1854, p. 259—300.

⁸⁾ Ibid., p. 357—378.

⁹⁾ Ibid., t. II., p. 495—499.

¹⁰⁾ De eo egimus in *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. I, pag 167—168.

decalogum mosaicum explicationem habendam esse legis naturalis, de singulisque ipsius praeceptis testimonium dare conscientiam. Haec praecepta duobus nituntur fundamentis, amore Dei, et amore proximi. Agitur exinde de praeceptis decalogi singulatim, ad eaque implenda statuitur necessaria gratia divina, quae precibus acquiritur. Quidquid vero nostris precibus debemus a Deo postulare, id nobis aperiri precatione dominica, quam explicat.

Si rerum tractandarum ordo in theologia morali Platonis comparetur cum methodo quam secutus est IOANNES GERHARDUS in tertio et quarto volumine Locorum theologicorum (Francofurti 1657) statim patebit theologum russum scriptores protestantes sibi magistros adscivisse. Hoc idem fatentur historici theologiae russicae, velut S. Smirnov¹¹⁾ et A. Bronzov.¹²⁾ Anno 1892 in Bogoslovskij Věstnik LEONTIUS LEBEDINSKIJ archimandrita, qui post aliquid temporis ad sedem metropolitanam mosquensem est evector, edidit suas lectiones Theologiae moralis¹³⁾ Methodus eius vix ac ne vix quidem discrepat a methodo theologorum quos supra memoravimus. In prooemio agitur de vetere homine quatenus ipsius vita refertur ad cor, ad voluntatem liberam, ad rationem, ad conscientiam. Contra hominem sub lege positum V. T. oritur homo renatus, quem lex N. T. perficit novisque auget viribus. Vitae christianae quam ipse agit principia et fontes habentur gratia, paenitentia, fides. Gratia principium est novae vitae. Ad eam quod attinet, Lebedinskij disserit de modis praecipuis quibus gratia intervenit hominis consiliis, ut eum ad novam perducatur vitam; de gradibus vitae gratiae; de obstaculis quibus praepedimur in vita spirituali agenda. Exhibetur deinceps natura paenitentiae et fidei, sive in se ipsis sive in suis mutuis rationibus. Proponitur amor ut principium agendi in anima christiana, ut virtus christiana fundamentalis, quae radix ceterarum habetur. Hic amor in varias virtutes quae spectant Deum expanditur (ut sunt timor Dei, oboedientia, spes in Deum, zelus in fide, et precatio); semetipsum (abnegatio, vera aestimatio sui ipsius, contemptus sui, cura salutis et progressus facultatum ad intellegentiam et ad mores pertinentium, subiciendi corporis animae, domandarum affectionum in sensibus positarum, cura vitae, sanitatis physicae, bonorum huius vitae, bonae famae, privilegiorum societatis); proximum (iustitia, magnanimitas, beneficentia, affabilitas, misericordia, comitas, amoenitas, sinceritas, veracitas, exhortatio et correctio fraterna in pietate, fide, oeconomia domestica, vitiis ac defectibus; bonum exemplum; cura vitae, salutis, bonorum huius vitae, famae proximi: cura mortuorum).

¹¹⁾ Исторія тронцкой лаврской семинаріи, Москва, 1867, p. 244

¹²⁾ BRONZOV, Op. cit., p. 37—38.

¹³⁾ Изъ лекцій по нравственному богословію, читанныхъ въ кіевской духовной академіи. Богословскій Вѣстникъ, 1892, t. II, p. 1—33; III p. 1—38. Has lectiones habuit annis 1852—1857. Vita defunctus est die I augusti 1893. Vide I. KORSUNSKIJ, Леонцій, митрополитъ московскій, Богословскій Вѣстникъ, 1893, t. III, p. 390—419.

Ut Stephanus episcopus adnotat in obiecto ac divisione obiecti theologiae moralis definiendo, Leontius vestigiis ingreditur eorum, quorum superius mentionem iniecimus.¹⁴⁾ In compluribus tamen rebus videtur usus esse opusculo EUGRAPI VESELOVSKII hieromonachi, quod sine anni indicio in lucem editum est hoc titulo insignitum: Разсужденіе о коренномъ началѣ христіанской дѣятельности (Meditatio de principio radicali rerum a christianis gerendarum).¹⁵⁾

Ad scholam Prokopovicij pertinet NAZARIUS ANTONOVIČ THAVOROV *πρωτοιερεὺς*, qui anno 1863 Kioviae typis edidit *Очерки нравственнаго православнаго христіанскаго ученія*.¹⁶⁾ In prima sectione sui operis agit de moralitate in genere, cuius fundamenta statuit legem moralem, positam in nostra ratione et conscientia, et liberam voluntatem hominis. Confutato utilitarismo, vinculum dicit intercedere inter moralitatem et religionem. Incredulitatem ait Thavorov, sepulcrum esse moralitatis. Adiungit hominem mera observantia legis revelatae salutem aeternam adipisci non posse; quapropter vita pura et sancta in nobis exoritur ex semine benedicto, quod Iesus Christus per fidem immittit in cor nostrum. Statuit exinde praecipuam legem moralium actum humanorum ponendam esse in amore Dei et proximi deprompto ex spirituali animae christianae cum Iesu Christo coniunctione cernendoque in studio boni atque in certamine adversus perturbationes carnis pravasque cogitationes. Tenet Thavorov praecepta evangelica contineri in praecepto amoris: plurima tamen ex eis potius esse consilia, ad perfectionem pertinere, qua exornari debeat homo christianus. Hasce virtutes eo quo exponuntur ordine in sermone dominico de beatitudinibus enucleat. Ex earum cumulo exoritur habitus vere christianus. Qui suo in corde legem divinam statuit, qui virtutibus evangelicis instruitur, hic fontes purae moralitatis in seipso gerit.¹⁷⁾

Scriptoribus, quos iam commemoravi, adiungendus est EUGENIUS POPOV *πρωτοιερεὺς*, qui anno 1876 Permiae typis mandavit lectiones populares quae inscribuntur: *Общонародныя ученія по православно-нравственному богословію въ порядкѣ десяти заповѣдей божіихъ*.¹⁸⁾ Hocce opus, Stephanus episcopus, auctoritate carere in rebus doctrinae dicit¹⁹⁾. Moralem enim instructionem populi sibi potius proponit, quam pastorum animarum. Et quia nostra (solum?) aetate vita moralis populi magis in peccatis quam in virtutibus cernitur, de vitiis potissimum agit. Totam vitam christianam ad amorem Dei, proximi, sui ipsius revocat: inde ori-

¹⁴⁾ Op. cit., p. 14—15.

¹⁵⁾ BRONZOV, op. cit., p. 102.

¹⁶⁾ De hoc scriptore egit IOANNES KOROL'KOV: *Протоіерей Назарій Антоновичъ Фаворовъ*, Труды академіае ecclesiasticae kioviensis, 1897, t. 1, p. 454—487.

¹⁷⁾ STEPHANUS, op. cit., p. 28—30; BRONZOV, Op. cit., p. 172—174.

¹⁸⁾ Altera editio petropolitana emissa est anno 1901.

¹⁹⁾ Op. cit., p. 243—244.

untur officia erga Deum, proximum, seipsum. In praeceptis decalogi totum systema theologiae moralis continetur, quod in id tendit, ut pravae affectiones hominis magis magisque coartentur.²⁰⁾

Huiusmodi systemata theologiae moralis, si Stephanum episcopum audiamus, gravissimas exhibent lacunas. In eis, theologorum protestantium more, momentum, quod Ecclesia habet ad vitam moresque christianos, parvi penditur, atque obnubilatur. De virtutibus agitur, quatenus ex convenientia spiritus cum lege morali profluunt, vel ex bonis dispositionibus voluntatis et cordis. At Ecclesia orthodoxa docet, perfectionem moralem animae post lapsum hominis non fieri nisi ope gratiae divinae purificantis, quae gratia christiano comparatur per Ecclesiam. Coniunctio cum Ecclesia, et collata ab ea sanctificationis auxilia condicio habetur omnino necessaria vitae spiritualis christianae, et proinde de coniunctione hac, de his auxiliis sanctificationis disserendum est in theologia morali.

Obici potest, harum rerum tractationem ad theologiam dogmaticam vel pastorem pertinere. At in illa non agitur nisi de institutione divina Ecclesiae et sacramentorum; in hac vero de modo ac de regulis servandis in sacramentis perficiendis. Utraque tamen theologia aliena est ab innuendis atque explicandis dispositionibus, atque intimis sensibus quibus homo christianus, ut membrum Ecclesiae, ad sacramenta et instituta Ecclesiae refertur, neque quaeritur ibi, quatenus ex eis praecepta ad nostram vitam moralem quod attinet promanent. Non desunt qui huiusmodi rerum tractationem pertinere dicant ad theologiam asceticam, quae de modis exponit, quibus perfectionem morum assequi possimus. Sed ascetica, etsi potest proculdubio haberi pars theologiae moralis, hanc tamen non tollit. Methodus igitur scriptorum, qui theologiam moralem ad aretologiam revocant, probari nequit, quia ratio theologiae moralis non consistit in sola descriptione virtutum.²¹⁾

Altera schola theologiae moralis apud Russos ducem habet ac magistrum THEOPHYLACTUM GORSKIJ, episcopum Colomnensem († 1788), qui typis edidit opus quod inscribitur: *Orthodoxa orientalis Ecclesiae doctrina de credendis et agendis*, Lipsiae, 1784.²²⁾ Ex systemate *Ioannis Francisci Buddei* lutherani methodum theologiae moralis tractandae deprompsit Gorskius, unde mirum non est quosdam theologos huius scholae opinari, doctrinam catholicam pelagianismo infectam esse, ut theologus lutheranus quem supra nominavi perfricta fronte decrevit.²³⁾ Alterum huius operis volumen, proprio titulo orna-

²⁰⁾ BRONZOV, op. cit., p. 262—263.

²¹⁾ Op. cit., o. 241—246.

²²⁾ PALMIERI, Op. cit., p. 169—170.

²³⁾ *Isagoge historico-theologica ad theologiam universam singulasque eius partes*, Lipsiae, 1727, p. 730. Opus *Buddei* ex quo hausit Gorskius inscribitur: *Institutiones theologiae moralis variis observationibus illustratae*, Lipsiae, 1727.

tum,²⁴⁾ compendium exhibet theologiae moralis. Ut iam commemoravimus, methodum Buddei secutus est, qui tuetur hominem teneri ad illud agendum quod eum ducit vel ducere videtur ad conjunctionem cum Deo, ad restaurandam eius imaginem, atque ad illud vitandum quod huic proposito opponitur. Itaque agit de essentia renovationis et sanctificationis hominis, de iurisprudencia divina, de legibus divinis officiisque iis impositis, de prudentia christiana, de principiis moralibus in singulis causis applicandis. Ac tanta est similitudo inter methodum hanc tractandae theologiae moralis, et methodum Gorskii, ut Bronzov vere dicere potuerit Gorskium perpetuo prae manibus habuisse, ut exemplar, opus Buddei.²⁵⁾ Ac primum agit de legibus generalibus divinis, earumque promulgatione et vi obligatoria, de finibus legum divinarum in variis condicionibus; de legibus absolutis et relativis; de conscientia et poenis. Deinde aggreditur ad tractandas leges divinas particulares, decalogum, officia christiana erga Ecclesiam, societatem civilem, familiam. Denique de rebus exponit, quibus homo iuvetur in lege divina observanda; de immaturitate et tentationibus eorum qui renati sunt ad vitam; de certamine inter carnem et spiritum; de via ad sanctitatem acquirendam; de prudentia christiana, imprimis pastorum animarum. Hac divisione materiae, ut ait Stephanus, theologia moralis in ethicam christianam convertitur.²⁶⁾ Praeter Buddeum, magistros etiam sibi delegit Gorskij lutheranos *Ioannem Mosheim*,²⁷⁾ *Ioannem Schubertum*,²⁸⁾ *Ioannem Millerum*.²⁹⁾

Methodum Gorskii imitati sunt, protoierevs IACOBUS ARSEN'EV in opere ex latino verso (ignoti scriptoris), quod inscribitur: Бого-словія нравственная или христіанскія наставленія. въ которыхъ ясно и твердо доказаны должности христіанна, въ общественномъ или гражданскомъ, въ домашнемъ находящагося, Mosquae, 1904.³⁰⁾ Tribus partibus scriptor quaestiones complectitur (de principiis et regulis officiorum christianorum; 2 de ipsis christianorum officiis; 3 de viribus spiritualibus.³¹⁾ *Locis Sacrae Scripturae* abunde utitur, immo totum opus horum locorum analysis atque explicatio est. Ab hoc opere non multum differt alterum compendium theologiae moralis, nomine non indicato editum quod in-

²⁴⁾ Orthodoxae orientalis Ecclesiae doctrina christiana de agendis, seu de actionibus hominum regenitorum ad legem Dei confirmandis, usibus eorum, qui studio theologico sese consecrarunt addixeruntque, adornata accommodataque, Lipsiae, 1784.

²⁵⁾ Теофилактъ постоянно имѣлъ у себя подъ руками въ качествѣ руководства систему Буддееву. — *Op. cit.*, p. 41.

²⁶⁾ *Op. cit.*, p. 6—7.

²⁷⁾ *Sittenlehre der heiligen Schrift*, Helmstadii, 1742—1770 (9 volumina).

²⁸⁾ *Institutiones theologiae moralis*, Ienae, 1759.

²⁹⁾ *Vollständige Einleitung in die theologische Moral überhaupt und in die mosheimische insbesondere*, Lipsiae, 1772; *Lehrbuch der ganzen christlichen Moral zum allgemeinen Gebrauche*, Lipsiae, 1773.

³⁰⁾ De vita scriptoris egimus in *Nomenclatore*, t. I, p. 114—115.

³¹⁾ BRONZOV, *op. cit.*, p. 10.

scribitur: Сокращенная нравственная богословія, въ пользу обучающагося юношества и всѣхъ христіанъ, хотящихъ познавать и исполнять свои должности, Petropoli, 1805.³²⁾

Anno 1817, die septimo septembris baccalaureus GREGORIUS ALEXANDROVIČ LEVICKIJ in academia ecclesiastica mosquensi lectiones theologiae moralis coepit tradere. Quae lectiones lucem fori haud aspexerunt. Ab eodem conscriptus est *Conspectus theologiae moralis*, quem Stephanus ait summi momenti fuisse ad vicissitudines theologiae moralis russicae.³³⁾ Tres in partes dividit theologiam moralem, spectato subiecto, obiecto, modo agendi. Prima pars vocatur ethica christiana, et ea quattuor explicantur quaestiones 1 de statu hominis naturalis, non renati; 2 de statu hominis spiritualis seu renati; 3 de rebus, quibus vita spiritualis foveatur; 4 de methodo inquirendi. Altera pars iurisprudentia divina appellatur. In ea, primum enucleato conceptu iuris, disseritur de officiis communibus et particularibus hominis renati erga Deum, homines, seipsum. Tertia parte, quae dicitur prudentia vel sapientia christiana, inquiritur in officia christianorum erga ecclesiam, ac praecipue in officia pastorum animarum.³⁴⁾ In suo „conspectu“ conscribendo praecipuum ducem habuit Levickij *Buddeum*.³⁵⁾ Complura etiam hausit ex *Ioanne Arndtio*, cuius percelebre opus *Von wahren Christentum*, maxime commendavit suis discipulis,³⁶⁾ atque *Ioanne Hoornbeckio*.³⁷⁾

Ad normam huius conspectus suum opus de officiis viri christiani composuit protoierevs BASILIUS BORISOVIČ BAŽANOV.³⁸⁾ Archimandrita PLATO THIVEJSKIJ, rector seminarii vladimiriensis anno 1854 typis edidit *Compendium theologiae moralis orthodoxae*, quo praecipue de officiis christianis agitur.³⁹⁾ Methodum praecedentium scriptorum secutus est Thivejskij; sed *Iosephum Ambrosium Stapfium*, tirolensem theologum catholicum⁴⁰⁾ ipsius vestigiis persecutus est, cuius compendium theologiae moralis,⁴¹⁾ ut abunde Bronzov ostendit, interdum compilavit.⁴²⁾ Prima parte

³²⁾ СОРИКОВ, Опытъ російской библиографіи, Petropoli, 1904, t II n. 2280, p. 35; BRONZOV, op. cit., p. 47—49.

³³⁾ Op. cit., p. 8.

³⁴⁾ Ibid., p. 8; BRONZOV, op. cit., p. 24.

³⁵⁾ SMIRNOV, Исторія московской духовной академіи до ея преобразованія, Mosquae, 1879, p. 24.

³⁶⁾ BRONZOV, op. cit., p. 56—57.

³⁷⁾ *Theologia practica*, Traiecti ad Rhenum, 1663.

³⁸⁾ Объ обязанностяхъ христіанина, Petropoli, 1839; de scriptore egimus in *Nomenclatore*, t. I, p. 189—190.

³⁹⁾ Православное нравственное богословіе, Mosquae, 1854. De scriptore, qui archiepiscopus kostromensis creatus est anno 1868, ac mortem obiit die 12 maii 1877 agit SMIRNOV in opere de academia mosquensi, quod supra commemoravi, p. 428—429.

⁴⁰⁾ HURTER, *Nomenclator Litterarius*, t. V, col. 1151.

⁴¹⁾ *Theologia moralis in compendium redacta*, Oeniponte, 1831—1833 (quattuor volumina).

⁴²⁾ Op. cit., p. 148—152.

ethica christiana generalis exponitur. In ea agitur de lege aeterna obiective considerata; de lege morali subiective considerata; de executione legis divinae; de conversione peccatoris; de diiudicatione actuum humanorum. Altera pars ethicam applicatam continet: agitur de regno Dei ut est intra nos; de regno Dei ut refertur ad nos ipsos; de regno Dei ut refertur ad homines alios.

Anno 1860, *πρωτοιερεὺς* PAULUS THEODOROVİČ SOLJARSKIJ, vita defunctus est die 4 maii 1900⁴³⁾ typis mandavit primum volumen ingentis operis „Specimen theologiae moralis“,⁴⁴⁾ quod annis 1862 et 1863 secundum ac tertium volumen secuta sunt. In hoc opere, quod complures omnium optimum duxerunt, primum agit de principiis moralitatis in genere; ac de principiis moralitatis christianae in specie. Deinceps de morali condicione hominis; de natura humana eiusque dignitate; de facultatibus et copia ei concessa ad finem suum assequendum; de lege morali in genere atque in specie, de lege christiana; de supremo principio moralitatis christianae; de iis, quae movent ad legem moralem observandam, de morali imputatione; de virtute; de peccato; de modis servandae et perficiendae vitae moralis christianae. In altera parte expositio particularis officiorum christianorum continetur. Dissertitur de officiis erga Deum, erga nos ipsos, erga alios homines, maxime secundum decalogum. Opus disputationibus de sapientia christiana, et de officiis erga bruta animantia absolvitur. Tria volumina in unum scriptor contraxit volumen anno 1862.⁴⁵⁾

Quamquam methodum Buddei imprimis secutus est Soljarskij, tamen ipse in prooemio fatetur, permulta hausisse se ex scriptis catholicorum, maxime Ioannis Georgii Riegler⁴⁶⁾ et Stapfii illius, quem supra commemoravi, et Henrici Schreiber.⁴⁷⁾ Hocce tamen non obstitit quominus maximam auctoritatem ipsius opus sibi conciliaret in academiis ecclesiasticis et seminariis russicis. Soljarskium scriptorum occidentalium morem secutum innumeris divisionibus ac distinctionibus methodi scholasticae propriis, rerum moralium tractationem implicasse Stephanus dolet.⁴⁸⁾

Inter scriptores theologiae moralis qui et catholicorum et protestantium scriptorum auctoritatem secuti sunt, ab eodem Stephano episcopo recensentur: protoierevs IOANNES HALKOLIVANOV;⁴⁹⁾

⁴³⁾ Церковный Вѣстникъ, 1879, п. 39, pag. 14—15; 1890, п. 19, pag. 328—329; Церковныя Вѣдомости, 1900, п. 21, р. 697—698; RODOSSKIJ, Биографическій словарь студентовъ первыхъ XXVIII-и курсовъ с.-петербургской духовной Академіи, Petropoli, 1907, р. 466—467.

⁴⁴⁾ Записки по нравственному богословію, Petropoli, 1860—1864.

⁴⁵⁾ Нравственное православное богословіе, Petropoli, 1869.

⁴⁶⁾ Die Christliche Moral, Bambergae, 1835; HURTER, Nomencl., t. V, col. 932; Compendium der christlichen Moral nach der Grundlage der Ethik des M. von Schenkl, Augsburg, 1836.

⁴⁷⁾ Lehrbuch der Moral-Theologie, Friburgi Brisgoviae, 1831, 1832 (duo volumina).

⁴⁸⁾ BRONZOV, op. cit., p. 162—172; СТЕПАНУС, p. 16—19.

⁴⁹⁾ Православное нравственное богословіе, Samarcae, 1872; BRONZOV, op. cit., p. 218—223.

archimandrita GABRIEL, postea episcopus urbis Omskii, cuius opus ingens, fere 1000 paginas continens multis scatet lacunis;⁵⁰⁾ πρωτοιερεὺς N. KAMENSKIJ (episcopus Nicanor), qui complura iniuste exprobravit scriptoribus catholicis, velut, cum s. Thomam Aquinatem theologiam moralem modo scriptorum ethnicorum exposuisse scribit;⁵¹⁾ ALEXIUS POKROVSKIJ, qui vestigia Soljarskii premebat;⁵²⁾ M. A. OLESNICKIJ, professor academiae ecclesiasticae kioviensis.⁵³⁾

Quomodo haec vis theologorum lutheranorum diiudicatur a recentioribus historicis theologiae moralis russicae? — Vis omnino externa consideratur, quae ad methodum tractandi, rerumque tractandarum ordinem pertinet, non tamen ad doctrinas morales. Et in hac re theologos orthodoxos cum detrimento theologiae orientalis occidentalium auctoritati obnoxios fuisse, propterea quod, ut illi aiunt, formalismum atque iuridismum in theologiam moralem induxerint.

Si episcopum Stephanum audiamus, in doctrina morali ab illis, quos supra nominavimus explicanda bonum morale proponitur voluntati humanae tanquam officium exsequendum, quo fit ut moralis doctrina proponatur ut doctrina de officiis humanis, de eo quod faciendum sit vel vitandum. Sequitur moralitatem referri ad externas hominis actiones, non autem ad intestinos motus voluntatis, qui illas praecedunt.

Quam vero censent radicem esse huius modi doctrinae moralis? Stephanus quidem eam inniti catholicae doctrinae de iustificatione hominis existimat, quae iuridismo infecta sit (cf. AAV VII 208; VIII 70). Morales actiones determinari dogmatis de satisfactione, purgatorio, indulgentia(!); spiritum evangelicum parvi pendere; legem moralem in sexcenta praecepta vel vetita discerpi et comminui; ad iugum Christi suave ferendum non valere amplius humeros. Hac de causa compendia theologiae moralis catholicae ἐγκυκλιωπαιδείας factas esse sententiarum iuridicarum, praeceptorum, vetitorum, quae omnia ferant ariditatem, inopiam spiritus christiani. Cur igitur scriptores orthodoxi systema Buddei, eorumque, qui eum secuti sunt, adoptaverint? Sine dubio ob eius simplicitatem, propterea quod officia manantia ex doctrina Iesu Christi, quae norma est nobis lexque moralis, per triplicem amorem in Deum, proximum, seipsum, optime distribuat.

⁵⁰⁾ Православное нравственное богословіе, составленное примѣнительно къ программѣ семинарскаго курса, Твер, 1885; 1891.

⁵¹⁾ Православно-христіанское нравственное богословіе, примѣнительно къ новой семинарскаго программѣ. Kazan, 1888; 1891. — BRONZOV, op. cit., p. 228—233.

⁵²⁾ Православно-христіанское нравственное богословіе, примѣнительно къ программѣ дух. семинаріи, Samarae, 1891; Saratoviae, 1910. — BRONZOV, op. cit., p. 239—242.

⁵³⁾ Нравственное богословіе или христіанское ученіе о нравственности, Kioviae, 1892; Petropoli, 1907 (quarta editio). — BRONZOV, pag. 242—245.

De iuridismo, qui obicitur theologis catholicis, alias disse-remus. Satis habeo in praesens monere theologiam moralem catholicam non solum ut extrinsecus serventur praecepta de moribus mandare, sed etiam, quin potissimum, humani cordis sensus, affectiones, dispositiones, motus interiores legi Dei subicere. Sed fusius de hac re alias. Hoc autem addere in animo est, theologiam moralem apud catholicos verae doctrinae rationem induisse, quae licet suas habeat lacunas, tamen si methodus atque obiectum spectatur, absoluta est, atque in dies perficitur. Hoc forsitan de theologia morali Ecclesiarum orthodoxarum negandum sit, ut fidentur ipsi scriptores russi. Apud Graecos fere ignoratur haec disciplina, atque apud Russos, ut ait Grenkov, theologia moralis haud scribitur vivis hominibus, sed societati infinitae, sine anima, sine carne et sanguine; „nostra theologia moralis maxime laborat molestissima diligentiae perversitate neque est, qui eius vocem audiat“.⁵⁴⁾

A. Palmieri.

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium.

Charles Gore, The question of divorce. London 1911 (57 p.)
K 1·20.

Scriptor illustris hoc libello omne divortium vetitum esse a Christo nititur, principiis sacrorum librorum explicandorum a communi theologorum catholicorum sententia alienis innixus. P. 23 docet Christi doctrinam veram enuntiatam esse apud Marcum et Lucam, non apud Matthaeum. Concedi enim apud Matthaeum marito, ut dimissa uxore adultera alteram ducat. Quodsi quaeratur, sitne illud Christi mandatum an sententia, qua id quod optimum sit, dumtaxat enuntietur vel etiam commendetur (cf. Sl. I. th. IV, 17) respondet p. 46: I think then we must conclude that it is in the highest degree probable that Our Lord prohibited divorce to His disciples absolutely. And, as against those who would say that He was only stating an ideal and not promulgating a law, I should urge that His saying was never understood except as a commandment addressed to the Christian conscience such a must form the basis of a specific law; and indeed the treatment of Our Lord's words in the first Gospel, by the introduction of a detailed exception, show that they were in fact regarded as a specific commandment.

⁵⁴⁾ Православный Собесѣдникъ, 1873, t. I. p. 166. De historia theologiae moralis apud Russos perlegendi sunt imprimis: A. I. GRENKOV, Первоначальное проповѣданіе науки о христіанскомъ правоученіи и краткая ея исторія, Правосл. Собесѣдникъ, 1875; OLESNICKIJ, Исторія нравственности и нравственныхъ ученій, Kioviae, 1882; ID., Изъ системы христіанскаго правоученія, Kioviae, 1896, N. P. ARHANGELSKIJ (Stephanus episcopus), Задача, содержаніе и планъ системы православно-христіанскаго правоученія, Simbirsk, 1894.

Tamen exceptionis ap. Matthaeum bis repetitae habita ratione verborumque interpretationis obviae scribit *G* p. 48: „it cannot justly be denied that it is competent for any part of the church to admit the principle that adultery does, potentially at least, dissolve marriage in such sense that it enables the innocent husband, by public judicial process, to divorce an adulterous wife and to marry again; and though it is probable, in view of the Jewish origin of the first Gospel, that it was not intended to give a like liberty to a wife to divorce an adulterous husband and re-marry, it can hardly be denied that the church which can grant this liberty of divorce and re-marriage to the man, can grant it also under like circumstances to the woman. — Sed, ut ait p. 47—8, ecclesia non habet potestatem decernendi quicquam, quod pugnet cum voluntate Christi. Itaque certe non potest permittere divortium in causis, quas a vetito excipi nullo sacrorum librorum N. T. loco commemoretur; neque privilegium Paulinum ad christianos extendi potest.

Viator, **Divorce in its ecclesiastical aspect.** A rejoinder to „The question of divorce“ by Charles Gore D. D., D. C. L., LL. D. Lord Bishop of Birmingham (now of Oxford). London 1912 K 1.20.

Hic liber scriptus est ad eum, quem modo indicavimus, refutandum. In sacris libris N. T. generalia dumtaxat principia enuntiari scriptor sentit, aliis condicionibus aliter accommodanda.

Ad argumentum, quod adversarii ex apostolorum animis obstupefactis sumunt, refellendum docet p. 19 Hillelianis doctrinam Šammaianam, qua uxoribus magna licentia concederetur, cum honestis moribus pugnare visam esse. Christum, qui Mt. V 27. 28 adulterium etiam corde solo committi posse docuerat, etiam Šammaianorum sententiam excessisse. Cum postularet, ut constaret de adulterio commisso — quae res difficillime probatur — aliquid inopinatum eum proposuisse. — Si Christus divortii copiam nullam esse docere voluisset, tribus verbis id enuntiari potuisset: „mystification was never His purpose.“ (cf. p. 44). — Verba a Matthaeo commemorata aliorum evangeliorum nuntiis temperanda non esse; non solum eadem auctoritate esse qua reliquos locos, sed etiam magis ea valere, quippe quae uberiora sint iisque accuratissimum sententiae Christi testimonium minime ambigue enuntietur (p. 20).

Apud Marcum 10, 11 consideranda esse verba ἐπ' ἀδελφῶν „super eam“ (p. 27). Quae sane deliberate addita esse; unde apparere, Christi sententiam non esse veram sine iis; si enim maritus in omni casu adulterium committit novam ducens uxorem, cur illa verba addita sunt? „The remarriage of the quondam husband is not adulterous“ (p. 28).

Ad s. Lucae (16, 18) testimonium adnotatur, eum certe S. Pauli doctrinam non ignorasse; quod autem scriberet christianis paganis,

ubi non esset tribunal aptum ad determinandum adulterium, quo caverentur omnia quae cavenda sunt (p. 43: tribunal of more than doubtful character), sicut nunc deest in regionibus missionum et defuit etiam in Europa aetate media, eum generale tantum commemoravisse principium, non exceptionem, ne abusus fieret (p. 31).

1 Cor. 7, 17 indicari ait V., esse nonnumquam eam rerum condicionem, ut lex firma ac stabilis proponi non queat (p. 35.). V. 26 et vocem ἀνάγκη referenda esse ad condicionem (leges vel consuetudines) regionis paganae, ubi divortium ex quavis causa concessum fuerit, et ubi defuerit tribunal aptum ad iudicandum de causa adulterii. Cum v. 27 scriptum legatur „solutus es?“, apparere, verbis „noli quaerere solutionem“ consilium significari, non mandatum; quapropter, etsi separetur et novum ineat matrimonium. eum non peccare (v. 28); neque enim contendere posse apostolum docere voluisse nuptias natura sua non esse peccatum (p. 37).

Quod conjugium comparetur cum coniunctione inter Christum et Ecclesiam, afferri non posse contra divortii copiam coniugi insonti, commisso ab altero adulterio, concedendam; quin etiam „the contrary is indicated“ (p. 40).

E Io 8, 1—11 cognosci, etiam Hierosolymis, ubi Romani plurimum valebant, adulteras mortis poena affectas esse. Itaque non fuisse, cur consideraretur quaestio novi matrimonii coniugis insontis (ibid.; cf. p. 19). Illud vero liceretne uxori separari ab adultero marito necne, ibi quaeri non potuisse, ubi polygamia tolerata sit (p. 76).

Si uxor insons denuo nubat, non esse idem ac si maritus aliam ducat uxorem. Adulterium solum non esse causam satis magnam divortii concedendi (p. 45). Uxorem adultero assentientem se ipsam marito privavisse nec duos illos iam esse unam carnem (cf. Sl. I. th. IV 272), adulterum separavisse quod Deus coniunxisset — matrimonium esse dissolutum. Societatis civilis et liberorum interesse coniuges inter se separari aequae ac morte; sanctitatem familiae et matrimonii id poscere. Praesertim, si maritus munere suo separatus degat a liberis, eum, qui novas nuptias impediatur, cogere illum, ut mulieris inhonestati indulgeat, et plurimorum malorum esse causam (p. 47). Quodsi eadem poena afficiatur coniux innocens atque adulter (separatione a mensa et toro, praesertim, si eius sit cura liberorum, nihil aliud fieri, nisi praemium concedi inhonestati (p. 48). — Inter maritum adulteram et uxorem adulteram aliquid interesse: non eadem esse, quae eorum peccata consequantur (spuriae originis periculum, rei familiaris detrimentum); praeterea non eodem modo mores utriusque depravari; quam legem naturae usu omnibus cognitam esse (p. 49). Tamen, ubi maritus ita se gerat, ut separatio iudicialis posci possit, uxorem aequum ius divortii obtinere ac marito sit, si modo adulterium accedat (p. 50).

Contra Gore, qui p. 35 Origenem allegavit, V. negat huius testimonium ad novas nuptias coniugis insontis pertinere; tollendum

„ut minus malum“ esse potius novum matrimonium adulteri; nam hoc aliter excusari non posse nisi hac ratione, illas posse. (p. 52.)

Cum idem s. Io. Chrysostomum et Basilium appellat (p. 37), quos dicit docere aequalia esse iura mariti et uxoris et eodem modo mandatum ad utrumque pertinere, V. respondet: „Divinum illud mandatum ad adulterium tolerandum referri non potest, sed sine dubio ad rem apud Mt. 19 indicatam extendendam ad uxorem. This indicates that a considerable laxity of morals on the part of the husband had hitherto been permitted, and indicates a strong feeling against adultery, rather than against divorce“. (p. 53).

P. 55 scriptor indicat easdem rationes, ob quas matrimonium perpetuum esse debeat (amoris et pudoris rationem, prolis, si adest, emolumentum), pugnare cum novo matrimonio post nuptias irritas ineundo, quae contra divortium afferantur, nec interesse, utrum pactum ratum solvatur an pactum irritum fuisse declaretur; sed errat certe, cum matrimonii irriti diremptionem nihil aliud esse nisi nomen fictum (pseudonym) divortii putat. Matrimonium enim certe ut coniungitur cum sacramento quaedam officia fert, a quibus coniuges liberi sunt, si pactum irritum, sacramentum nullum est. Neque id concedi potest, quod p. 59 dicitur, caelibatum partis, cui iniuria illata sit, praesertim si liberi educandi sint, esse „a cruelly oppressive measure and conducive to acquiescence in immorality.“

Weidenauer Studien, IV. Bd. Wien 1911.

Ziesché, Die Sakramentenlehre des Wilhelm von Auvergne. P. 149–226.

Inter alia Guilelmi Alverni seu Parisiensis de divortio sententia exponitur (p. 189–190): Neque odium capitale neque morbus contagiosus divortii copiam faciunt, adulterio tamen commisso coniux adulter deserere potest et iniuriae ulciscendae causa et ad tuendum ius hereditatis et ob animorum alienationem. Nihilominus ecclesiam, cum ob temporum iniquitatem metueret, ne adulterium eo consilio committeretur, ut divortii copia fieret, ne ob adulterium quidem concedere aliud, nisi ut coniuges vel ad tempus vel in perpetuum a toro et mensa separarentur, existimat. Idem negat adulterium mariti et uxoris parem vim habere. 1 Cor, 7, 15 de altera causa iusta divortii Guilelmus videtur explicare.

Aug. Arndt, Kannten die Theologen des XVI. Jhd. den amor initialis? P. 227–270.

Fr. Rett, Zur Frage über Materie, Form u. Spender der Sakramente und die Gewalt der Kirche darüber. P. 271–333.

De ecclesia orthodoxa hic agitur, cum quaeritur de ministro sacramenti confirmationis. In presbyteris confirmantibus neque characterem sacerdotalem compleri neque externam quandam dignitatem iis tribui; nisi enim hoc statuatur, explicari non posse, cur potestas eius certa regione circumscribi

possit et semper circumscribatur. Rem ita esse etiam ab orientalibus facile concedi; etiam tum, cum post schisma dioeceseos alicuius fines inconsulta s. Sede mutati sint vel nova sedes episcopalis constituta; neque enim si unio fiat quaeri de dioecesibus coniungendis singulis sintne legitime constitutae; neque confirmationis eorum, qui convertuntur, valorem inde in quaestionem vocari. Presbyteros igitur simili quodam modo confirmationis ministros evadere, quo iurisdictionem accipiant (cf. Scot. In l. IV. d. 7, q. 1; Gregor. de Val., De confirm. disp. 5, q. 2.) etc. (p. 284).

P. 297—8 de epiclesi agitur; verba, quibus mysterium primo declarabatur (ἀποφύγη), postea a populo perperam esse intellecta.

P. 306-8 exponitur de deprecativa formula absolutionis a peccatis.

A. Špaldák.

L'Ami du Clergé. 1911.

Les prêtres catholiques d'Orient sont-ils tenus sub gravi de réciter l'Office divin en dehors du chœur?.. t. XXXIII pag. 761—762. Constitutiones romanorum Pontificum afferuntur quibus haec quaestio illustratur. Negatur legem absolutam statui posse, sed ex consuetudine quaestionem esse solvendam.

Revue pratique d'Apologétique. 1910—1912 (a. VI—VIII.)

L. Andrieux, La Communion des petits enfants avant l'âge de raison. 1910, t. XI. No. 126 p. 401—434: La Discipline ancienne. La Sainte Communion donnée aux petits enfants encore au berceau. Comment ce discipline disparut dans l'Église latine pendant le XIIIe siècle. Pourquoi cette discipline fonctionna, pourquoi elle disparut. („L'adulte privé de la communion sous l'espèce du vin, communia sous l'espèce du pain. Le petit enfant, à qui la communion sous l'espèce du pain était impossible, ne communia plus du tout. Voilà comment cette communion des tout petits enfants disparut. Là, à mon avis, est la véritable explication.“ p. 432—3).

J. Bousquet, Le problème apologétique soulevé par l'existence de l'Église grecque. 1912, t. XIII. No. 155 p. 801—820: L'Église „une“ existe-t-elle encore? — La véritable Église chrétienne est-elle reconnaissable et par quels moyens? — Détermination plus précise de la question (la situation respective et la relation réciproque des deux Églises).

Th. Mainage O. P., La psychologie de la Conversion et l'Apologétique. 1912, t. XIII. No. 156 p. 897—917: Définition expérimentale de la conversion. Convertis du dehors, convertis de l'intérieur; la conversion quotidienne etc.

Michel d'Herbigny, La consécration du premier évêque catholique de rite paléoslave pour le Canada. 1912, t. XV No. 174 p. 435—442.

J. Bousquet. Est-ce la faute des Papes si l'Église grecque est séparée de l'Église romaine. 1912, t. XIII. No. 161, p. 342 ad 364. A scriptoribus orthodoxis Romani Pontifices ambitionis accusantur; quod crimen falsum esse *B.* docet. Appellationes patriarcharum orientis,

qui ad romanam sedem confugiebant, commemorat. commercium inter Romanos Pontifices et Photium describit. In quo consistat culpa occidentalium innuit. Ait Romanos Pontifices insimulatos esse ambitionis ab iis, qui fines dominii sui ob hanc rationem, quod Constantinopolis esset caput urbis, proferre studebant.

The Church Quarterly Review, t. LXXIV, Londini, 1912.

C. A. Briggs, Symbolics and Irenics, p. 347—370.

Examini subicit scriptor haec opera: Kattenbusch, Lehrbuch der vergleichenden Konfessionskunde, Friburgi-Brisgoviae, 1891; Müller, Symbolik der christlichen Hauptkirchen, Lipsiae, 1896; Loofs, Symbolik, Tübingae, 1902; Curtis, A history of Creeds, Edimburgi, 1911. Exponit initio veram vim theologiae symbolicae, eiusque historiam breviter enarrat in ecclesia catholica atque apud protestantes. Quae rationes inter Symbolicam ac theologiam polemicam intercedant, explicat dilucide. Distinguit theologiam symbolicam fundamentalem, quae de symbolis oecumenicis agit, particularem, quae de confessionibus fidei particularium Ecclesiarum. disserit; comparativam quae eorum dissensum et consensum exponit. Exoritur inde triplex theologia, polemica, irenica, pragmatica. De tribus symbolis apostolico, nicaeno, athanasiano deinde loquitur, in quibus conveniunt praecipuae confessiones christianae. Exinde de libris symbolicis orthodoxis, quorum tres meminit, Confessionem orthodoxam Petri Mogilae, Confessionem Dosithei, Catechismum Philareti. Sequitur dissertatio de libris symbolicis catholicis et protestantibus. Tuetur theologiam polemicam derelictum fere iri, et comparativae locum cessuram. De origine theologiae irenicae demum disceptat, ac de praecipuis differentiis inter catholicos et protestantes. Tenet necessario distinguenda esse quae in Sacris Scripturis traduntur, ab eis quae theologi invenere, ac determinandum quae decreta theologica singulae Ecclesiae sibi ut propria usurparint. Christianam irenicam vocat novam theologiam, sed consecrarium omnium theologiarum praecedentium quia discordes sententias conciliare nititur.

The irisch theological Quarterly Review, Dublini, 1912, t. VII.

I. Rickaby S. I. Theodoret of Kurrhos, p. 64—80.

De anathematis Cyrillianis agit. Quaedam attingit in anathemate IX ad quaestionem illius Filioque spectantia.

The Month, 1912, t. CXIX.

N., The Uniats in Galicia, p. 505—509.

Respondet ad ea quae falso de Unitis in Galicia in Times (19 aprilis 1912) comes Vladimirus Bobrinski edidit. Imprimis Excell. Metropolitanam leopoliensem A. Szeptycky ab iniuriis tuetur ei illatis.

A. Palmieri.

VARIA.

De IV. conventu Velehradensi. Proponitur, ut conventus habeantur ante medium mensem Septembrem. Hoc tempus et alioquin esse opportunissimum neque Russis aliisque Slavis orthodoxis et catholicis aliud tempus esse opportunum. Rogantur igitur ii, quorum interest, ut nuntient nobis, num hoc tempus sibi expediat. Praeter Velehradum commendantur Thessalonice et Praga.

**De scriptis theologis ac philosophicis, quae typis
mandantur a societate libraria „Put“ („Via“).**

CATALOGUS LIBRORUM EDITORUM.

ОТДЕЛ I. Original'nyja proizvedenija.

N. A. Berdjaev, *Filosofija svobody*. C. 2 r. M. 1911. Str. IV+280. (Rec. „Russk. M.“, 1912. I, „Logos“. 1911 g.; Kn. 1).

S. N. Bulgakov, „Dva grada“. Izslédovanija o prirodě obščestvennyh idealov. V 2-ŕ tomah. C. 3 r. za oba toma. M. 1911. Str. XXI+303+1+313. (rec. S. Askol'dov. „Russkaja Mysl“, janvar', 1912; „Odesskij Listok“. 1911 g. No. 232 [L. Volohov]; „Russkoe Bogatstvo“, 1911; „Bogoslovskij Věstnik“ 1911, IV—V [P. S. Strahov] „Roma e Oriente“, 1911, II [W. Z.]. „Cerkovnyj Věstnik“, 1911, No. 13. „Novoe Vremja“, 1911, 18 nojabrja [V. V. Rozanov] „Utro Rossii“, 1912, 14 avgusta [A. I. Pokrovskij]).

S. N. Bulgakov, *Filosofija hozjajstva*. Čast' I. Mir kak hozjajstvo. C. 2 r., 1912. str. IV + 321. (rec. „Bjulleteni literatury“, 1912, No. 14—15, „Russkaja Mysl“, 1912, XII [rěč' avtora pered disputom i otzyv. P. B. Struve]. „Russkoe Bogatstvo“, 1912. „Russkija Vědomosti“, 22 sent. 1912 g. [otčet o disputě]. „Kievskaja Mysl“, sent. 1912 [idem]. „Logos“, 1912 [in recens. B. V. Jakovenko]. „Zavěty“, 1912 g.)

M. Geršenzon, *Žizn' V. S. Pečerina*. C. 1 r. 50 k. M. 1910. str. 1 + 226.

VI. Karpov, *Osnovnyja čerty organičeskago ponimanija prirody*. Pečataetsja.

I. V. Kirěevskij, *Polnoe sobranie sočinenij*. V 2-ŕ tomah s portretom pod redakciej M. O. Geršenzona. C. za 2 t. 4 r. M. 1911. Str. V+287. Str. 1+290. (Rec. Th. Steppun „Logos“, 1911 g. kn. 1; P. Sakulin „Russk. Věd.“, 1911. No. 12. A. Kornilov „Russkaja Mysl“, janvar', 1912).

L. M. Lopatin, *Filosofskija ģarakteristiki i rěči*. Čena 3 r. M. 1911. Str. 1 + 393. (rec. B. Ja—ko „Rus. Věd.“, 1911 g., No. 165; Sergius „Rěč“, 1912 g., No. 16; „Logos“, 1911—1912, kn. 2—3).

Kn. Th. Odoevskij, *Russkija noči*. Pod redakciej S. A. Cvětkova (s dopolnenijami i popravkami po rukopisjam). Pečataetsja.

Kn. *Evg. Trubeckoj*, VI. Solov'ev i ego dělo. Pečataetsja. Svjašč. *P. Florenskij*, Stolp i utverždenie istiny. (Opyt pravoslavnoj Theodicei v dvěnadcati pis'mah). Pečataetsja.

P. Ja. Čadaev, Sbornie sočinenij i pisem. Pod redakcij M. Geršenzona. Pečataetsja.

Svjašč. *S. Šukin*, Sbornik statej. (Okolo cerkvi i drugija). Pečataetsja).

V. Ern, Bor'ba za logos. C. 2 r. M. 1911. Str. VIII i 361. (Rec. „Rěč“, 1912 g., „Logos“ 1911—1912, kn. 2—3).

OTDĚL III. Russkie mysliteli.

A. A. Kozlov, — *S. Askol'dova*. C. 1 r. 50 k. M. 1912. str. VIII + 218. (rec. B. Ja—ko „*Rus. Věd.*“, 1912. No. 158).

G. S. Skovoroda (1722—1794).—*VI. Erna*. C. 2 r. 1912. str. 1 + 342.

A. S. Homjakov—*N. Berdjaeva*. C. 1 r. 60 k. M. 1912. Str. VIII + 250. („*Južnyj Kraj*“, 1912 g., No. 10802; Th. Steppun. „*Logos*“, 1911—1912, kn. 2—3).

Gotovitsja k pečati: *A. I. Buħarev*. (arħ. Thedor) *S. S. Rozanova*. — *N. V. Gogol'*. *V. V. Žėnkovskago*. — *K. N. Leon't'ev*. *V. V. Boradaevskago*. — o. *Serap. Maškin*. sv. *P. Florenskago*. — *M. M. Speranskij*. *A. V. El'čaninova*. — *Th. I. Tjutčev*. *Vjačesl. Ivanova*. — *N. Th. Thedorov*. *N. A. Berdjaeva*.

V dal'nějšem predpolagajutsja monografii o *Th. M. Dostoevskom*, *I. V. Kirěevskom*, *N. I. Norikově*, *VI. Solov'evě*, *L. Tolstom*, kn. *S. N. Trubeckom*, *P. Ja. Čadaevě*, *B. N. Čičerině*.

OTDĚL IV. Sborniki.

O *Vlad. Solov'evě*. Sbornik statej. Stati: *S. N. Bulgakova*. *Priroda v filosofii VI. Solov'eva*. — *Vjačesl. Ivanova*. O značenii *VI. Solov'eva* v sud'bah našego religioznago soznanija. *Kn. Evg. Trubeckogo*. *VI. Solov'ev i ego dělo*. — *Aleksand. Bloka*. *Rycar' monah*. — *N. Berdjaeva*. *Problema Vostoka i Zapada v religioznom soznanii VI. Solov'eva*. — *VI. Erna*. *Gnoseologija V. S. Solov'eva*. — *VI. Erna*. — *Bibliografija*. C. 1 r. 50 k. M. 1911. Str. II + 222. (rec. *S. Frank* „*Rus. Mysl'*“, oktjabr', 1911 g.; „*S.-Peterburg. Vědom.*“ 30 ijulja 1911 g.).

Religija L. Tolstogo. Sbornik statej: *S. N. Bulgakova*. — *L. N. Tolstoj*. — *V. V. Žėnkovskago*. — *Problema bezsmertija u L. N. Tolstogo*. — *Kn. Evg. Trubeckogo*. — *Spor Tolstogo i Solov'eva o gosudarstvě*. — *V. I. Ekzempljarskago*. — *L. N. Tolstoj i Ioann Zlatoust'*. — *S. N. Bulgakova*. — *Prostota i oproščenie*. — *And. Bělago*. — *L. Tolstoj i kul'tura*. — *N. A. Berdjaeva*. — *Vethij i novyj zavět v religioznom soznanii L. Tolstogo*. — *A. S. Volžskago*. — *Okolo čuda (o Tolstom)* — *VI. Erna*. — *Tolstoj protiv Tolstogo*. C. 1 r. 70 k. Str. III + 248. (rec. „*Logos*“ 1911—1912,

kn. 2—3; „Odes. List.“, 1911 g., No. 301; „Golos Moskvy“. 1912 g., No. 109; „Kievskaja Mysl“., 1912 g., No. 21, Utro Rossii“, 1912 g. No. 87.)

CONSPECTUS ANALYTICUS.

Praeclarus philosophus russus, Nicolaus Berdjaev, abhinc paucis annis novam apud Russos exoriri conscientiam religiosam confidenter testabatur. Ad huius conatus fovendos excitandosque doctissimorum virorum coetus Mosquae hoc sibi proposuit, ut copiosis in lucem editis voluminibus praecipuas ad vitam conscientiae religiosae quaestiones pertinentes illustraret. Discrepare enim a veritate censetur quod dicitur discidium plane absolutum laicos viros doctos ab Ecclesia abstrahere. Non desunt in eorum agminibus qui sincere peroptent ut fidei christianae principia toto orbe terrarum summa excolantur veneratione, ac russici potissimum populi vitam foveant.

Coetus virorum, qui libris edendis a societate libraria Put' praesunt, munus vindicat Russiae strenue adlaborandi ad principiorum, quae fides christiana tuetur, victoriam. „Russis huius aetatis onus incumbit rectam exquirendi semitam: hereditatem a maioribus acceptam examini iterum subiciendi, atque ad potiores vitae religiosae eventus nostrae aetatis sapientiam referendi“. Haec proposita ad effectum perducere vult ПУТЬ. Ad id consequendum opera oblivioni data russorum philosophorum vel parum cognita, si notiones religionis populi russici illustrent, in lucem dat. Insuper seriem voluminum publici iuris facit, quae sub titulo generali *Cogitandi auctores russi* (Русские мыслители), *Les penseurs russes* continentur. Praeterea opera scriptorum russorum nostrae aetatis divulgat, quae ad res religionis et philosophiae e sententia coetus explicandas pertinent. Denique typis mandanda parat scripta collecta (Сборники) quae vel de aliquo viro illustri vel de maximi momenti argumentis a compluribus viris conscripta sunt.

Conspectus analyticus voluminum ab ipsa societate editorum quam nobile ipsius sit propositum, aperiet. Commemorandum iam initio ducimus omnes qui huic societati adhaerent summo honore, atque etiam veneratione Vladimirus Solov'evium prosequi, atque interdum ipsius praeceptis de rebus religionis imbutos sese praeberere.

In prima parte, quae usque nunc typis edita sunt opera, haec recensentur:

1. *N. A. Berdjaev*, *Философія свободы* (Philosophia voluntatis). Mosquae, typ. Mamontovi, 1911, pp. IV + 280. Scriptor praecipuum sibi nomen comparavit inter auctores philosophiae religionis apud russos, duobus antea iam editis voluminibus, quae inscribuntur: *Sub specie aeternitatis: Опыт философіе, соціальные и литературные*, Petropoli, typ. Pirožkovi, 1907, pp. 437; et *Новое религиозное сознание и общественность*. Petropoli,

typ. Pirožkovi, 1007, p. L + 233. Vestigiis inhaerens Merežkovskii scriptor, qui mira eloquii facilitate excellit et claritate dicendi novam religionem, quam vocat religionem Spiritus Sancti his voluminibus commendabat. Illud, quod supra commemoravimus volumen, editum a societate Put, complures dissertationes complectitur: De relationibus inter philosophiam et religionem; De Fide et Scientia; De problemate gnoseologico; De gnoseologia ontologica; De origine mali et de vi historiae; De libertate christiana; De Mystica doctrina atque Ecclesia; De dramatis Huysmanni. Quae sententia subiciatur verbo Philosophiae voluntatis hoc modo exponitur: Non ea sibi tractanda hoc genus philosophiae proponit quae ad facultatem volendi pertinent; sed philosophia voluntatis est philosophia hominum liberorum, philosophia ex voluntate promanans. Philosophia voluntatis est philosophia divinae humanitatis (богочеловѣчество), quod nomen percelebre reddidit Solov'evius.

Quae a scriptore exponuntur decreta philosophica aegre in compendium redigi possunt ob eorum novitatem et connexionem logicam, qua fit, ut longa opus sit analysi. Illud quod maxime in hoc explicatur volumine est opinio tertii testamenti, opinio progressus, quem historia saeculi XIX ad novae religionis dignitatem evehit. Genus humanum Dei cultum quodammodo repudiavit, ut progressus cultum extolleret. Haec progressus opinio, ut ait Berdjaev, scriptores ethnicos latebat: germinavit igitur apud prophetas Veteris Testamenti, apud christianos doctores, qui historiam habent pro semita, qua ducamur ad Deum, ad regnum Dei. Sed promissa et prophetiae christianae in terris haud completa sunt. Conscientia posterorum pro eo ut ad regnum spirituale Iesu Christi ea referret, regnum humanum appetivit. At historia suum habet exitum, suam *εσχατολογίαν*. Atque id quidem verum est a positivisticis hunc negari exitum historiae, hanc progressus conclusionem, sed quilibet homo christianus eam futuram esse tenet. Apocalypsis est liber christianus qui prophetias de fine mundi continet, quocum artissimo coniungitur vinculo sensus historiae. Sensus historiae in liberatione virium humanarum consistit, quae explicandae sunt tempore postremi certaminis inter bonum et malum, inter Christum et Antichristum. Prophetia apocalypseos de regno Christi in terra futuro, illud est quod chiliasmus christianus vocatur, ut eum a chiliasmo iudaico, in socialismum deflectente, distinguamus. Finis historiae aut via ad finem non est simpliciter divina, sed humano-divina. In hac divinae humanaeque naturae coniunctione copia cernitur perducendi ad effectum proposita divina quae ad historiam pertinent. Anthropologia religionis sensus historiae illustratur, et christianismus, ut religio, non est absolutus. Conscientia christiana in conciliis oecumenicis dogma de natura humana procreavit: idem quid mancum et imperfectum esset in natura humana aperuit. Sed divina simul et humana hominis et generis humani natura satis intellecta non est a conscientia chri-

stiana: quin etiam ignoratam illam esse ab hac dici potest. Anthropologia christianismi historici permansit ethnica et iudaica. Divinum coniunctum erat cum humano elemento in Christo; singillatim in sanctis, in iustis; verum in regionibus historiae et cultus humanum scissum est a divino. Catholicismus hominem simul ad infima depressit atque ad excelsa extulit. Ὁρθοδοξία diminuto elemento humano continetur, submisso rei divinae. Hoc modo et falsa anthropologia catholicismi occidentalis, et anthropologia nulla in ὀρθοδοξία orientali, testantur lacunas, maculas christianismi historici. Divinitas humanitatis, via nimirum ad quam nos vocavit Christus, data non est intra limites Novi Testamenti, ac pendet e plena dialectica Trinitatis. Sicut conscientia messianica in Vetere Testamento viam stravit ad Novum Testamentum, ita conscientia messianica Novi Testamenti perducet ad tertium Testamentum. Plenissima humanitatis cum divinitate coniunctio non efficietur nisi Spiritu Sancto viam historiae et culturae vi sua attingente. Hanc brevem synthesin decretorum, vel commentorum philosophi Berdjaevi enucleavimus, ut cognosceretur quaenam esset religio virorum doctorum a societate P u t proposita. Post longam viginti saeculorum intercapedinem, religio quae genus humanum regeneravit, ac regenerat, lacunosa videtur esse, eique nova religio substituenda! Supervacaneum arbitror esse demonstrare, quod nuperrime V. N. Terleckij demonstravit, eorum quae exposuimus commentorum radices esse in vetere montanismo et gnosticismo, ideoque etiam novitatis nota carere (Хиліастическія чаянія въ новомъ релігіозномъ сознаніи. Христіанское Чтеніе, 1912, p. 1411—1420).

2. *Sergius Bulgakov* opus, quod duobus voluminibus continetur edidit, quod inscribitur: Два града: изслѣдованія о природѣ общественныхъ идеаловъ (Duae civitates: inquiritur in naturam eorum, quae societas sibi ut speciem quandam proponit), Mosquae, 1911, p. XXI + 303; 313. Neminem latet hunc libri titulum scriptorem a S. Augustino deprompsisse qui duas civitates inter se diversas contrariasque ponit, cum alii secundum hominem, alii secundum Deum vivant, De civitate Dei, l. XIV. c. VI. In hoc opere scriptor collegit quae annis 1904—1910 in commentariis russicis, imprimis in Voprosy filosofii i psihologii, Voprosy žizni, Moskovskij Eženedělnik ediderat. Idem nova pars haberi potest operis prius editi, quod inscribitur: Отъ марксизма къ идеализму (Ex marxismo ad idealismum), Petropoli, 1904, quo ea, quae annis 1896—1903 edita erant, collecta sunt.

Scriptor tenet religionem verum esse fundamentum socialitatis; genus humanum in orbe terrarum consociari ut in aliqua civitate, quin etiam civitatem terrestrem exstruere conari. Hoc est somnium illud quod cunctas tenet soboles. Apud ethnicos in Platonis re publica apparet, qui civitatem terrestrem ut ethnicum monasterium excogitavit atque effinxit. Hoc idem somnium, forma chiliasmus iudaicus indutum, Iudaeos excaecavit eosque impedit

quominus regem qui de hoc mundo non est Messiam agnoscerent. In orbe christiano hoc idem somnium ab initio in pontificia hiërocratia emergit, a qua tota ratio pontificia repetitur, quae suum attigit fastigium dogmate infallibilitatis constituto. S. Augustinus primus clarissimo sui ingenii lumine inter se duas civitates opposuit ita, ut hanc tamen erueret conclusionem Ecclesiam terrestrem esse regnum Dei in terris. Haec augustiniana doctrina maximum momentum habuit ad totam mediae aetatis rationem theologiam, ex qua orta est monarchia pontificia. Inique scriptor tenet catholicismum ac papismum diversas esse notiones, quatenus catholicismus sit pars occidentalis unius universalis Ecclesiae christianae, papismus autem sit ratio recenter excogitata. Ecclesia romana media aetate sese praebuit ut civitatem terrestrem, ut theocratiam terrestrem, quo factum est ut duos gladios sibi vindicarent romani Pontifices. Per systema pontificium chiliasmus iudaicus, somnium de civitate terrestri, ad effectum perductum est in christianismo occidentali multaque ei mala intulit.

Hosce eosdem fructus in regionibus orthodoxis opinio mysticae autocratiae genuit, tanquam futurae causae civitatis terrestris. Tamen apud orthodoxos haec doctrina nunquam evecta est ad fastigium dogmatis, sed solum privatae opinionis formam induit. Caesaropapismus in Ecclesia orthodoxa est fructus ecclesiae vexatae, vel detestabilis debilitatis sociorum ipsius. Quo fit, ut *ὀρθοδοξία* in ipsa natura maiorem contineat libertatem quam papismus. Ecclesia non est civitas. Ipsa quidem in civitate agit, et quia in ipsa vivit, periculo subicitur captivitatis, paralysis; ansam dat caesaropapismo, qui tamen eius natura non est.

Sicut natura est liber revelationis, biblia non scripta litteris, ita etiam in historia completur revelatio; acquiritur nova experientia. Vita terrestris Ecclesiae revelatione continetur quae sine intermissione fit; origo dogmatum non intermittitur, licet interdum habitum non satis determinatum induat. Chiliasmus christianus potest igitur existimari proiectio religiosarum revelationum, in earum plenitudine quae in historia perfici potest. Nunquam enim definitum est ab Ecclesia nova dogmata exoriri non posse. Ecclesia est vita, atque, ut vita, movet se, et consequenter ipsius processus non desinit.

Ut patet, quae exponuntur opiniones Bulgakovi in cunctis fere cum doctrina Berdjaevi concordant. Eas rettulimus, ut quid de catholica Ecclesia sentirent praecipui viri societatis Put', palam fieret.

Primo volumine operis Bulgakovii exponitur de religione hominis-Dei Feuerbachiana; de Carolo Marxio eiusque decretis de religione, de moralismo sociali Carlyle; quid mediae aetati summum et perfectissimum visum sit, quid huic aetati; de oeconomia sociali et personalitate religiosa; de christianismo et quaestione sociali; de christianismo primitivo. Hoc postremum caput

maioris est momenti. Primum editum est in commentariis Русская Мысль, anno 1909. Exponit primum scriptor necessitatem christianismi pervestigandi, et statum pietatis religionisque orbis antiqui. Quomodo postea religio christiana invecata sit in mundum, et quam divulgandi methodo, enarrat. Vim et momentum deinde indicat eschatologiae christianismi primae aetatis. Porro quae rationes intercesserint inter hunc christianismum et orbem paganum, imperium civile, societatis institutum, mancipia, dogmata, hierarchiam, cultum, doctrinam de moribus, martyrium, ascetismum, narrat. Rationes denique pervestigat, quibus religio christiana victoriam consecuta est in orbe terrarum.

Alter tomus haec complectitur capita: de Christianismi primi et socialismi huius temporis praeceptis, p. 1—50; quomodo ad Apocalypsin socialismus referatur, p. 51—127; de religione Dei hominis in seditione russica; Quomodo resurrectio Christi pertineat ad conscientiam hominum huius aetatis; De heroismo et ascetismo; In memoriam Th. Dostoevskii; De philosophia principis Sergii Trubeckii, et certamine nostrae aetatis de religione; Necrologium Sergii Trubeckii; De N. Th. Thedorov philosopho; De nationalismo qui vocatur; De ecclesiae cum cultu atque humanitate necessitudine. Inter huius voluminis capita maioris momenti videtur, quo de apocalyptica et socialismo exponitur. Priore nomine scriptor libros complectitur, qui continent revelata de condicionibus mundi atque generis humani huius temporis, eiusque rebus futuris. Quinam sint fontes huius apocalypticae declarat scriptor, ostenditque in vita populi iudaici eam locum tenuisse prophetiarum. In ea reperiuntur symbola philosophiae historiae. In psalmis Salomonis Messias exhibetur ut dux nationis et liberator, ut sol veritatis divinae. In apocalyptica iudaica historia exhibetur ut quidpiam tragicum; diro pessimismo considerantur praesentia. Regnum messianicum non proponitur ut continuatio huius condicionis, eiusve progressus historicus, sed omnino ut nova res, nata sine illa. Exinde viam sibi B. parat ad hoc, ut apocalypsim Novi Testamenti tanquam monumentum divinarum litterarum diiudicet, ac de duplici antinomia christianae philosophiae historiae disserat, de optimismo chiliastico ac de pessimismo eschatologico.

In eodem volumine peculiari digna sunt mentione quae scriptor de nationalismo russo et fide orthodoxa propugnat, pag. 290—303.

3. Series philosophica Putianorum comprehendit etiam aliud opus *Bulgakovi*, quod inscribitur: *Философія хозяйства* (Philosophia domestica), Pars I, Mosquae, 1912, p. IV + 321 + V. Hoc opus, quod in provincia plane philosophica includitur, ac pauca praebet elementa quaestionis de religione, hic exponi supervacaneum ducimus.

4. In posterum aestimandum amandamus volumen *Heršensoni*, Жизнь П. С. Печёрна (Vita Pečeri), qui ad fidem catholicam

conversus, Congregationem Ssmi Redemptoris est ingressus ac Dublini mortuus. In hoc volumine, Mosquae, 1910, p. 226 eleganter narratur vita Pečerini.

5. Eidem *Heršensonio* accepta referimus etiam collecta omnia opera Ioannis Vasil'evičii Kirěevskii († 1856), qui principem locum tenet inter slavjanophilos: Полное собрание сочинений, Mosquae, 1911, duo volumina, p. V + 287; 290. Adumbrata eius vita, editor in priore volumine scripta edit historico-philosophica; in altero volumine dissertationes litterarias, fabulas milesias, carmina, epistulas.

6. Studiosis russicae philosophiae valde commendandae sunt orationes et commentationes philosophicae *L. M. Lopatini*, qui ut commentariorum Вопросы философии и психологии edendorum curam gerens famam magnam apud Russos adeptus est: Философия характеристики и рѣчи, Mosquae, 1911, p. 393. Continentur hae commentationes: de Cartesio novae philosophiae et opinionis universi, quae via ac ratione concepta sit, auctore; De Leibnitzio; De Kantii decretis de cognitione; De doctrina Schopenhaueri morali; quid hac aetate valeat philosophia, quid futura; Quid Vladimirus Solov'ev ut philosophus de universo senserit; item quid princeps Sergius Trubeckoj; De Polivanovii sententiis et notione personalitatis; De Nicolao Jakovlevič Grote; De S. A. Jur'ev philosophia; De universo mente Bugaevi comprehenso; De quodam physico idealista (Šiškin); De Zingeri ratione philosophica; De S. Korsakovi decretis philosophicis et notione personalitatis.

Inter has commentationes memoratu imprimis dignae sunt quae ad Solov'evium et Trubeckoj spectant. Solov'evianae rationis consideratur origo isque vocatur philosophus maxime suus. Tota ipsius ratio ad tria praecipua revocatur capita: 1. ad ideam interioris spiritualitatis (духовность) entis existentis; 2. ad ideam absoluti quod cuncta unum facit; 3. ad ideam coniunctionis divinae atque humanae naturae. Suas sententias philosophicas attigit, postquam materialismi et positivismi decreta, quae vera esse ei antea visa erant, reiecit. In eius scriptis aestimatio realismi et rationalismi abstracti praecipuum tenet locum.

Sub titulo: Русские мыслители (Russi cogitandi auctores), societas Put' complura volumina in lucem edidit vitam scriptaque philosophorum russorum illustrantia

6. Eorum seriem aperit S. *Askol'dov*, qui vitam enarrat A. A. Kozlovi, ipsius opera recenset, metaphysicas doctrinas enucleat, doctrinas de rebus religionis describit eaque potissimum quae ad christianismum spectant, decreta ethica exponit; A. A. Козловъ. Mosquae, 1912, pp. VIII—218.

7. Maioris momenti illud est opus, quod *Nicolaus Berdjaev*, vir clarissimus, vitae scriptisque Alexii Homjakovi dedit: A. С. Хомяковъ. Mosquae, 1912, pp. VIII—250. Ut ipse scriptor monet, in hoc volumine historice, critice, philosophice, psychologicè de Homjakovio agitur. Primum capitulum est de fontibus slavjanophilismi

qui saeculo XIX apud Russos acerrime cum antesignanis occidentalismi decertavit. Eius sententia slavjanophilismus est primum tentamen ideologiae russicae, quae nationalem indolem referat. Slavjanophili Ioannes Kirěevskij et Alexis Homjakov hasce sibi quaestiones proposuere in eisq̄ue pervestigandis vires ingenii periclitati sunt: „Quid est Russia; quanam ipsius natura, munus, dignitas in orbe universo? . . .“ Permultis laudibus scriptor cumulat slavjanophilos, qui primi inter Russos servilem imitationem culturae occidentalis repudiarunt, suisque viribus altiora conscendere scientiae cacumina conati sunt. In eo potissimum laude digni sunt quod vitam atque indolem religiosam populi russici patefecerunt. Cunctos enim russicae intellegentiae fetus signum religionis exhibere demonstrarunt. „Slavjanophilismus, ut ait scriptor, ut studium, secta, factio iam decessit: communis tamen ipsius veritas permanet, in maxime diversis studiis, sectis, factionibus russicis emergit. Ea tanquam fundamentum quoddam invenitur in scriptis L. Tolstoj, et V. Solov'evi, in recentioribus voluminibus litterarum russicarum, in operibus artis“ p. 5. Homjakov theologiam egregie calluit, novasque vias theologis russis ostendit. Eius in votis erat exprimere conscientiam religiosam universalem. Hoc tamen consilium exsequi non potuit. Homjakov orientalem-orthodoxam tantum conscientiam religiosam manifestavit, eiusque systema theologicum penitus adversatur Occidenti catholico. Catholicismum ad Christi Ecclesiam non pertinere tuitus est Homjakov, atque ex hac negatione, tamquam ex radice, omnes errores Slavjanophilismi profluunt. Sed oriens orthodoxus cum propria conscientia religiosa contineri velit ad unitatem Ecclesiae universalis tendet. Hac de causa systema Homjakovi perutile est.

Mirum est praeclaros theologos Orientis atque Occidentis, Homjakovium et De Maistre, viros laicos fuisse. Uterque proprietatem religionis tenendam esse docet. Samarin aiebat Homjakovium appellandum esse doctorem Ecclesiae. Haec per hyperbolen dicta sunt; aliquid tamen veri continent. Oriens orthodoxus sublimiorem Homjakovio theologum nactus non est. Quae in hoc capite de sententiis ac messianismo Slavjanophilorum exponit scriptor, summa animi voluptate leguntur ob orationis elegantiam et sententiarum novitatem. In capite altero scriptor vitam Homjakovi narrat. Quae hic praebentur deprompsit ex ipsius litteris, scriptis, carminibus, atque ex absolutissimo opere Zavitnevičii (Kioviae, 1912). Memoratu dignissima sunt quae de indole Homjakovi dicuntur, pag. 72—79. Tertium caput de Homjakovio theologo scriptum est. Ipse est primus qui quaestiones theologicas libere discussit. In doctrina de Ecclesia enucleanda ceteris longe antecellit theologis. Ecclesia, eius sententia, „non est doctrina, vel ratio, vel institutum. Ecclesia est vivens organismus, organismus veritatis atque amoris, vel potius, veritas atque amor, ut organismus.“ In sua doctrina tuenda, maxime abhorruit a theologia scholastica, quam contemnebat. Theologia dogmatica orthodoxa ei absurditatibus

scatens opus videbatur. Ipsius tamen scripta, quamquam apologiam fidei orthodoxae continebant, in Russia typis edi non poterant.

Affirmatio amoris, ut ratio cognoscendae Ecclesiae, spiritum efficit theologiae Homjakovi. Explicationem amoris conatus est reperire in vera Ecclesia, in cuius praerogativas et notas in suis scriptis inquirat. Scripta quae sunt de Ecclesia characterem polemicum generatim exhibent. Falso tamen Homjakov omnes defectus ac lacunas humanas in occidentalibus christianis invenit, nullos vero in Ecclesia orthodoxa. Elementum divinum alienum non est a catholicismo, sicut elementum humanum ac lacunosum Ecclesiae orthodoxae non deest. Ut rite Solov'ev dixit, Homjakov de ὁρθοδοξία idealī, et de catholicismo reali disserebat: in illa igitur omne perfectionis genus inveniri decernebat, in hoc omnia corrupta dolebat. Odium catholicismi, quod in notis fundamentalibus τῆς ὁρθοδοξίας ponendum est, Homjakovium impellebat ut benignum de protestantismo ferret iudicium. Excerptis ex scriptis Homjakovi ostenditur ipsius notio Ecclesiae, quae hac brevi formula comprehendi potest: „Ecclesia fraternitatem agnoscit, subiectionem ignorat.“ Libertas in caritate nota ei videtur esse, qua vera Ecclesia a falsa distinguatur. Ecclesia est unitas in caritate et libertate. Contra Homjakovium ostendit scriptor hanc unitatem inveniri etiam in catholicismo; quia in ea valide conficiantur sacramenta, valida sit successio apostolica, servetur traditio, mystica communicatio vigeat inter vivos ac defunctos. Necesse est distingui catholicismum occidentalem a peccatis hierarchiae. Sphalmata catholicismi relativa sunt, non absoluta. Homjakov saepenumero rationalismum christianorum occidentalium improbavit, cum tamen etiam ipse rationalismo faveret. Ipsius scripta interdum protestantismum moralisticum redolent. Homjakov theologiam mysticam Ecclesiae catholicae ignoravit. Ipse ante oculos semper habuit theologiam catholicam officialem, sed vita mystica catholicismi, mystica sanctorum catholicorum, experientia religiosa catholicismi penitus eum latuit. Perinde ac perfecta notio haberi non potest τῆς ὁρθοδοξίας nisi penetremus intimam vitam religiosam populi, asceticam Ecclesiae orientalis, mysticam sanctorum orthodoxorum, relicta theologia officiali, de catholicismo idem valet. Catholicismus non continetur sola theologia scholastica, aut systemate, quod vocant papismum; vivitur in catholicismo profunda et arcana vita, efflorescit ex eo peculiaris sanctitas. Homjakov noluit haec omnia videre. Catholicismum pro eadem re habuit ac theologiam dogmaticam et ius canonicum, ac Romanorum Pontificum consilia politica et Iesuitarum morale systema. Hic error Slavjanophilorum ex eorum ignorantia fundamentorum mysticorum religionis christianae manavit. Catholicismum pro rationalismo religionis habuit et formalismo iuridico: hac de causa Occidentem non intellexit.

Breviter recensuimus quae de maledicentia Homjakovi in Ecclesiam catholicam Berdjajev adnotavit. In ipsius crisi non omnia veritati consona sunt; illud tamen verissimum est, Homjakovium

vitam interiorem catholicismi penitus ignorasse. Maximi momenti sunt, quae scriptor de anglophilismo Homjakovi exponit, eiusque commercio cum Palmero, deque eius notione Ecclesiae catholicae. Tantum abest ut Ecclesiam universalem adamarit, ut Homjakov defensor factus sit nationalismi ecclesiastici. Slavjanophili sine veritatis iniuria dici possunt fautores veterum rituum, staro-obrjadcy: suam enim Ecclesiam coluerunt, sed in eam spiritum popularem invexerunt qui proprius est sectae veteroritualistarum.

Insuper theologia Homjakovi spiritu prophetico vix caret. Progressum dogmaticum ipse negavit; revelationem divinam absolutam fuisse docuit. Ecclesia orthodoxa eius sententia custos tantum est veritatis divinae. Quaestiones eschatologicas nonte tigit in iis quae scripsit: ipsius messianismus russicus nullis coniungitur vinculis cum apocalypsi.

Philosophia religionis, cuius auctor Homjakov est, civitatem futuram et principia theocratiae ignorat. Ecclesia orthodoxa nunquam Ecclesiam et regnum permiscuit; catholicismus contra Ecclesiam pro civitate divina, pro regno Christi in terris habuit. Ὁρθοδοξία est christianismus Ioannis: catholicismus, religio Petri. Sed in religione orthodoxa officiali non invenitur chiliasmus, neque regnum aut prophetismus. Homjakov profitetur hanc ὀρθοδοξίαν historicam, ut religionem sacerdotii, quae prophetis nuntiis caret. Unam cognovit civitatem divinam, Sanctam Russiam: unum regnum theocraticum, russicum imperium. Totam fidei orthodoxae pulchritudinem in eo posuit quod auctoritatem reiceret, quod regnum divinum in terris non ambiret. Slavjanophili ad purgandam veritatem orthodoxam diligenter adlaborarunt: conscientiam orthodoxam purissimam sibi efformarunt, novae conscientiae religiosae viam explanarunt. Haec nova conscientia habebitur, cum Ecclesia Christi regnum cosmicum iudicabitur. Sanctitas orthodoxa necesse est sit vis dynamica historiae. Slavjanophili id sibi proponere, ut ὀρθοδοξίαν exhiberent tanquam elementum passivum, auctoritatis expers. Ecclesia—libertas; Ecclesia—amor, sed Ecclesia—negatio auctoritatis. Populus russicus libertatem et amorem cupit, auctoritatem reicit: Ecclesiam vult, non regnum. Prophetia quae Ecclesiam futuram cum civitate comparat slavjanophilos non commovit.

In ceteris capitibus scriptor agit de gnoseologia, metaphysica et philosophia historiae Homjakovi; eiusque doctrinam explanat de societate, de regimine politico, de nationalismo, de munere nationali. Postremum caput est de fati slavjanophilismi, ac de auctoritate Homjakovi. Slavjanophilismus benignos iudices haud est nactus. In eo colliguntur elementa christianismi et paganismi russici; messianismi christiani et nationalismi pagani; negatio theocratica-anarchica cuiuslibet auctoritatis et forma absoluta regiminis; libertas a formis exterioribus et servitus. Propter tot inter se pugnantia dissolutus est. Homjakov in seipso elementa positiva et negativa huius cogit systematis. Eum non latuit verum munus

historicum Russiae, quae media est inter duos torrentes historiae universalis, orientalem et occidentalem. Russia tantum quaestionem orientalem de cultura occidentali solvere potest. Sed Oriens duplex est: christianus et paganus. Russia est christianus Oriens-Occidens, eiusque veritas est imprimis veritas orthodoxa. Sed in eius cor elementa Orientis pagani impetum fecerunt et venenum in ipsum iniecerunt. Ne suo desit muneri in universo, Russia Orientem paganum vincere debet, sese agnoscere Orientem-Occidentem christianum. Oriens paganus est panislamismus ac panmongolismus, qui confusionem exhibent atque inertiam, et buddismus indicus. In vetere brahmanismo aeterna veritas primae revelationis aderat, et India id temporis suum gerebat munus historicum. Sed facta revelatione christiana, res Indorum, haud aliter quam Iudaeorum, mutatae sunt. In buddhismo elementum latet perniciosum Europae et Russiae christianae. Homjakov hoc quidem intellexit. Hac de causa defendebat Russiam suo muneri non esse defuturam donec servaret veritatem christianam. Russia munus universale habet: ut Orientem atque Occidentem coniungat, et ex genere humano unam efficiat christianam familiam.

Haec tantum delibavimus ex volumine Berdjaevi, quod originalitate, quam vocant, nitet, et calore orationis. Externis saepissime utitur vocibus scriptor, quo fit ut difficile interdum evadat ipsius notiones in Latinum convertere. Passim opiniones philosophicae de nova Spiritus Sancti revelatione, quam Berdjaev in voluminibus antea editis enucleavit, attinguntur. Complura censoria virgula notanda sunt in iis, quae de Ecclesia catholica expromuntur. Homjakovium tamen catholicismum adorientem strenue refellit scriptor.

8. In sylloge Put' nuperrime editum est opus principis *Eugenii Trubeckoj*: De Vladimiri Solov'evi notionibus philosophicis (Мирозерцаніе В.Л. С. Соловьёва), t. I, Mosquae, 1913, pp. XVI+631.

Iam diu opus desiderabatur quod via ac ratione Solov'evi doctrinam theologiam, philosophicam, ethicam, socialem exponeret. Morte enim oppressus synthesin suae doctrinae componere non potuit. Hanc curam Trubeckoj suscepit, qui cum Solov'evio suavi coniunctus erat amicitia, atque opus laboris plenum ad finem feliciter perduxit.

Tribus hoc volumen constat partibus. In prima, de persona Solov'evi agitur, et de iis, quae ipse intendebat in philosophicis; in altera, quae vocatur periodus praeparationis, de principiis abstractis Solov'evi, et de toto-uno (всеединное). In tertia, quae maioris momenti nobis videtur esse, quaeque dicitur periodus utopiae, de relationibus Solov'evi ad slavophilismum, atque ad theocratiam agitur.

Testatur scriptor se Solov'evi scripta iam a prima iuventute perlegisse, cum eo amicitiam coluisse, ipsius sententias interdum approbasse, interdum aversatum esse. Hac de causa opus mere historicum haud scribit, sed una cum doctrina Solov'evi suas sen-

tentias, suam crisin interiorum exponit atque enarrat. Inprimis Trubeckoj Solov'evio non assentitur romanum catholicismum laudibus extollenti, atque orientalem *ορθοδοξίαν* minoris aestimanti: theocratia universalis ei non placet. Hanc suam aversionem a theocratia scriptor iam in prioribus operibus exposuerat: De philosophia S. Augustini (Мирозозерцаніе бл. Августина). Mosquae, 1892; et De notione regni divini in operibus Gregorii VII (Идея божескаго царства въ твореніяхъ Григорія VII-го), Kioviae, 1897. Dogmaticè Trubeckoj theocratiam latinam mediae aetatis reicit, et catholicismum ut formam christianismi iuridici improbat. Eius sententia, theocratia non potest esse sine violentia.

Prima parte operis, non solum psychologicè Solov'evii ingenium atque indoles clara in luce ponitur, sed etiam eius cum slavjanophilismo, atque Caadaevio, Dostoevskio, Theodorovio necessitudo describitur. Slavjanophilos ad doctrinam Solov'evi plurimum valuisse Trubeckoj existimat. Solov'evius severum tulit iudicium de philosophia occidentali in primo opere quod edidit: Crisis philosophiae occidentalis; agnovit enim huiusce philosophiae principia pugnare cum religione revelata, ideoque negat christianismo contineri cultum atque humanitatem occidentis.

In capite IX primae partis scriptor agit de opinione Deo-humanitatis (Богочеловѣчество), quae quasi cardo est rationis Solov'evianae, eius philosophiae et theologiae. Hoc epitheto Solov'ev imprimis Incarnationem Absoluti significabat, eiusque adaequatam in universo expressionem. Haec opinio comprehendit quidquid ab initio mundi est obiectum religiosae pervestigationi. Conscientia religiosa duplex elementum continet, elementum fidei in Deum, et elementum fidei in hominem. Fundamentum cuiuslibet religionis est fides, ut vita intellecta. Haec fides non habet ut obiectum solum Deum. Ut vita aliquid valeat, necesse est hominem maximae dignitati suae fidem habere, ac seipsum iudicare aptum ad vitam Dei participandam. Huiusmodi conscientia hominis, qui fieri potest particeps Dei, est illud, quod Богочеловѣчество Solov'ev appellavit, quodque non est forma peculiaris conscientiae religiosae, sed ipsius perfectissima manifestatio, principium universale, quod tanquam synthesis organica cuncta elementa positiva omnium religionum comprehendit.

Maximi momenti ea sunt, quae in hoc capite perbelle explanat scriptor de systemate theologico et philosophico Solov'evi, quod saepe obscuritate laborat. Mentione digna sunt ea, quae de Sophia vel Divina Sapientia investigantur, quam Solov'ev verbis obscuris memorat ac describit. In quo is a vero aberret, demonstrat scriptor. Ad theologiam etiam capita X et XI pertinent ubi maxime opiniones cosmogonicae ac theogonicae Solov'evi exponuntur.

Tertia pars cum re, quam nostris in disquisitionibus nobis proposuimus, apprime convenit. Trubeckoj in ea disserit de theo-

cratia in systemate Solov'evi concinnata, ac de mutuis rationibus, quas inter catholicismum atque ὀρθοδοξίαν statuit. In libris quos primos scripsit Solov'ev sententias Homjakovi de Ecclesia romana secutus est; Papae antichristi indolem tribuit; apud Latinos Papam locum usurpasse Christi dixit. Hisce statutis, decrevit Ecclesiam russicam sua propria virtute sanitatem esse recipaturam. Absolutismo opus non esse ad hoc, ut se reficiat. Nihil aliud necesse esse nisi spiritu Christi russicam hierarchiam informari. Haec hierarchia, licet in ratione agendi a spiritu Christi deflexerit, seditionis adversum eum rea non est.

Post aliquot annos in aliam abiit sententiam Solov'ev. De causis schismatis inter Orientem atque Occidentem quaerens, byzantinos Patriarchas, Photium et Cerularium, ob ineptias, quae ad vitam Ecclesiae non pertinent, ob discrepantias dico in ritibus bellum Latinis indixisse animadvertit. Hierarchia byzantina momentum oecumenicum tribuit ritibus Ecclesiarum particularium, quo factum est, ut suis consuetudinibus vim universalem vindicaret. Ὄρθοδοξία universalis in byzantinismum, vel in religionem graeco-orientalem descendit, ex eaque ecclesiae particulares promanarunt. A Graecis Russia accepit christianismum byzantinum, qui universale ac particulare permiscuit, scilicet germen accepit sui schismatis tenacium veterum rituum. Sicut saeculis IX—XI nationalistis byzantinis essentia τῆς ὀρθοδοξίας sita esse videbatur in pane fermentato et in barba clericorum, ita saeculis XV—XVII nationalistae ritibus parvi momenti totam contineri putabant essentiam christianismi russici. Hac de causa russicum schisma veterum rituum dici potest hereditas byzantina.

Annis 1881—1883 nova omnino decreta tuitus est Solov'ev. Romanus Pontificatus ei visus est lapis angularis Ecclesiae universalis. Trubeckoj narrat se ex ipso Solov'evio percepisse eum quo tempore coronam acciperet Alexander III imperator Moscoviae catholico episcopo obviam ivisse eumque rogavisse ut sibi bene diceret. Cum ille vero anceps haereret, Solov'evium ei locutum esse de unitate mystica Ecclesiae universalis, a qua divisio in duas partes aliena esset, ab eoque petitam accepisse benedictionem. I d e a l e theocraticum, quod Solov'evius deprompsit ex theoria integritatis vitae (Цѣлостъ жизни) Slavophilorum, in Ecclesiis orientalibus, turbis exagitatis non reperitur. Ut ad effectum perducatur, necesse est stabiliri Ecclesiam tamquam regnum universale, tanquam organismum internationalem. Hic autem organismus illud ipsum est, quo catholica distinguitur Ecclesia. Si religionis christianae finis est ut constituatur in terris regnum Dei, necesse est omnes inter se uniri christianos, non solum mystice, sed etiam visibiliter; necessarium est caput quoddam unitatis. Inter christianas Ecclesias Roma tantum hanc dignitatem sibi vindicavit eamque re constituit in terris. Sola Ecclesia romana sibi vindicat subiectionem absolutam Ecclesiarum particularium, rerum publicarum, singulorum fidelium. Efficitur inde

absolutam unitatem in eius castris reperiri. Contra ipsius absolutismum religiosum Oriens orthodoxus seditionem excitavit: regna Occidentis ipsius adorti sunt absolutismum politicum; eius absolutismo morali obstiterunt protestantes, ac rationalismus inde manans. Oriens orthodoxus, potestates civiles Occidentis, protestantium agmina bellum inferunt implacabile Ecclesiae romanae magnumque fovent discidium ((ВЕЛИКІЙ СПОРЪ).

Ecclesia romana pro summa auctoritate decertat. In hoc certamine rite ac legitime se gerit, inconcussum suum servat fundamentum. Ecclesia est militans, qua de causa omnino ei necessaria summa auctoritas, ordo hierarchicus, severa disciplina.

Homjakov Ecclesiam contendebat non esse auctoritatem sed veritatem. Sane quidem, respondet Solov'ev. Deus, Christus, Ecclesia absolute sumpti sunt veritas; at, ubinam adest homo, qui absolute vivat, qui veritatem sine auctoritate possideat, adipiscatur..? Genus humanitatis christianae propriis viribus non potest semet elevare ad comprehensionem purae veritatis: ut eam assequatur, indiget magistris ac ducibus. Ut valeant ad suum officium implendum, magistri ac duces in iisdem doctrinis consentire debent. Ut hoc fiat, una opus est auctoritas suprema, cui omnes subiciantur. Suos ut repellat hostes, Ecclesia est exercitus Christi, in eaque vigere necesse est summam auctoritatem, qua cuncta ordinate moveantur agmina, quaeque disciplinae servandae navet operam. Posito necessariam esse supremam in Ecclesia auctoritatem, sua sponte sequitur hanc auctoritatem pertinere solum ad sedem romanam. Nulla Ecclesia, praeter romanam, hoc sibi vindicat. Efficitur inde, vel statuendum esse Ecclesiam suprema destitui auctoritate, vel hanc auctoritatem sedi romanae inhaerere.

Necessitas centri unitatis ex aeterna atque absoluta eruitur Ecclesiae natura, quae condiciones ac limites temporis praetergreditur, ex eiusque natura ut Ecclesiae militantis. Haec tamen principalitas aeterna Ecclesiae fundamenta non attingit. Ad conficienda enim sacramenta Papa non fruitor potioribus iuribus quam ceteri episcopi. Potestatem in eos non habet Papa tanquam episcopus, sed tanquam supremus rector Ecclesiae. Ipsius potestas est potestas iurisdictionis. In provincia vero revelationis christianae Papa et laicus iisdem fruuntur iuribus, eodem se gerunt modo. Non magis quam laicus, ipse potest esse primus fons veritatis dogmaticae, ius non habet promulgandi nova dogmata quae in divina revelatione non continentur. Praerogativae Romanorum Pontificum ad recte administrandam Ecclesiam referuntur, ad partem ipsius humanam, ad ipsius bellicam ordinationem. Ipse titulus capitis Ecclesiae caret accuratione. Caput Ecclesiae omnia membra coniungit et congregat, quibuscumque floruerunt temporibus: quapropter caput Ecclesiae necesse est semper vivat, semperque idem sit. Centralis igitur auctoritas tantummodo officium servile habet et condicionibus circumscriptum. Quilibet Papa, instrumentum est actionis Sancti Petri, sed instrumentum imper-

fectum. Papae non debent sibi quaerere iura dominantium, auctoritatem ut finem. Qua fruuntur auctoritas pro bono Ecclesiae eis conceditur.

Solov'ev romanos Pontifices haud semper rite suum sublime gessisse officium fatetur. Una cum progressu byzantinismi apud Orientales, in Occidente exortum est pravum studium intellectuale et morale, quod, ut a romano distinguatur pontificatu, papismus nominandum est. Papismus est studium argumentis iuridicis stabilendi auctoritatem Papae, ea perperam abutendi ad consilia civilia, eamque tuendi vi et violentia. Hisce modis sublimitas auctoritatis convertitur in superbiam carnis. Ratio papismi delet ecclesias particulares et metropoles. Episcopi pro eo, ut archiepiscopis obnoxii sint, omnes ipsi romano Pontifici subiciuntur. Potestate omni Romam summa ratione revocata tollitur deleturque proprietates Ecclesiarum particularium singularum nationum, inducitur negatio nationalitatis (безднародность) pro eo, ut Ecclesia fiat supernationalis (сверхнародная), quae mystico ligamine coniungat omnes nationes. Romana haec centralisatio, ut barbara voce utamur, schisma non genuit, tamen aluit firmissimumque reddidit.

Corrupto principio theocratico corruptae sunt etiam necessitudines inter Ecclesiam ac status civiles. Papismus theocratiae characterem dedit potestatis violentae. Viribus spiritualibus reiectis, vis materialis adhibita est. Humana regnorum consilia effecerunt, ut sedes romana potestati civili subiceretur, ac denique captivitatem avenoniensem tulerunt. Etiam adversus fideles, ab Ecclesia romana propter papismum ea committebantur, quae sine culpa non sunt. Conatus per vim reducendi haereticos ad Ecclesiam radicatus pervertunt rationem, quae inter Deum atque hominem intercedit. Foedus enim, coniunctio hominis cum Deo necesse est sit omnino libera. Cum coniunctio cum Ecclesia efficitur minis, catenis, suppliciis, moralis actus, quo submittitur animus humanus veritati universali, per physicam debilitatem absolvitur. Nomine igitur libertatis conscientiae, homo seditionem fecit in Ecclesiam romanam, et haec seditio protestantismus dicitur.

Ex iis, quae dicta sunt, efficitur triplicem in sedem romanam seditionem iustas ex parte tantum causas habuisse: errores atque iniurias romanorum Pontificum. Discidia Ecclesiarum inducta sunt conatibus papismi omnia sibi submittendi. Papismus docet Ecclesiam non posse suam unitatem per violentiam conservare. Victoria potestatis laicae ostendit etiam illud, per violentiam Ecclesiam non posse suam auctoritatem vindicare in potestatem civilem. Seditio protestantium documento est per violentiam hominem non posse cogi ad acquirendam aeternam salutem. Cuncti tamen errores papismi veritatem romani Pontificatus non tollunt. Argumenta quae afferuntur ab eius hostibus, ut suam seditionem tueantur, vim relativam tantum habent. Dandam proinde operam esse ut renovetur vetus Ecclesiarum unitas.

Unitatem Ecclesiae, Solov'ev statuit esse primum gradum ad unitatem perfectam totius generis humani. Coniunctione totius christianismi in Christo transfigurabitur genus humanum, quod rursus principium erit transfigurationis-cuiuslibet rei a Deo effectae. Finis historiae universalis est libera unio generis humani in Ecclesia Christi. Unio Dei et hominis supremum debet esse principium cunctarum rationum humanarum. Hac de causa illud primum christiani nominis interest capi consilium redintegrandae unitatis ecclesiasticae. Ex hac redintegratione pendet Russiae, slavismi, totius universi fortuna. Russi, et generatim Oriens christianus nihil agere poterunt, antequam deleatur peccatum separationis Ecclesiarum.

Unio Ecclesiarum ante omnia oportet sit spiritualis, distinguatur scilicet a conatibus superioris aetatis ex rationibus prudentiae civilis exortis; unitas spiritualis quae non tollat indolem ac differentias peculiare variorum populorum.

Fieri non potest, ut Oriens christianus ad latinismum convertatur, quia et Oriens sua principia et traditiones habet, neque latinismus est christianismus sed christianismi pars. Ut igitur fiat unio, necessaria est communitas vinculorum cum Christo, tanquam cum principio coniunctionis divinae humanaeque naturae. Haec unio in praesens exstat. Utraque Ecclesia per sacerdotium in eadem fide iisdemque sacramentis cum Christo coniungitur. Haec essentialis ac fundamentalis unitas Ecclesiae universalis separatione societatum ecclesiasticarum quae oculis cernitur non tollitur. In cunctis ecclesiis unum est caput. Quapropter Sancta Ecclesia permanet et in Oriente et in Occidente quamvis inimicitis inter se disiunctis. Ipsi episcopi russi agnoscunt Ecclesiam occidentalem non destitui gratia Christi.

In historia utriusque Ecclesiae proprium utriusque reperitur principium. Oriens patientis modo se habet ad Deum; Occidens agentis. Utrumque principium verum est ex parte in eoque radix sita est schismatis, quod tamen ad vitam praetereuntem tantum Ecclesiae pertinet. Hac de causa vinculum mysticum fractum non est.

Ecclesia, una in suo fundamento divino, disiuncta in sua administratione humana, nondum exhibet perfectam divinitatis humanitatisque coniunctionem. Ecclesia non est tantummodo fundamentum divino-humanum salutis singulorum, sed etiam domus divino-humanitas constituta. Quo fit ut unitatem absolutam (БЕЕДИНСТВО) perfici necesse sit in terris. Si unitatem mysticam Ecclesiarum occidentalis atque orientalis negemus, non amplius agi potest de unione Ecclesiarum, sed solum de necessitudine atque amicitia, vel de absorptione alterius ab altera. Si tamen sumimus permanere unitatem mysticam, fieri potest ut vinculum invisibile mysticum utriusque Ecclesiae oculis subiciatur. Primus igitur gradus ad unionem Ecclesiarum tenebitur, si duae Ecclesiae tamquam Ecclesiam universalem sese aestimabunt, si inter se coniungentur.

Oriens orthodoxus a veritate non aberrat, cum statuit fundamentum divinum inviolabile: sed potius contemplative, theoretice hoc fundamentum ipse considerat. Oportet veritatem agnosci, sed simul eam ad effectum perducere. Veritas servanda, et simul actio ecclesiastica rite dirigenda. Hac de causa necessaria est Ecclesiae firmissima auctoritas, quae una sit atque libera, ut in mundo vim activam Ecclesiae dirigere queat. Custodiam et conservationem veritatis ecclesiasticae sibi vindicavit Ecclesia orientalis: Ecclesia occidentalis contra ad administrationem ecclesiasticam rite disponendam incubuit. Haec duo officia inter se non pugnant. Christianismus non est solum in contemplando positus, sed etiam in agendo. Neglecta altera parte in utraque Ecclesia schisma profecit. Servata veritate orthodoxa, Ecclesiae orientales principium catholicum approbare possunt atque hoc modo suam veritatem particularem convertere in universalem, sese liberare ab exclusivismo.

Haec sunt praecipua capita doctrinae Solov'evianae de separatione ac de unione Ecclesiarum, secundum synthesisin a principe Trubeckoj concinnatam, pp. 448—480.

Ut ipse in prooemio dicit, ex sententiis Solov'evi in ipsius mente clarior evasit cognitio excellentiae *τῆς ὀρθοδοξίας*. Doctrinam igitur Solov'evii partim tantum comprobatur, partim censoria virgula notatur. Solov'ev, ut ait Trubeckoj, veritatem orthodoxiae consistere existimat in protestatione contra violentam nullisque limitibus circumscriptam centralisationem romanam, et in principio autonomiae Ecclesiarum particularium nationalium. Verum est orthodoxiam cum nationalismo cohaerere, qui inter causas exteriores separationis Orientis ab Occidente recensendus est. Sed falsum est essentiam orthodoxiae in nationalismo consistere. Ecclesia orthodoxa centralisationem Ecclesiae romanae noluit pati: sed ab ea scissa est propter aliud principium, quod secuta est, ut suam tueretur autonomiam.

Ut ratio agendi Ecclesiae orientalis commode diiudicetur, causae schismatis ducendae non sunt discrepantiae haud raro futiles, quas Latinis Photius ac Michael Caerularius obiecerunt. Discidium inter Romam et Byzantium ut certamen particulare inter sedem romanam et patriarchatum byzantinum, schisma non genuisset nisi principia religiosa contraria Latinos et Graecos in hostiles distribuissent acies. Si per tot saecula discidium illud componi nullo modo potuit, in promptu est colligere catholicismum romanum et fidem Ecclesiae orthodoxae duplicem esse formam religionis christianae, quae Latinos Graecosque in comprehendendo christianismo funditus disiungit.

Nefas est Ecclesiarum discidium inde repeti, quod Oriens christianismum ad rationem referat, ad contemplationem, Occidens ad usum. Christiani orientales cum occidentalibus propterea non conveniunt quod efficientia principio divino apud utroque diversa tribuitur. In Ecclesiis orthodoxis haec efficientia prae-

cipue, ac fere solum in sacramentis cernitur; in Ecclesia romana contra praecipue opere externo auctoritatis divinitus institutae, ac caecam, ut aiunt, oboedientiam postulanti continetur. Illud igitur verbum „theoretice“, quod Solov'evius usurpavit, expungendum est, ac statuendum christianismum orientalem indole mystica potissimum differre. In sacramentis in quibus velut cardo vitae Ecclesiae orientalis vertitur, homo contemplationi operam non dat; constat enim etiam infantibus ratione non utentibus ea utilia esse.

In catholicismo romano vita religiosa summa rationum continetur, quae inter eos qui divina utuntur auctoritate atque eos qui obtemperant, intercedunt. Divinum praecipue valet id quod auctoritas. Contra in christianismo orientali vitae religiosae principium primum habetur relatio hominis ad Deum, qua homo novam sese agnoscit naturam seu creaturam. Deus praecipue consideratur ut fons metaphysicus processus interioris ac physiologici.

Haec maxima inter christianismum orientalem et christianismum occidentalem differentia manifesta est in utriusque notione Ecclesiae. Vir occidentalis Ecclesia utitur praecipue tamquam auctoritate: vir autem orientalis, praecipue ut domo Dei mystica, loco in quo absolvitur mysterium divino-humanum. Hanc diversam Ecclesiae notionem diversum sequitur hierarchiae momentum in utraque Ecclesia. Presbyter orthodoxus simplex est *μυσταγωγός*, passivum instrumentum gratiae divinae, quae per sacramenta communicatur. Contra romanus catholicismus e presbytero fecit *παιδαγωγόν*, ducem ac iudicem conscientiae. Velut in sacramento paenitentiae presbyter orthodoxus simplex est testis confessionis peccatorum; presbyter autem catholicus ea utitur ut auctoritatis hierarchicae instrumentum. Catholici Ecclesiam pro opere externo Dei habent, ideoque sine capite seu centro visibili esse posse iis non videtur. Unitas catholica coniungitur cum determinata cathedra, determinata persona, determinata urbe. Ut cunctis manifesta sit, necesse est eam suprema quadam auctoritate, cui universus subiciatur orbis quaeque ecclesiae personam gerat, instructam esse. Hanc auctoritatem ut firmissimam eam reddat, Ecclesia romana decernit ab initio concessam esse Petro, qui petra existimatur Ecclesiae Christi. Contra Ecclesia orientalis perfectionem sui aedificii in terris esse negat. Suum fastigium mysticum in orbe invisibili ipsa requirit. Si licet exemplum ex architectura sumi, aculeatis obeliscis templorum gothicorum catholicismus occidentalis suam in terris firmitatem per figuram exprimit, qua firmitate caelum petit.

Ex diversa in utraque Ecclesia unitatis religiosae notione diversa nascitur forma seu temperatio ecclesiastica utriusque partis orbis christiani. Catholici unitatem Ecclesiae suapte natura in unitate administrationis ecclesiasticae ponunt: orthodoxi pro unitate habent eorundem sacramentorum communionem, eiusdem fidei professionem. Unitas orthodoxa est unitas invisibilis, mystica, quae non abhorret a varietate Ecclesiarum autocephalarum, quaeque

commune omnium supremæ auctoritatis caput respuit. Notio igitur Ecclesiae est causa, quæ Ecclesiam orientalem ad seditionem in Ecclesiam romanam commovit. Hoc agens, iura Iesu Christi, capitis Ecclesiae, tuita est hierarchia orientalis. Ab Ecclesia christiana christianismus orientalis regnum huius mundi alienum ducit. Quo fit, ut summam perfectionem mysticam in vita monastica, id est in rerum huius mundi neglectu consistere censeat Ecclesia orthodoxa. Invenitur sane vita monastica in Occidente: sed maxima est discrepantia inter ascetismum orientalem atque occidentalem. Negotia humana abicit clerus occidentalis eo tantum consilio, ut hierarchicam magis foveat unitatem, ac vitæ monasticæ illud est institutum, ut quam vocant *centralisation romaine* firmior fiat magisque propagetur. Verum apud orthodoxos monachus montem Thabor ascendit, ut longe a mundi huius turbis remotus in divina luce oculorum aciem figat, semetque transfiguret.

Princeps Trubeckoj igitur catholicismum in quibusdam rebus veritati favere, in quibusdam vero a veritatis semita deflexisse tenet. Mysticismus necessarius est ad religiosam unitatem; sed membra Ecclesiae etiam usu uniri debent. Hac de causa caput seu centrum internationale, supremam auctoritatem, quæ libera sit ab omni vi potestatis civilis, societatis laicæ poscit Ecclesia. Hoc si tollatur in servitutem potestatis civilis redigitur Ecclesia. Ut Ecclesia semetipsam regat, potestas ecclesiastica libera ei necessaria est. Efficitur inde relativam profiteri veritatem catholicismum romanum, cum necessitatem tueatur huius supremæ auctoritatis. Veritas igitur Ecclesiae orthodoxæ non delet veritatem Ecclesiae catholice.

Iesus Christus, centrum unitatis, quominus suprema auctoritas in terris statueretur non prohibuit. Illud tamen centrum ut vere sit christianum ac nomine hoc dignum, certis limitibus suam auctoritatem circumscribere debet.

Huiusmodi limites si tollantur, practicismus occidentalis elementis relativis ac terrenis naturam absoluti tribuit. Locum Christi, auctoritatem Christi Papa sibi vindicat atque usurpat. Mysticum elementum, i. e. gratia, venale habetur, eamque nundinantur Romani Pontifices, ut abunde testatur historia indulgentiarum.

Ex iis, quæ hucusque exposita sunt, efficitur Ecclesias orthodoxas præpollentibus viribus adhuc frui. Etsi enim verum est, eas catenis constringi a potestate laica, quod desit centrum unitatis, illud tamen quod ipsius vita est, centrum ipsius unitatis, provincia in qua fideles cum ipso Christo coniunguntur, elementum ipsius mysticum ab assultibus et interventu potestatis civilis omnino tutum est. Vivens ipsius cælum vel intimum eius regnum nulli subicitur potestati, ac fons est vivificus sitientibus Ecclesiae membris (pp. 480—493.)

His per summa capita doctrinam principis Eugenii Trubeckoj Solov'evium refellentis exposuimus. Ab ea diiudicanda abstinemus, quamvis facile sit ipsius fundamenta evertere. Illud tamen com-

memorari iuvat, Trubeckium latuisse practicis Ecclesiae catholicae mysticismo inniti, ab eoque profluere. Ceterum, ingens sanctorum in Ecclesia catholica numerus, satis testatur fontes mysticismi catholici puriores et copiosiores effundere aquas quam fontes mysticismi orthodoxi.

Caput XIV operis maximi momenti est etiam ad agnoscendam vitam religiosam populi russici, et systema theocraticum Solov'evi (pp. 494—530). In eo scriptor agit de christianismi consiliis et de munere nationali imperii russici; de messianismo, et de potestate ipsius imperii; de messianismo Solov'evii et slavjanophilismo; de hebraismo et russo messianismo. Paucis exponuntur quae Solov'ev, cum decreta Slavjanophilorum aestimaret, statuit. Ut hosce refelleret, theocratia apud Solov'evium non exhibetur integre ut opus divinum, sed ut opus utile imperio russo. Amor patriae hic apparet, quo Solov'evius ardebat. Nimis severus mihi videtur esse scriptor, cum errores philosophiae Solov'evi dicit convenire cum erroribus ipsius amoris venerei, artissimis vinculis coniungi cum eius illusionibus eroticis. Candide fateor me nullas perspicere rationes, quibus haec innitantur falsa iudicia.

Capite XV, pp. 531—585 idea theocratica Solov'evi tractatur. Theocratia, ut a Solov'evio cogitatur, est regnum divinum in terris constitutum. Regnum Dei non est tantummodo interius in anima; sed etiam exterius in terris, et Ecclesia, quae est hoc regnum, est universalis organisatio verae vitae. Solov'evio, ut ait Trubeckoj, Ecclesia universalis, quae ideam theocraticam ad effectum perducit, videbatur esse Ecclesia romana. Statuendo supremum pontificatum, Iesus Christus non abrogavit quidquid in aeterna civitate continebatur. Ipse unitatem internationalem, formam regendi monarchicam servavit; non Caesarem christianum, sed Caesarem hominis - Dei instituit. Roma est civitas aeterna. Rupes capitolina consecrationem accepit a Deo, facta est petra illa super quam Iesus Christus suam condidit Ecclesiam. Extra Ecclesiam romanam, solum Ecclesiae nationales sunt, ut graeca, armena; vel Ecclesiae politicae, ut russica, anglicana; vel sectae, ut calvinistae, lutherani. Romana tantum Ecclesia neque est nationalis, neque secta ab hominibus instituta. Una est Ecclesia quae servat et firmat principium socialis unitatis contra egoismum nationalem; servat et firmat principium libertatis auctoritatis spiritualis contra absolutismum potestatis civilis. Summa potestas clavium Petro eisque qui ei succedunt concessa est potestas socialis et politica omnino necessaria. In Ecclesia una et sancta doctrina et administratio separari non queunt. Potestas quae ad unitatem efficiendam valet in Ecclesia non est nisi potestas monarchica. Ea sublata, Ecclesia visibilis tolleretur. Sequitur romanum Pontificatum necessarium esse Ecclesiae. Falsum est eum esse despoticum. Qui enim veram theocratiam gerunt, potestate non utuntur e sua utilitate vel arbitrio, sed ea utuntur tanquam instrumento necessario ad assequendum quod divinitus propositum est.

Ideam theocraticam Solov'evi ea continere quae inter se pugnent, tuetur Trubeckoj. Solov'evius enim theocratiam interdum ut liberum foedus Dei et hominis cogitat, interdum ut constitutionem ecclesiastico-iuridicam, quae firmari nequeat sine violentia (p. 565). Solov'evi error praecipuus et quasi fundamentalis in hoc cernitur, quod eum fugit christianismum velle, ut homo ingrediatur in regnum Dei tanquam filius, non ut mancipium.

Ultimum caput operis est de amore physico et romantico apud Solov'evium (pp. 610—631).

Haec, quae ex absolutissimo opere Trubeckii delibavimus, maximum ipsius operis, quod ut absolvatur, speramus mox fore, apertissime pandunt momentum. Praecipua enim capita doctrinae theologicae Solov'evi ratione ac via, systematice ac synthetice ibi exponuntur, ita ut cuilibet copia sit clarissimi illius philosophi decreta statim cognoscendi. Non omnino felix fuit scriptor in hisce decretis interdum nigro lapillo notandis. Ex ipsius tamen volumine eruitur illustrem hunc scriptorem firmissimum amorem religionis christianae suo animo fovere, ac vehementissime unionem Ecclesiarum peroptare. Faxit igitur Deus, ut opus tam praeclarum mox absolvatur, doctrinam Solov'evi magis magisque apud Russos divulgaturum.

9. Solov'evi nomine sylloge quaedam commentationum inscribitur a praeclaris viris conscriptarum: Сборникъ первый о Владимірѣ Соловьевѣ. Mosquae, 1911, pp. II + 222. Haec in ea continentur:

a) *Bulgakov*, Quid Solov'ev philosophus de natura senserit, p. 1—31;

b) *Ivanov*, De momento Solov'evi in historia nostrae conscientiae religiosae, p. 32—44. Incipit haec brevis commentatio perpulchris verbis Solov'evi, quae enuntiavit, cum animam efflaret: Difficilis labor pro Deo! Scriptor Solov'evium comparat cum Dostoevskio et Leone Tolstoj ac suum tuetur principium: Ecclesiam non habere corpus, nisi in mysterio. Ecclesia ab eo definitur mysterium amoris universalis et liberae unionis in Christo. Ob copiam et densitatem, ut ita dicam, speculationis philosophicae, et novitatem notionum, earumque interdum obscuritatem haec praeclara commentatio aegre in summam redigi potest;

c) *Trubeckoj*, De ingenio atque indole Solov'evi, p. 45—74. Inserta est haec commentatio operi, de quo superius explicavimus;

d) *Trubeckoj*, De Vladimiro Solov'evio eiusque opere, pag. 75—95. Paucis doctrina philosophica ac theologica Solov'evi adumbratur.

e) *Block*, Eques-monachus, p. 96—103. De ingenio moribusque Solov'evi exponitur;

f) *Berdjaev*, Discidium (проблема) inter Orientem atque Occidentem quomodo conscientiam religiosam Solov'evi, affecerit, pag. 104—128. Perutilis commentatio ad historiam theologiae Solov'evi. Tuetur scriptor Solov'evium universalismum in eis quae scripsit

suoque in animo amplexum esse, sectas aut mutationem religionum nequaquam passum esse. Inde fit, ut diiudicari bene non possit, utrum ipse catholicus sit an orthodoxus; liberalis an vetustati propitius. Ex principiis slavjanophilismi suam de messianismo russo deduxit sententiam, qui absolvendus esset unione Ecclesiarum. Slavjanophili Orientem amabant ut regionem quae integram fidem christianam servavisset, et Occidentem aversabantur ut huius integritatis violatorem, ut rationalismi defensorem. Solov'evius errores praecipuos Slavjanophilorum ex eorum nationalismo, ac falso de catholicismo iudicio manasse cognovit.

A. Palmieri.

Conspectus singulorum operum recentium.

Bohemica.

Dr. *Josef Zavadil*, **Velehrady Děvín a Nitra**. Příspěvek k určení polohy hlavního města velkomoravského. **Magnae arces Děvín et Nitra**. Ad situm capitis Magnae Moraviae definiendum quaedam conferuntur. Kroměříž, 1912. 8^{vo} pag. 110.

Hucusque „Velehrad“ sicuti *Μεγαλόπολις* in Arcadia et, quod idem sonat, Mechelinburg (nunc Meklenburg) nomen proprium putabatur, novissimis vero temporibus a nonnullis viris doctis genericum esse dicitur, sedem principis regis significans. Opinioni huic non satis bene fundatae etiam huius libelli scriptor, qui serenissimi imperatoris et regis nostri a consiliis intimis est, se adiungens Blatengrad Koceli, Děvín (germanice Theben, hungarice Dévény) quae urbs sedes Rostislai fuisse putatur, Nitram denique Svatopluk principis sedem velehrados (*μεγαλόπολις*) vocat, simulque locos illos quattuor annalistae Fuldensis, qui hucusque de Velehrad Moraviae oppido explicabantur, ad arcem Děvín refert.

Libellum, ubi clarissimus scriptor suam opinionem profert, sollicite et non sine complacentia legi et studiose perscrutatus sum, sed, ut verum fatear, non me contentum reddidit. Quae enim de situ loci Děvín totaque regione in confluvio Moravae fluminis in Danubium refert, respectu quidem digna videntur esse, verum argumenta nihil dubii relinquentia non praebent ad confirmandam sententiam scriptoris, arcem Děvín saeculo nono Rostislai sedem fuisse existimantis. Ad archaeologiam provocat, quae disciplina novella est, neque firmi fixique quidquam per eam hoc saltem tempore statui potest.

Sed ne Fuldensi quidem annalistae loci, quos dixi, indubii quidquam de situ Děvín arcis tradunt.

Quae enim Rudolphus ad annum 855 narrat, Ludovicum regem Rostislaum Moravorum principem ducto exercitu aggressum sine victoria rediisse, malentem adversarium firmissimo vallo munitum ad tempus dimittere, quam militum suorum damna sustinere, devastata magna provinciae parte revertisse Rostislaumque eum insecutum Danubio traiecto plurima finitimorum loca praedando vastavisse, (H. Pertz, Monumenta Germaniae historica, Scriptores I. 369) non probant, firmissimum illum Rostislai vallum in ipsa Danubii ripa fuisse, sed id tantum Moravorum principem in inimicorum terram non penetrasse, et solum Danubii litus locaque proxima depraedatum esse.

Ad annum 864 Meginhardus Fuldensis Ludovicum regem alteram expeditionem Moravicam molitum esse narrat. Quam ob rem Tulnae ad Danubium cum Bulgarorum chagano foedus pepigit. Mense vero Augusto Danubium transgressus Rostislaum in arce Dovina obsedit. Qui quoniam cum regis copiis manus conserere non auderet, effugiendi potestate sibi denegata, obsides quales et quantos rex praeceperat, dedit fidesque ipsi ab eo cum optimatibus eius iurantibus facta est. (Monum. Germ. hist. l. c. 378).

Clarissimus scriptor pag. 47 sequ. ad arcem aliam annalistam respicere potuisse nisi ad Děvín serio negat. Dr. Dudík (Dějiny Moravy, tom. I. pag. 87) Dris Hermenegildi Jireček sententiam secutus erat, qui ad Burgstatt in confluvio fluminum Jihlava, Svatka, Dyje (quae Germani Iglawa, Schwarzawa, Thaya vocant) locum illum quaerebat, verum Červinka perscrutatus hunc locum ne minimum quidem indicium invenit unde homines ibi habitasse coniceretur.

Děvín ad Danubium sedem Rostislai fuisse a priore concedere non possum. Si enim historiam regnorum inspicias, nemo unquam regnantium in extremis finibus suae dicionis sedem fixit, ubi a finitimis populis omni tempore inquietari potuit. Děvín arcem ad defendendam Moraviam adversus eos, qui ab oriente et meridie veniebant, multum proficere potuisse non nego, verum Germanos in eorum adversus Moravos progressu parum impedivisse affirmo.

In annalibus sic scriptum legimus: Ludovicus rex mense Augusto ultra Danubium cum manu valida profectus, Rastizen in quadam civitate, quae lingua gentis illius Dovina, id est puella, dicitur obsedit. Iam Dr. Novotný in novissima Historia Bohemiae tom. I. pag. 310 sub linea argute cognovit, non in ipsa Danubii ripa, sed media in Moravia hanc urbem fuisse. Dein rex Danubium flumen ad Tulnam non vero etiam Moravam transgressus esse dicitur, quod fieri debuisset, si Rostislaum in Děvín ad Danubium obsidere voluisset.

Insuper Dr. Zavadil ita arcem describit: Arx adiri, expugnari non potuit, e qua tamen, si belli dux eam obsidens satis magnas copias haberet, nullum effugium esset obsessis. Quod etiam hoc casu factum esse cognoscitur.

Z. rei militaris peritiam praeprimis vero tacticam Rostislai ducis minimi aestimat, putans, eum sibi suisque omnibus in Děvín arce insidias paravisse. Neque vero Ludovicus rex Moravorum ducem in arce sua duobus fluminibus, alia vero ex parte suo exercitu inclusum impune dimisisset, sed tamdiu obsidionem produxisset, donec Rostislao potitus esset eumque feloniae accusatum perdidisset.

Non valet conclusio scriptoris, Dovinam, cuius annales Fuldenses ad annum 864 nomen afferunt, sitam fuisse in confluvio Moravae et Danubii; eandem vero esse arcem, cuius firmissimum vallum ad annum 855 commemorant, concedo.

Non multo post (anno 869) idem Ludovicus rex iterum Rostislaum sibi subicere voluit. Quapropter tres exercitus paravit. Unum adversus Serbos Lusatios et Bohemos, qui cum illis iuncti erant, homonymus illi filius duxit. Alterum Carlmannus adversus Svatopluk Rostislai nepotem duxit. Tertii vero agminis imperium quo ipse rex Rostislaum debellare voluit, propter morbum suum Karolo filio suo natu minimo tradidit.

Ludovicus minor Serbos Bohemosque in fugam convertit, Karlmannus Svatopluk principi igne et gladio multa damna paravit. Karolus vero cum ad illam ineffabilem Rastizi munitionem et omnibus antiquissimis dissimilem venisset, eam ne obsidere quidem ausus est sed tantum omnia moenia regionis illius igne cremavit, et quae abscondita in silvis vel in agris defossa erant, cum suis diripuit. Tandem vastata omni regione Karolus et Karlmannus fratres convenientes de victoria sibi caelitus concessa gratulati sunt. (Monum. Germ. hist. I. c. pag. 381.)

Dr. Zavadil locum annalium etiam hunc de Děvín arce, quam supra commemoravimus, explicat, sed nulla affert argumenta apta ad persuadendum. Multa quidem de Děvín arce inexpugnabili loquitur, cui similis neque in Moravia neque in Germania fuerit. A Ludovico Rostislaum anno 864, ut se illi subiceret atque cum suis in nomen eius iuraret in eadem arce coactum esse ait. At hoc anno Karolus filius eandem arcem maiore exercitu suo ne obsidere quidem ausus est. Et quamquam Karolmannum fratrem devastata Svatopluk principis regione in auxilium advocare potuit, nihil tamen praeterea molitus est. Si de Děvín arce in ipsa Danubii ripa hic ageretur, novae fortificationes, ut barbara voce utar, in Germanorum oculis fieri debuissent, neque „munitio ineffabilis omnibusque antiquissimis dissimilis“ vocari illa potuisset. Et si tale opus in ipsa Danubii ripa susceptum est, quid obstabat, quominus a vicinis Germanis impediretur?

Praeterea ad annum 871. annales narrant, Svatopluk principem propter crimina, quae ipsi obiciebantur, inclusum in carcerem, sed cum nemo ea probare posset, a Karlmanno dimissum et exercitus adversus Moravos ducem constitutum esse. Qui „ceteris castra metantibus urbem antiquam Rastizi ingressus est... Denique Barioarios nihil mali suspicantes et minus se observantes cum magno

exercitu in castris aggressus est, et multos ex eis vivos comprehendit, ceteris pene omnibus occisis... Quibus auditis Karlmannus de exercitu sui interitu nimium consternatus est et necessitate compulsus omnes obsides, qui in suo regno erant, colligi et Zuentibaldo reddi iussit; vixque ipse unum virum nomine Ratbodum seminecem recepit.“ (Pertz l. c. — pag. 383). Etiam hac „antiqua urbe Rastizi“ Dĕvĭn arcem scriptor significari vult, nam, ut ait, occultis colloquiis principis cum suo populo habitis communem in Germanorum exercitum impetum ab eo factum esse cogitari potest, qui locum oculis compertum haberet. Atqui Germanorum exercitus Danubio et Morava fluminibus traiectis in septemtrionali parte planitiei Dĕvĭnensis castra metatus est, Svatopluk autem in arcem ingressus conspiratione facta accitisque Nitra copiis colles Dĕvĭnenses circumivit et e sinistra parte impetu facto Germanorum exercitum in fluvium coniecit.

Posito, me hoc de eventu recte sentire, ad totam regionem, ubi Velehrad urbs aedificata erat, insulamque, ubi Rastici antiqua civitas (arx) sita erat, non frustra obsidendam, Karlmanno copiae minime suppetebant. Moravorum exercitus partim in arce insulana et in civitate, partim extra civitatem ad pugnandum paratus in Germanos vehementissime invadens cladem maximam fecit, permultis in captivitatem abductis ceteri occisi sunt, iis tantum, qui mature fugam arreperant, exceptis.

Z. dicit: „In fonte igitur, qui maximi est ad historiam illius aetatis Velehrad urbis Magnae Moraviae momenti, nullum prorsus vestigium est“ (pag. 59). Ad hanc objectionem paucis iam supra respondi; tamen etiam ad troparion, quod in Michaelis Petr. Pogodin *Виръло-Методіевскіи сборникъ* Victor I. Grigorovič publici iuris fecit, animum legentium advertere liceat.

Troparion cuius initium est *Moravskyĝ zemlę velengraždaniĝ* quondam in commentariis Brunensibus *Obzor* interpretatus sum et explicavi. Primo, quoniam appositum est illis *slava i poĥvala sĕverĝskyĝ strany* (gloria et laus regionis septemtrionalis), *Велиградъ* (Veligrad) legendum esse putavi, ita, ut *BO* in sententia altera particula explicativa esset. Sed professorem *Drem Pastrnek* ea verba „Moraviae terrae magnum civem“ interpretari certior factus, sententiam meam immutare debui: concessi equidem *Methodium* magnum civem per synecdochen (contentum pro continente) vocari utique potuisse, non tamen sine significatione *Veligradii*; auctorem quippe in antecedentibus eum in *Veligrad* sepultum esse commemoravisse necesse est, si hoc tropario sanctum metropolitam suos e sepulcro discipulos in suam ecclesiam cathedralem alta voce convocantem ob eius sedem locumque sepulturae *magnum civem* (*веленгражданнĝ*) appellavit.

Troparion nostrum ex ultimo carmine (*ϕδῆ*) canonis antiquissimi desumptum est, in cuius locum postea cantica, quae legendis quae Pannonicae dicuntur, originem suam debent suffecta sunt.

Si recte conclusi, vestigium saltem loci dormitionis atque sepulturae sancti Methodii (simul etiam sedis ipsius) civitatis Ve-
ligrad in antiquissimi officii eiusdem tropario certissime inveni.

Minime firma est ultima pars opusculi, ubi scriptor reliquias sancti Clementis anno 863 in montibus Buchloviensibus in belli tumultu reconditas esse docet, quo consilio ad Drem Franciscum Příklad, cuius auctoritas in doctrina prorsus nulla est, provocat, dicens ipsum nonnulla ex antiquis documentis et scriptis afferre, demonstrantia, sanctos apostolos in monte sancti Clementis non procul ab oppido Osvětimany monasterium regulae sancti Basilii fundavisse. Quae tamen documenta providus scriptor (ne irrideatur?) afferre non audet. Nos urgente necessitate qualia primo documenta producta sint, inspiciamus.

Primum diploma, ad quod Příklad provocat, est transumptum Severi episcopi Pragensis (1030—1063) anni 1062, quod in Codicis diplomatici tom. I. pag. 137, ubi esse in ipsius opusculo „Sv. Cyrill a Method v upomínkách památek starožitných na Moravě“ V Týně u Lipníka 1905 pag. 9. dicitur, minime invenitur, est autem in tomo eodem Codicis pag. 32 in adnotatione editoris: „In margine eiusdem chartulae manu saeculi XII. adnotatum est: „Consecrarunt hii sancti viri (SS. Cyrillus et Methodius) etiam capellam b. Clementis in confiniis Moraviae“. Diploma vero Severi episcopi, in cuius margine adnotatio, quam attulimus, legi perhibetur, falsis Monseanis adnumeratur, de quibus Vincentius Brandl (ut de aliis taceam) in Časopis matice moravské, ročník 10 (1878) pag. 77 et sequ., de nostro vero diplomate in specie pag. 79—85 acutissime disseruit; commentatio eius „Fragmenta Monseana či Zlomky Monseovy“ inscribitur. Si totum diploma falsum est, ne adnotatio quidem de consecratione capellae sancti Clementis fide digna est, praesertim cum sanctus Constantinus-Cyrillus cum Methodio fratre in Moravia docens, episcopali dignitate ad consecrandas ecclesias et capellas omnino necessaria careret. Ceterum scriptor opusculi de sanctis Cyrillo et Methodio, qui paginam non recte indicat, minime laudandus videtur.

Alterum documentum annales monasterii sancti Thomae Brunensis esse dicit, manuscriptum per F. 33. n. 597 signatum ad annum 1358 (in adnotatione: Cod. dipl. Mor. IX. 7 addens), diploma erectionis „praepositurae“ in arce et aedibus sancti Clementis non procul ab Osvětimany a Ioanne marchione de dato 18. Aprilis 1357., quod per Očkonem de Vlašim episcopum verbis „Ioannes marchio monasterio beate virginis Marie et sancti Thome Brunensi ordinis sancti Augustini capellam sancti Clementis pape in silvestri solitudine antiquis quidem temporibus pro eiusdem sancti reverentia fabricatam, nunc autem a multo tempore omnibus divinis officiis desolatam . . . pie contulit et donavit“ confirmatum est. Quae verba ex idiomate Bohemico in Latinum fideliter versa

(servata utique et orthographia pristina et loquendi modo) minime cum suo originali perfecte consentiunt.

Dr. Příklad annales monasterii sancti Thomae ad annum 1358, e quibus Gregorius Volný diploma confirmationis erectae per Ioannem marchionem residentiae fratrum eremitarum depromens in suo opere Die Markgrafschaft Mähren IV. Band Hradischer Kreis pag. 177 nota 111 publici iuris fecit, commemorat, ast errat, dicens annales manuscriptos sub F. 33 n. 597 in archivo monasterii asservari, eosque diploma „praepositurae“ Augustinianorum in arce et aedibus sancti Clementis per Ioannem marchionem de dato 18. Aprilis 1357 continere, quod utrumque a veritate abhorret, sicut etiam diploma erectionis de anno 1357 merum commentum Příkladianum est Si enim Codicem diplomaticum Moraviae IX. pag. 7. laudatum aspicias (typhotheta hic evidentiter erravit, lege 73) ad calcem documenti verba „Orig. Perg. im Archive des Stiftes St. Thomas F. 33. n. 597“ invenies. His e verbis quid nisi originale documentum in archivis asservari patet? Interrogatus a me rev. dom. Philippus Pazderka ordinis sancti Augustini respondit mihi, archivum coenobii sub F. 33. n. 597 revera documentum confirmationis donatae ordini a Ioanne marchione capellae sancti Clementis in montibus Buchloviensibus per Ioannem Očkonem episcopum Olomucensem de dato 18. Aprilis 1358 per litteram F. 33. n. 597 signatum asservare. Unde nec annales a Gregorio Volný productos quos eodem modo commemorat — neque vero documentum erectionis praepositurae Augustinianorum in arce et aedificio sancti Clementis die 18. Aprilis 1357, uti Dr. Příklad pag. 9 sui opusculi affirmat, datum esse posse patet, et Codex diplomaticus Moraviae IX. 73 non di loma erectionis praepositurae per Ioannem marchionem, sed documentum confirmationis residentiae per Ioannem Očkonem episcopum exhibet.

Ut probaret, monasterium Basilianorum non tam mature extinctum esse, Dr. Příklad ad traditionem populi, quae hucusque in districtu Hradištěnsi viget, de magis (černokněžníci), qui multa scientes occulte populo benefecerunt, provocat. Ego, qui ex proxima vicinia Hradiště urbis oriundus sum, persaepe audire me memini viros doctos Praga Bohemorum venisse quod utique cum scientiarum universitate a Karolo IV. ibi fundata, non vero cum Basilianis cohaeret.

Haec de diplomatibus, quae Dr. Příklad affert dicta sufficiant. Sed etiam alia scripta quaedam producit. Primum Laurentius Jugan, parochus oppidi Osvětimany, in tabulario arcis Buchlov chronicon quoddam manuscriptum anni 1358 per C. 10. litt. K 17 signatum invenisse dicitur, ubi haec verba legantur: „Sancti Cyrillus et Methodius monasterium sancti Clementis fundaverunt. Monachi Basiliani fuerunt.“ Manuscriptum Příklad ipse non vidit; posito, illud revera inveniri in Buchlov, quid probat testis tam seri temporis?

Dr. Příklad deinde ad Josephum Středovský parochum in Pavlovice non procul a Přerov civitate provocat, qui rudera monasterii circiter anno 1700 visitaverit (pag. 10.) At initio saeculi duodevicesimi Joannes Georgius Ignatius Středovský in Pavlovice parochus fuit, non Josephus. Quem virum circiter anno 1700 rudera ecclesiae sancti Clementis visitasse ille tradit. Scribit enim in Sacra Moraviae historia sive vita ss. Cyrilli et Methudii Solisbaci 1710 pag. 239: „Hic Cyrillus dubiam belli metuens aleam et de sacro clenodio, sancti nimirum Clementis corpore nimium sollicitus, bona regis gratia, loco quodam inaccessible, montibus et silvis operto haud procul Velehradio, in vicinia illa, quae nunc sepit vetus castrum Cymburg, construere coepit ecclesiam divi Clementis nomini dicatam, in qua, si periculum ingrueret, recondi possent extra Bellonae tumultum pretiosae martyris reliquiae.“

Auctorem igitur saeculi duodevicesimi ineuntis, cuius ne nomen quidem verum scit, testem traditionis adducit, sanctum Cyrillum in montibus Buchloviensibus ecclesiam aedificasse, verum ne hac quidem in re ipsi fidit, nam rem aliter se habuisse narrat, uti statim cognoverimus.

Denique Dr. Příklad Catalogi venerabilis cleri archidioecesis Olomucensis locum pag. 46 profert, ubi a nonnullis iam decenniis haec notitia ex opere Dris Volný quod supra commemoravi hausta omni anno recusa legitur: „In eodem loco olim reperiebatur pervetustum sacellum S. Clementis papae et martyris, ut traditur, ab ipsis Moraviae apostolis conditum, cui serioribus temporibus residentia ordinis eremitarum S. Augustini monasterii Brunensis adiecta erat.“

Itaque haec sunt „hausta ex antiquis documentis et scriptis, quae id quod traditur, sanctos apostolos in monte sancti Clementis, non procul ab Osvětimany in hodierna Moravia monasterium ordinis Basiliani condidisse confirmant.“ (Zavadil, Velehrady Děvín a Nitra pag. 106).

Ex his „documentis et scriptis“ Dr. Příklad pag. 11. sui opusculi quod commemoravimus concludere ausus est: „Ex his cognosci potest, Rostislaum anno 863. sanctis Cyrillo et Methodio suam firmam et ampam arcem cum ecclesia aedificiisque iam paratis ad usum ecclesiasticum tradidisse et sanctum Cyrillum hic monasterium ordinis sancti Basilii constituisse, . . . ut hic clerus iuvenis, qui missionibus ad ecclesiam sanctam operam daret, operi sanctorum fidei magistrorum innixus educaretur!“

Quae Dr. Příklad, nulla prorsus critica usus, confinxit, litteris mandavit, quaeque nemo sanae mentis homo recipere debet, haec clarissimo scriptori veri simillima videntur, (Op. cit. pag. 106) quod valde mirandum est. Ut verum fatear, VI^a parte sui opusculi omnis suae auctoritatis in doctrina dispendium passus est, quoniam traditionibus, recte commentis, Příkladianis fidem adhibuit

easque omni prorsus fulcimento egere minime agnovit. Dr. Přikryl enim quae in suis „fontibus“ invenit, pro suo lubitu recipit vel reicit, permutans, affirmans, quae ipsi placent.

Magnopere mihi arridet scriptoris coniectura, cum Svato-pluk ducem non in antiqua Rasticii urbe, de qua Meginhardus Fuldensis ad annum 871 loquitur, sed alibi, fortasse Nitrae sedem sibi elegisse conicit.

Cum veritate minime convenit, quod pag. 103 legitur: Postquam consecratus est episcopus, per aliquot annos in Pannonia mansit Methodius, cui perpetua contentio fuit cum episcopis Germanis, qui ei in hac terra ius muneris episcopalis exercendi denegabant. — Nam intra annum post suum Roma reditum e territorio, quod archiepiscopus Salisburgensis sibi arrogabat, cedere coactus ab Hermanrico episcopo Pataviensi in vincula coniectus est. Nec (pag. 103) legenda Pannonica tantum, sed quod magis valet, authentica Ioannis VIII. decreta testantur eum libertate orbatum et tandem anno 873 iubente summo pontifice dimissum esse.

Legenda Pannonica non testatur, Methodium corpus mortui fratris Constantini-Cyrilli in monasterium ab ipso fundatum, quod scriptor dicit (pag. 106 n. 15), sed in monasterium ipsius sub Olympo non procul ab urbe Cyzico constitutum transferendum curare voluisse.

Fr. Svopek.

I. Rybák, Poučení o hlavních ctnostech. (De virtutibus cardinalibus) Praha 1912. Nákladem vlastním. Pr. 2 Cor., 50 pag.

Series orationum, quae huc non pertinet nisi quatenus nova quaedam afferuntur. Nam in VIII. oratione p. 37 et 39 apologetice explicatur, unde repetenda sit inhonestas luxuriae. Exposita èa ratione, qua ob excessum (immoderato voluptatis studio), iustitia vel caritas negleguntur, quaerit de inhonestate non extrinsecus sed ex proprio fonte repetenda. Atque reiectis aliis sententiis solum inde inhonestatem luxuriae propriam repetit, quod inhonestum sit quemquam amare summo amore sensuum, qui summo amore animi dignus non sit. Quodsi coniux sit in statu peccati, eius indignitatem suppleri dignitate Christi vel ecclesiae, cuius vices quodammodo gerat, postquam matrimonium elevatum sit in sacramentum. Praeter argumenta negativa, quibus aliae sententiae refelluntur*), sensus communis affertur, quo duce ideo quaedam carmina

*) Nam illud e cavendo periculo excessus sumptum sane *R.* non agnoscit cum dicit p. 38: „Mohl byste popřítí, že stav toho, který se odává mírně smyslnosti je nebezpečnější a horší, než toho, který i této odporovati dovede; nebo ve skutečnosti se oba drží ve svých mezích, i ten, kdo si myslí, že si nesmí nic dovoliti, i ten, kdo si myslí, že si může aspoň mírnou smyslnost dovoliti. Je to jako když na př. chlapci je zakázáno v zahradě, která má tři oddily, — v jednom jablka, v druhém maliny, v třetím květiny — trhat jablka, ale květiny trhati smí. Jde však o to, zdali smí trhati také maliny; kdyby je totiž okusil, zatoužil by asi i po jablkách . . .“

reprehendantur, quod ea, quae liceant vere amanti, in vulgus trahantur et quo ducti nondum corruptis moribus homines non voluptate sensuum suorum sed voluptatis societate, veri amoris dulcedine alliciantur. — Si haec constanter dicuntur, multa videntur sine peccato posse fieri, quae peccata esse a moralistis fere putantur. Scilicet licet concedatur, ut aliquis vero amore dignus sit, necessariam esse summam virtutem, neque eiusmodi virtutem inter homines inveniri ideoque omnia matrimonia non christiana, saltem quatenus in iis voluptas intendatur, non modo permittatur, esse aequae legi naturali contraria atque omnem vitae societatem inter diversi sexus homines, in qua servata caritate et iustitia (velut saltem, si perpetua sit et proles renuntietur) voluptas quaeratur, licet, inquam, haec concedantur, tamen cogitatione id fingi potest quod re non est, et hoc modo in adultis cogitatio de voluptate a peccato immunis fieri poterit. Praeterea multa non luxuriae sed caritatis vel iustitiae neglectae peccata habenda erunt et ad luxuriam eo tantum modo pertinebunt, quo alia ad avaritiam pertinent, etsi hucusque fere eorum inhonestas propria esse putabatur velut onanismi. Quare etsi sententia *R.* subtilitate sua et aliarum infirmitate commendetur, certa haberi posse non videtur.

Accedit, quod ipse *R.* verbis „Ideálně jest ukojení pudu neboli požitek smyslný pouze dovolitelný jako koruna ideální lásky. Je to akt, na který dává právo pouze láska, nebo který je svou bytostí doplněním lásky“ p. 37 non illam rationem, quam modo exposuimus, significare bene videtur potuisse sed ab illa diversam. Illam praestat certe nominare inhonestatem sordidi amoris quam dicere inhonestatem luxuriae, quae in excessu voluptatis quo contra iustitiam vel quovis modo alio peccatur, ponenda est. Iam altera haec vocari videtur posse inhonestas abusus voluptatis et hoc modo explicari: Naturae intentio est caritatem consummare voluptate idque ideo, ut confirmetur amor inter coniuges, qui bonus est proli et confert ad indolem utriusque coniugis perficiendam. Atqui haec intentio consummationis contemnitur, si quis voluptate potitur sine caritate, quia ea re ipsa tollit in ea rationem consummationis idque et in se et in complice. Ergo agit contra talem intentionem naturae, quam neglegi non liceat agitque contra eam ita, ut damnum restitui iam nullo modo possit. Et qui saepius ita agit, magis tollit etiam illud extraordinarii, quod etiam post primum huiusmodi peccatum in consummatione matrimoniali remanebat. Itaque colligitur hinc inhonestas voluptatis extra firmam coniunctionem (quae tamen non est necessario matrimonium, cum ea ratio ad improbandum consortium coniugum prolem excludentium non valeat) et extra firmum propositum matrimonium numquam contrahendi (quod qui habet, ad eum haec ratio abusus voluptatis solum ratione scandali vel cooperationis pertinere videtur posse). Hac sententia de vi consummationis matrimonii explicari potest videri etiam discrimen inter matrimonium ratum et consummatum, quod a Graecis theologis ignoratur nec facile

a rei natura posse repeti videtur (cf. Sl. l. th. I 9). Contra hanc rationem abusus voluptatis obici potest naturam ipsam pollutione involuntaria illis bonis obtinendis obesse. Sed etsi a recta ratione alienum non est, eiusmodi rem permittere, dummodo ne voluptas intendatur, tamen eam appetere ab ea alienum esse potest. Praeterea contra eam afferri potest a pari esse concludendum, eiusdem generis peccatum esse, si quis pulchritudinem faciei voluntarie tollat, quae inhonestas fere agnosci non videatur; nam eodem modo bono prolis amorique coniugum eam prodesse videri idque ex naturae intentione. Sed auctori rationis ipsi relinquamus, ut si placeat eam defendat vel aliter explicet ac nobis explicanda visa est.

In IX. oratione, quae appendicis instar videtur addita esse, copiose explicatur notio veritatis et veracitatis; qua explicata (ita, ut restrictionis rationi usuique vix videatur relinqui locus) scriptor probare conatur libros sacros ab omni errore esse liberos, quippe cum veritas in iis ea tantum quaerenda sit, quae infirmitatis nostrae mentis habita ratione intendi potuerit vel intenta sit. Exemplum affertur parentum liberos vario modo — nobis falso, illis vero quia captui eorum accommodato — monentium, ut mala caveant. Deum solum ea, quae aliquo modo ad religionem referantur, homines docere voluisse, alia (psalmos quoque?) solum Iudaeos, alia omnes. Ubi igitur solum moribus commendandis detur opera, ibi fabulas (quo etiam liber Iob revocatur) eodem modo esse aptas atque veram historiam et argumenta „ad hominem“ aequae apta ac semper valentia (p. 43). Patres, cum fabulas pro historiis haberent, errare potuisse, cum quaestio haec non sit posita in revelatione. Nonne tum concludendum est: „ecclesia catholica ipsa profitetur se non esse ab errore immunem nisi in rebus fidei aut morum discernendis; quae igitur praeterea in sacris libris continentur, nulla auctoritate ab errore immuni explicari posse, ergo inspirationem eorum fine carere“ — negandamque esse? (Justus, das Christenthum . . . p. 171). Hac ratione multa facile solvuntur, dubito tamen an omnes difficultates tollantur; tollerentur, si inspirationis notio ad rerum revelatarum humanam narrationem revocaretur, sed num haec sola ratio sufficit ad talem sententiam probandam? Verum est e concilii Vaticani decreto (s. III c. 2; Denzinger¹⁰ 1636) effici solum inspirationem ultra res fidei morumque pressius intellectas ita extendi, ut moraliter libri integri cum partibus suis omnibus inspirati sint, etiamsi inspiratio se ad minima quaeque non porrigat; neque a Leone XIII aut a Pio X errorem omnem exclusum esse declaratum est (cf. Straub, De ecclesia II p. 216—7 n. 863) Verum! item est ecclesiam infallibiliter interpretari posse ea, quae velut data opera, non obiter in libris sacris posita sunt: quae sunt summa omnis libri et omnis partis longioris libri et omnis sententia libri, quae etiam per se sola ad libri finem, sanctitatem hominum in fide vel moribus promovendam conferat (ibid. p. 242 n. 874). Sed ecclesia etiam id infallibiliter

docere potest, sine quo tutela efficax inspirationis esse nequit (ibid. p. 249 n. 881).

Ex iis, quae obiter tantum commemorantur, notentur haec: P. 30. *R.* consentire cum iis videtur, qui priscam ecclesiae artem a falso pudore liberam renovari cupiunt nec Salomes saltatione (St. Zeno Veronae etc.) aut primorum parentum nuditate (San Marco Venetiis 1213 etc.) offenduntur, ut E. Bredt, *Sittliche oder unsittliche Kunst*. München 1911 aliique. Qua in re certe multa distinguenda sunt. — P. 38 ratio affertur, qua explicari possit, cur suicidium et sui mutilatio et cur procuratio abortus sit inhonesta: debere nos Dei donis uti donec aequam vel maiorem Dei gloriam cum eorum renuntiatione coniungi constet. *R.* difficultatem videtur sensisse in defendenda sententia eorum, qui simpliciter negant hominem a Deo accepisse ius vita aliisque donis non utendi. Sed, ut ipse rem enuntiat, nimium videtur probare.

Ceterum in exponendis casuistarum modo virtutibus (maxime prudentiae) haud scio an paucos habuerit auctores, quos sequeretur.

Laudare alia praeclara, quae in libro *R.* qui de munere suo egregie sentit (p. 9, 46) inveniuntur, ab instituto nostro alienum est. Mendorum plenus est (Eále, appriorní etc) neque peccata in grammaticam desunt (nepoví 3 pl. etc.), quod mirum non est, cum non sit ab ipso *R.* editus, sed ab aliquo ex iis, qui orationes eius audierant.

I. *Kramář.*

Russica.

Ер. *Mihail, Надъ евангелиемъ.*³ (Nad evangeliem). **Super evangelio.** Poltava 1911. 1:50 r. (venit apud bibliopolam G. I. Markevič, Poltava, bul'var Kotljarevskago et al.)

Liber hic totus duabus constat partibus: vita episcopi (antea archimandritae) Michaelis (antea Michaelis Gribanovskii) scripta ab A. L. (p. 1—136) et XXXII capitibus, quibus singulis evangeliorum locus explanatur (p. 1—257). In his sententiae exponuntur, quae et in se et ratione originis dignae nobis videbantur, quas in commentariis nostris commemoraremus. Loci evangeliorum, qui considerantur, certe a difficultatibus alieni non sunt, neque exiguum momentum iis tribuendum est.

C. I. Credendi donum in nobis modo uberius modo parcius sentimus; penes Deum est unicuique modum definire. Hoc dono utendum a nobis est, sicut agricola pluvia utitur. — Regeneratio per gratiam necessaria est ad Christi mandata servanda; sine Spiritus s. auxilio renovantis nostram naturam nihil in hac re proficiemus. (Lc. 17, 5).

II. Ideo nunc plurimi homines in dies magis servi evadunt externarum vitae condicionum, certaminis de cibo, auctoritate etc.,

quod viribus naturae freti vim regenerationis Spiritus s. neglegunt. Eo res pervenerunt, ut ne cogitari quidem posse perfecta nostra regeneratio nobis videatur.

Nullum mali remedium est — neque doctrina neque cultus atque humanitas — praeter novum semen recentis vitae. Ideo Christus venit, ut Spiritu s. nobis misso novam vitam nobis daret; hoc muneris sui praecipuum opus duxit ipse Dominus.

Cum Deus nos hortatur, ut regeneremur, Deo adiuvante agredi debemus ad novam vitam incohendam. Omni cordis et mentis nostrae libertate gratiae regenerationis nobis donatae dabimus operam. Semper memores erimus, nos esse novam creaturam in Christo et ideo in omnibus rebus secundum voluntatem Dei, secundum hominem renovatum nos geremus; maxime vero spem nostram in Dei auxilium, in Spiritu s. gratiam, quae nos regenerat, et fontem novarum virium continuo nobis largitur, transferemus.

Itaque duplex res poscitur: regeneratio ipsa et cogitatio de hoc facto tamquam principium honeste agendi; accedunt sua sponte hinc novae vires (ipsa quoque dona? an vires naturales gratia regenerationis excitatae?), illinc vita conveniens homini regenerato.

III. Distinguenda est pars naturae physica et ea, quae sensibus percipitur, a parte sublimiore, saltem aequae vera, sed ea, quae conspici non possit, quae trans phaenomena est. In hac quidem re viri docti catholici cum scriptore consentiunt. Sed simili modo etiam homines putat exterius sequi cupidinem, veriolem autem esse mundum amoris et convenientiae in animis hominum etiam malorum. Hac ratione illud Lc 17, 21 (regnum Dei est intra vos) explicatur.

VI. In bonis operibus, velut in eleemosyna danda, non id potissimum intendere debemus iuvare hominem sed gratificari Deo; huc trahitur Mt. 6, 1—4.

X. Non scrutatione mentis, sed fiducia cordis pervenitur ad Christum.

XI. Terra praeteribit in crassa materialitate sua, sed eius formae vitae, quae aeternae pulchritudinis divinae speculum sunt, manebunt, ut Domini gloriam flore innovato maiore et modo et contentu etiam augeant... Dum materiae formas amamus, non res caducas, praetereuntes amamus, sed aeternum Dei donum, quocum vinculis eiusdem manus efficientis coniungimur. — Itaque scriptor caecus videtur esse ad videnda ea, quae in natura rerum abhorrent ab integritate operis divini, neque distinguit formam naturae aeternam a caduca, pro hominis condicione praetereunte procreata.

XII. Quomodo Spiritus s. operetur in nobis. Adventus Spiritus s. (Io. 16, 13) est spiratio Spiritus s. in spiritu hominis ei simili. Mittitur libere et recipitur libere i. e. recipitur proprietate naturae animi et eorum, quae historia et condicio eius vitae ferunt, servata. Deus neglegere potest particularia et non necessaria ho-

minis, sed natura et indoles eius vi divina absorberi non debet. Distinguendus est nobis cum ecclesia spiritus hominis ab anima hominis. Spiritus hominis libere subici potest efficientiae Spiritus s.; sed cognitio notionalis et enuntiatio verbalis ex ea condicione pendent, ad quam vita animae pervenit. Propterea in omnibus libris inspiratis quaedam propria scriptorum eorumque temporum inveniuntur. Verum spiritus hominis spirans vi divina etiam vires animi attingit, mundans, confirmans, illuminans, perficiens cor et voluntatem et mentem et linguam.

Spiritus s. est revelare nobis omnem veritatem: praesentem — nam solum ea videmus, quae cor nostrum vult et credimus ea vere esse, quae vera esse volumus; neque ea videmus, quae vera sunt in se et coram Deo; — praeteritam — neque enim huius veram imaginem in nobis retinere possumus neque vestigia Dei in ea videmus; — futuram; quae praesenti condicione iam continetur: nam et mundus a Deo aversus legibus fortunae suae progreditur et divinus mundus libertatis et boni secundum leges morales intestinas immutabiliter procedit.

His certe cognitio rerum liberarum futurarum aliter explicatur a scriptore atque a theologis nostris; quid de libertate arbitrii sentiat, manifestum non est.

XIII. Evangelia scripta non sunt a chronistis vel rerum scriptoribus, sed ab hominibus, quorum voluntates cum voluntate Dei id unum de homine cupientis, ut regeneretur in Christo et ita salvetur, coaluerunt. Non memoriam rerum subiectivam sed aeterna Dei monita referunt. Quapropter verbum divinum est vivum et aeternum et est semen incorruptibile, ex quo nostra regeneratio oritur (1 Petr 1, 23).

XIV. Cur scrutatio scripturae sacrae nostrae aetatis viros doctos potius a Christo avertit quam ad eum convertit, sicut pharisaeorum studia scripturae, quos, ut scripturas scrutarentur, Christus admonuit (Io. 5, 39)? Libri sacri dati non sunt nisi fidei et caritati ecclesiae; non sunt monumenta historica sicut alia, ad quae iudicanda homo accedere possit extrinsecus, stans extra ecclesiam. Cavendum est etiam, ne exegetae nostri viam huiusmodi criticorum sequantur nisi ad defendendum. Non est eventus in rerum memoria, de quo dubitari non possit, cum ad singula descenditur. Nos in legendis et interpretandis libris sacris ecclesiam sequi debemus.

XV. Qui in Christo vivit, in eo omnia inspirata esse debent, omnia manare debent e Spiritu s. Sed inspiratio efficax est pro animi dispositione. Maxime postulatur, ne in animo sit chaos, sententiarum plena incertitudo, affectionum levitas, infirmitas voluntatis. Optime parati erant animi iudaeorum, tot saecula religione culti, etsi nonnulli auctoritate legis peritorum et pharisaeorum ducti in partem pravam deflectebant. Sed etiam ethnici illius temporis bene dispositi erant; tamen ad plene interpretandam Spiritus s. vocem idonei non erant. Quapropter nonnulla propria, nonnum-

quam minus accurata vel etiam a revelatione aliena apud posteriores occurrunt. Discernere plenam et puram Spiritus s. lucem a radiis reflexis iam erat universae ecclesiae, cuius personam gerebant, qui synodis intererant (sud'eju javljaetsja uže vselenskij golos vsej Cerkvi v eja čělom, v licě eja predstavitelej na soborah). Tempore procedente ob verae dispositionis animorum inopiam tutum iam non erat inspirationi personali confidere. Qua de causa traditio historica vivae vocis Spiritus s. locum obtinuit, id quod ipsa fidelium conscientia poscebat, qui discrimen inter se et primos, qui regenerationis compotes facti erant, perspexerant. Hoc modo educatio christiana naturam historicam nacta atque externa auctoritati ecclesiae subiecta est. Hoc omnino conveniebat in educatione nationum infirmarum necdum intrinsecus constitutarum (ne ustanovivšijsja vnutrenno). Sed lex aliam vim habere non debebat nisi ut educaret et duceret ad vitam Spiritus s. ecclesiae concessam. Verum educatio haec novarum nationum perfecta non est ab ecclesia universa, et ecclesiae particulares in ipsa educatione quaedam particularia iusto magis inculcarunt et aliena addiderunt. Roma propria quaedam induxit et addito cultu civili et externa vi regnare coepit externa auctoritate. Haec via non erat via ad libertatem vitae Spiritus s., ad plenam regenerationem nationum, quae educabantur, ad id, ut essent nationes Dei, participes vitae Christi et inspirata eius exempla seu exhibitores (vyraziteljami). Quo factum est, ut nationes aut in via externa oboedientiae erga Romam aut in via externa seditionis adversus eam manerent. Russorum populus satis suus fuit in progressu; etsi clerus ea auctoritate non fuit, ut nationis massam ad disciplinam redigeret, tamen ipse populus, spiritualis infirmitatis suae memor, semper huic auctoritati constituendae studebat: unde orta est et exterioris disciplinae ecclesiasticae infirmitas et nationis ad externas traditiones et decreta, ad litteram et ritum ecclesiae etiam adversus potestatem „centralem“ (velut a palaeodoxis) propensio. Russiae est disponere animos, ut gratia Dei omnes condiciones necessarias ad libertatem sanctae inspirationis in Christo gignendam inveniat. Quae libertas et vita in Christo non poterit esse nisi post longam animorum in spiritu vere christiano et ecclesiastico educationem. Tum demum existere poterit natio Dei Novi Testamenti.

XVI. Cum quaeritur sitne Deus, animus iam vita decedit; haec quaestio est artis, non vitae. Et singuli homines et nationes, quamdiu vivunt et iuvenes sunt, semper alicuius numinis potestati subiciuntur; et quo quisque vegetior ingenio et viribus est, eo potentio rem et sublimio rem sequitur vim et eo felicius vita eius progreditur. Itaque vita eligendos tantum proponit deos, numquam quaerit sitne deus. Vita enim est motus, motus est ad aliquid, haec regio motus definitur aliqua vi, vis autem haec est vitae deus. Et cum vita variis obnoxia sit viribus, etiam inter se repugnantibus, vita vel ad diversa distrahitur vel enervata nec huc neque illuc iam nititur, sed in levibus affectionibus, contemplatione, dubita-

tionibus versatur, nisi vis illa omnia, quaecumque ad vitam momentum afferunt, regit vitamque ad continuam convenientiam ducit. Ut huic rei mederetur Christus vim Spiritus sancti in terram attulit et omnes invitat, ut eam experiantur atque sequantur; ipse testatur eam ducere ad vitam aeternam. Sed solum ii, qui sunt ex veritate (Io. 18, 37) i. e., in quibus tantum vigoris spiritus conservatum est, ut vim Spiritus Christi recipiant, in quibus superest vitae „instinctus“ et desiderium eam integre et continuo explicandi, eo perveniunt. Qui quaerunt sitne Deus, idonei iam non sunt.

XVII. Qui Christum sequebantur, eum testantem Deum esse Spiritum (Io. 4, 24) nihil aliud facere cognoscebant, nisi agnoscere illam vim veram et invictam Spiritus Christi, quam ipsi in spiritu suo receperunt, quae eos regeneravit, per eos omnia victuram et immutaturam, vim personalem, vivam, liberam. Sed cum copia illa interioris vigoris, quam Christi persona excitaverat, praeteriisset, homo naturae desideria secutus paulatim in eius potestatem veniebat. Nam natura viresque eius regnaverant sine hominis industria vel auxilio; verum vim Spiritus divini suo spiritu sentire, corde eius iura agnoscere, dona eius sua facere non possunt homines nisi libera virtute, quantum secum ipsi certant seque vincunt, id quod difficile est ac naturae nostrae pravitati contrarium. Itaque, cum naturam deum esse concedere iam non posset, ad novum autem deum propius accedere in provincia caritatis spiritualis et libertatis atque eius vim suam facere eumque Deum re, non nomine tantum, facere difficile esset, homo arte vel ratione Deum-Spiritum caput suum agnoscebat, mente eum venerabatur, sed re usuque in naturae potestatem redactus est, cuius iura ratione non tuebatur. Hoc modo Deus noster est cogitantium tantum (liš' ideja, mysl', inogda prosto daže zvuk).

Vis Spiritus non datur nisi libertati; sed ubi est haec libertas? Desiderant eam solum ii, quorum vita legibus mundi exterioris et interioris contusa est, homines magna ex parte „rudes“; sed homines culti ut liberentur a dominio naturae, desiderare non videntur. Propterea vera vis Spiritus deficit; non sentimus eam, non credimus confidimusque eam esse; in vita vix apparet. Quod Christus dixit caritate et sanctitate Spiritus omnia victum iri, num re experimur? Infirmus est in nobis spiritus caritatis, inanis. Deos antiquos abiecimus, sed Deo novo, qui est Spiritus et adorandus in spiritu (Io. 4, 24), in spiritu aram nondum extruximus.

XVIII. Multi, qui sincere ad Christum videntur tendere, a dubitationibus liberari non possunt. Temporum iniquitatem conqueruntur, quae credendi difficultatem magnopere auxerint. Non concedit id scriptor, sed aliunde difficultatem repetens ait nos, etiamsi Christi tempore fuisset, credituros fuisse eumque secuturos non secus ac nunc credamus eumque sequamur — etsi aliis rationibus nunc ducamur ac tum ducti essemus. (Quae tamen non ita premenda videntur esse, ut liberum arbitrium his negari appa-

reat). Nam cum rationes sequi videmur, e rationibus dumtaxat eligimus eas, quibus illud probemus, quod iam in nostro libero spiritu decretum est. Itaque prout spiritus noster libera industria profecit, credendo ad Christum accedimus. Ut credamus, non extrinsecus dubitationes nostrae repetendae sunt, sed introrsum mentis acies convertenda est; quod si fecerimus aliunde periculum imminere invenerimus, ut ei occurramus animum inducemus, ad credendum perveniemus. Christus dicit: Spiritus vivificat. verba, quae loquor vobis, spiritus sunt (Io. 6, 63) i. e. intrate in Spiritum, in integram regionem vitae spiritualis, sine ullis rationibus ex his citumis rebus haustis et intellegitis me et credetis. Hoc modo Io. 6, 26 ss. scriptor interpretatur.

XIX. Non credit, nisi quem Pater traxit ad Christum (Io. 6, 44); sed Pater trahit eum, qui se ipse disposuit; itaque credere non est res divini arbitrii. Ceterum non trahimur vi quemadmodum ille, qui ut traheretur, quo ipse venire non posset, impetravit, libere trahitur. Sed vel ideo Dominus ad salvandum genus humanum viam mortis in cruce elegit, ne libertatem humanam tolleret, ne vim hominibus inferret, sed ut corda eorum moveret vi morali, spirituali. Comparatur tractio ferri magnetica cum tractione Patris: non sumus idonei qui trahamur, nisi vires nostras singuli in unum colligimus; quo longius a Deo discedimus, quo plures sententias, affectiones, desideria inter Deum et nos ponimus, eo minus trahimur.

XX. Ecclesia non est democratice constituta, sed potestas concilii manat ex potestate a Christo apostolis data.

XXI. Vita ecclesiae aliqua ratione similis est vitae Christi. Magni momenti in hac dies fuit, quo Christus ea exposuit, quae apud Io. VI. leguntur. Antea copiis plebis cinctus aperte docebat et medebatur (cf. p. 130); ex eo die discipulis electis solis utebatur eosque instruebat. Beneficiis christianae religionis adductae gentes ecclesiae nascentis agmina auxerunt; Romae studium ortum est eos, qui Christo succedebant, potestate huius mundi ornandi ut hac ratione felicitati suae consulerent; Romani episcopi vehementer cupientes Christi munere in terra fungi, cum potestati eius spirituali non satis fiderent, per errorem eius nomine regnare coeperunt in terris. Multa quidem hac nocte moliti sunt, sed undae desideriorum humanorum eos operiebant. Cumque mane nationes desiderio felicitatis non expleto cognoscerent, Spiritum Christi, qui mundum renovavit, secum non esse, Christum evanuisse, omne vitae genus liberari coeptum est ab auctoritate papae: fides, doctrina, ars, res publica. Cum vero ecclesia, quae verum Christi Spiritum servavit, universo orbi Christi de mystica et mere spirituali personae suae vi orationes enuntiaverit, iterum non intellegentur et Christus solum cum electis manebit.

XXII. 37 paginis explicatur Io 6, 45. *Διδάσκω* (*διδασκῶν*) ad rationem, *μαθητῶν* (*μαθῶν*) referendum est ad usum, quemadmodum etiam Col 1, 6—7. Possumus a Deo instrui, copia credendi

potest esse magna, et tamen potest non credi. Accedere debet hominis libertas, quae primum cernitur in eo, quod in veritate cognoscenda vocem ipsius Dei audimus. Audiri non potest, quocum non est usus, in cuius verbis et sententiis viva eius persona non sentitur. Quodsi audiendus est Deus in cognitione veritatis, debemus eum in ea sentire, et ut ita dicam eius vivam personam intra eam proicere. Ad hoc necesse est conscientiam nostram in unum conferri seu colligi („concentrari“) idque multo magis quam ad percipiendum in aliquo verum „interiorem“ hominem. Huius rei copia imprimis hoc tempore impeditur, quo omnis animorum institutio accommodata videtur esse ad disponendos eos ad hypnotismi et suggestionis experimenta, nempe ad conscientiam dispergendam.

Quapropter primus gradus liberi spiritus nostri in ascendendo in regiam suam regionem, ubi ad Christum accedere possit, est liberam conservare conscientiam a vitio dispersionis et diffusionis ac vires eius contra quaevis impedimenta augere, ut apta evadat ad audiendum Deum. Sed quomodo vivum Deum audire possumus, cum particularia tantum inter se non cohaerentia nobis obvia sint, ex quibus nihil, quod vivum aut unum sit, componere possimus? Christus dicit: omnis qui audit *τὸν πατέρα*, venit ad me. Itaque non ignotum quendam Deum ut audiamus studere debemus conscientia nostra libere in unum collecta, sed eundem Patrem, cuius „feci“ iam in intimo spiritu nostro scriptum est. Deum extrinsecus solum ideo percipere possumus, quod eum, ut Patrem, intus habemus. Deum, qui ignotus nobis sit numquam cognoscere vel sentire possumus. A spiritu nostro cognosci non potest nisi Pater, quem novit et qui eum genuit. Extrinsecus Deus audiri non potest, nisi intus in animo ipso audiatur. Itaque in animum nostrum consideratio nostra convertenda est, a qua externis rebus sevocari non debemus. Sed mundus hominis intestinus amplus est; neque conversio mentis in animum nostrum quidquam valet, nisi assequimur id quod intendimus; conversio illa debet esse conversio conscientiae integrae, non dispersae; si sola ratio eo convertitur, nihil nisi inanis eventuum interiorum cognitio sequitur; si affectione tantum immergimur, mysticismus obscurus oritur; si voluntatem eo dirigimus, stoicismus et rigorismus nascuntur. Haec omnia a vero aberrant neque ad Deum vivum perducere queunt. Perducit eo sensus ille, quo filios nos sentimus, coniunctus cum singulari solacio animi reducis in patriam ex diuturnis erroribus et malis; quo in sensu ita universa nostra natura spiritualis movetur, ut errari in eo non possit: haec vere est vox Patris. Quam vocem qui audierit, in eius litteras non solum intra se inveniet, sed etiam extra. In omnibus rebus —, in omni lege, in omni flore Patris vivi vocem audiet; veritatis cognitio iam non inanis rerum particularium neque arduum studium cognoscendi in iis Deum ignotum, sed animi vehemens nisus, quo carissima lineamenta sonosque Parentis sui dignoscere conatur. Hic est alter gradus in via ad Christum.

Tum necesse est hanc Patris perceptionem summa industria colere (*μαθών*), ut quam saepissime audiatur Pater intra et extra et copia detur fruendi eius vocibus atque voluntas haec prosecutionatur. Si usquam necessaria est industria in animadvertendo, certe necessaria est in animadvertenda voce Patris. Notum est sonos vel alia, quae animadvertimus, augeri posse studio ea percipiendi; quo eventus stigmatizationis aliaque pertinent. Quod studium si in particularem rem vel in rei partem convertitur, monoideismi morbus oritur; verum summa in percipienda viva Patris voce intentio est plena libertatis spiritus virtus et plena dispersionis victoria.

Haec omnia psychologica explicantur ac psychiatricis exemplis illustrantur.

XXIII Notio redemptionis paucis explicatur (Mt. 20, 28). Christus peccata nostra in se suscepit, non formaliter-iuridice, neque subjective-moraliter (acsi suo exemplo tantum nos ad paenitendum et patiendum movere voluisset) sed „vitaliter“. On v strogom smyslě slova Iskupitel' mira, tak kak prinimaet na Sebjā vsju tjažest' mirovago grěha i ozloblenija. Homo viam aversionis a Deo ingrediendo vitae suae progressum in saecula sibi definivit. Vita hominis lapsi progressus mali ac poenae evasit; hoc modo homini, cuius natura Dei similis aeterna esse debebat, aeterna imminerebatur perniciēs, i. e. aeterna via ad interitum sine spe interitus absoluti. Salvati aliter non poterat homo nisi catenae huic causarum et eventuum altera aequae magna, qua illa vinceretur, tolleretur, opposita. Ita Christus factus est fons nostrae regenerationis. Hominum egoismus et malignitas eius passionis crucisque causa fuit, sed ex hac potissimum re vis manat regenerans nos. A mortuis redux mortem vincit, amore iustitiam Dei contegit.

XXIV. Explicans 1 Cor. 8, 5—6 (multos esse deos) scriptor docet quemvis hominem, qui aliquid velit, aliquem deum habere, sive ventrem, sive aurum, sive veritatem, sive alium — usu, etsi non ratione.

XXVII. Explicatur Io. 12, 28—29; non vulgo miracula fiunt, cui essent pro ludo, sed iis, a quibus vera miraculi vis cognosci potest.

XXVIII. Explanatur Christi de divortio sententia; nihil docebat nisi adulterii peccatum committi, quocumque modo coniuges inter se separentur. Quaestionem iuridicam de vi pacti violati, qua quaeritur maneatne pactum an sublatum sit, Christus non tetigit.

XXX. Explicatur Lc. 17, 20—37: Pharisaeis interrogantibus, quando et ubi nova vita, regnum Dei futurum sit, Christus respondet: quando vobis placebit; initium intra vos capiat necesse est. Respondens vero discipulis tacentibus, in quibus iam novae vitae origo incohata erat, iam de regno perfecte constituto seu de illius initii fastigio loquens tum id futurum esse dicit et ibi, cum et ubi ad id interior vitae humanae processus perduxerit; quem processum e libertate hominis pendere.

XXXI. Satis copiose explicatur miraculum V panium et eundi super aquam (Mt. 14, 13—33; Mc. 6, 31—52; Lc. 9, 10—17; Io. 6, 1—22). Tertium Pascha (ipsum diem Paschae proximum significari maxime ex loco, quo apud Io. commemoratur, colligitur) Christus non Hierosolymis sed per miraculum in Galilaea celebraturus (ubi enim ipse est, ibi Hierosolyma), in fines Philippi secessit. Vectus erat una cum apostolis, egressus est in litus ad Bethsaida et in locum desertum proficiscebatur; apostoli autem versus septemtriones vehebantur et ad Kapharnaum navem apulerunt. Cum apostoli in litus egressi essent, vulgus iam aderat *καὶ συνῆλθον πρὸς Αὐτόν* (quae verba testis esse apparet). In narratione huius eventus Mt. consilium ipsius Domini ante oculos habet, Marcus Petri e regione Nazareth reversi desiderium quiescendi, Ioannes complere tantum studet ommissa; sed versu 22 ipse quoque testem se praebet eorum, quae ceteri narraverunt. — Egressus e loco deserto Iesus multitudinem vidit advenarum, inter quos nonnulli quoque apostoli (Andreas, Philippus, Ioannes) erant. Postea, cum advesperasceret, etiam Mt. et Petrus ad Dominum profecti sunt, et, cum advenissent, rogaverunt, ut vulgus dimitteret. Quae Christus cum Philippo et Andrea locutus erat, ignorabant. Lc. in narrando eventu ut rerum scriptor rei caput exponit omissis iis, quae singulorum testium propria erant. Vespere discipuli ad lacum iverunt et Christus eos navem conscendere coegit (Mt. 14, 22; Mc. 6, 45), cuius rei ratio solum apud Io. explicatur; animadverterant enim parari a vulgo rem, a qua abesse nolebant. Apostoli fortasse ad Bethsaida navigabant, Ioannes consilium Domini haud scio an significaverit. Idem Dominum venturum exspectabat (Io. 6, 17) sive consilium eius noverat, sive rem praesentiebat. Petri virtus, qua ceteris praestabat, apud Mc. silentio praetermittitur (sicut 8, 29—33 coll. Mt. 16, 16—23). Christi adventu navis, quam ventus ad meridiem pellebat, mox *ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς* — Gennesaret — *εἰς ἣν ὑπήγον* (Io. 6, 21), *καὶ προσωρμίσθησαν*. (Mt. 14, 53).

Ultimo capite [XXXII] nuntii de Christi resurrectione inter se componuntur (Mt. 28, 1—10; Mc. 16, 1—11; Lc. 24, 1—12; Io. 20, 1—18); qui conatus modeste proponitur. Io. igitur Mariae Magdalенаe memoriam refert; Mt. alterius Mariae — Matris Domini; Lc. Ioannae, Mc. Mariae Iacobi. Maria Magdalena cum aliis mulieribus erat antequam et postquam certior facta est Christum surrexisse. Quando sola fuisset, quando cum aliis, non narrarunt mulieres, quia de se ipsis apostolos docere earum non intererat. Mulieres Galilaeae, quae antequam lapis advolutus est, a sepulcro secesserant (Lc. 23, 55) quaeque sub Petri tutela videntur fuisse in domo Mariae, matris Marci (Act. 12, 12—17), ubi cena ultima Christi forsitan fuerit, eodem die emendi aromata copiam habuerunt (Lc. 23, 56); aliae, quae apud Ioannem videntur habitavisse, seorsum a Petro (Io. 20, 2: *πρὸς, πρὸς*) postridie vespere ad sepulcrum profectae sunt, unde Maria Magdalena sola (altera enim

